SCRIPTORVM
PVBLICE
PROPOSITO-
RVM AGVBERNA-
toribus ſtudiorum in Academia
VVittebergenſi

TOMVS TERTIVS,

COMPLECTENS ANnum 1556. & tres ſequentes.

VVITEBERGÆ
EXCVSVS AB HÆredibus Georgij Rhaun.
1559.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Eber, Paul

Scriptorum Publice Propositorum A Professoribus In Academia Witebergensi ..
. Tomus

Witebergae 1559
H.lit.p. 344 l-3/4
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10178697-0

MAGNIFICO, IL-
LVSTRI, AC GENERO-
so Domino, Domino Adolpho, Comi-
ti in Nassau, Catten Elnbogen,
Vianden & Dietz &c. Do-
mino suo clementis-
simo.



IVINVM ILLVM Platonem, cùm Aristoteles suo quodam consilio ab eius schola, cuius multos annos sectator fuerat, secessionem faceret, & nonulla, quæ à Præceptore Platone dicerat, peruelleret, crebris sermonibus inter amicos, & familiares habitis, hæc uerba de Aristotele usurpasse accepimus: Ἀπελακτίσει ἡμᾶς ὁ ἄρτος τὴν πτέρναν, id est, Calcem nobis impe-

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

git Aristoteles, sicut pulli equini contra matrem calcitrant.

Etsi autem Aristoteles, neq; odio præceptoris Platonis, neq; animorum, sed tantùm opinionum dissensione, quòd uterq; aliud in quibusdam Philosophiæ partibus sequeretur, sine acerbitate à Platonis familia discederet: Tamen hoc nostro petulantissimo & corruptissimo seculo multos uideas, qui nullis honestis & grauibus causis ducti, sed ingeniorum petulantia, ambitione, cupiditate inanis gloriæ, & φιλονεικίᾳ accensi, turpiter ab ea schola defecerunt, cuius multos annos alumni fuerunt, & in cuius suauissimo gremio, non tantùm sobriam Philosophiam, verùm etiam dulcissimum cœlestis doctrinæ nectar, quod multis annis humana-

humanarum traditionum ναppa malè dilutum fuerat, ex limpidiſſimis fontibus, niſi ipſi ſibi deeſſe νoluiſſent, haurire potuiſſent: Horum ἀσοφγία & in altricem ſcholam, ceu blandam & officioſam matrem impietas, eò indignior eſt, quòd pro maximis & diuinis beneficijs, non modò nullam beneuolentiæ & gratitudinis partem mutuam reddiderunt, νerùm etiam quod grauiſſimè ferendum eſt, omnes cogitationes & curas iam aliquot annis in eo conſumpſerunt, omnes nires & conatus eò contulerunt, ut hanc Scholam ueræ pietatis, humanitatis, et honeſtiſſimarum artium nutricem, callidè & ueteratoriè confictis & improbè ac impudenter ſparſis & diſſipatis calumnijs, circumuentam opprimerent. Et hunc ſanguinarium

animum, & parricidialem furorem pietatis & veritatis asserendæ fuco bellissimè pinxerunt, à quibus uirtutibus tàm longè absunt, vt homines mendacijs & veritati deprauandæ natos, ne per febrim quidem vnquàm tenue & euanidum harum virtutum simulachrum somniasse dicas.

Quamuis autem homines honesti, & amantes veritatis, in cuius explicatione hanc Scholã egregiam nauasse operam negari non potest, ex animo oderint horum Sycophantarum vel potius Halophantarum ieiunas, futiles & scurriles calumnias, & tacitis votis honestos magistratus implorent, vt horum circulatorum effrenatam petulantiam comprimant: Tamẽ non deest deterioris notæ homi-

num magna & profligata colluuies, apud quos isti μιτζαγύζται *sua mendacia & omnis generis præstigijs malè tectas calumnias magno applausu tanquàm* ἐμ κοφινώτοις ἀγοραῖς *magno vendant. Huius illi Cyclopici* κεφαλὴ σοφιτώδης *Theatri sui* πολλῶ φοφῶ *inflati, tantos sibi animos sumunt, tantamq; arrogantiam, vt alios omnes, qui in ipsorum castra concedere nolunt, non modo nullo numero habeant, Sed etiam ab Ecclesia, cuius ipsi vindices videri volunt, protinus exterminandos censeant.*

Hanc tantam horum circulatorum arrogantiam, impudentiam, & effrenatam superbiam, quam hactenus Theologico schemate, sicut CVMANVS *ille asinus Leonis exuuio malè*

perſonati, contra Eccleſiam Dei, contra ſcholas, & contra multos ſanctos uiros intollerabili libidine uſurparunt, quis non ingenti ſtomacho deteſtetur? quis non ſancta uota concipiat, & Deo preces caſtas adhibeat, ut iſtas furias, quæ tanta clade in Eccleſiam multos iam annos perbacchatæ ſunt, tandem pro ſua bonitate opprimat, ne maius & triſtius incendium aliquando excitent?

Quis enim non uideat παραξίαν *quendam* κακοδαίμονα *cùm alia ratione florentem Eccleſiarum ſtatum, animorum coniunctione & doctrinæ conſenſione conglutinatum, perturbare & euertere non poſſet, has ceu diras furias ab inferis excitatas in Eccleſias immiſiſſe, ut omnia Syco-*

phan-

phantijs, calumnijs & mendacijs labefactarent & euerterent. Qua quidem in re ita præclarè ſuo officio functi ſunt, ut non ab alio quàm ab ipſo Diabolo ſubmiſſi ad hanc tragœdiam agendam, & ſubornati uideri poſſint. Tantum enim calamitatis in noſtris Eccleſijs excitarunt, tot vulnera bonis mentibus fecerunt, tantam lætitiam Diabolo & Pontificijs crearunt, tantam ſtragem dederunt, ut ſi ipſi Diaboli cum tota colluuie Pontificia, omnibus ſuis artibus in Eccleſias & noſtrum gregem impreſſionem feciſſent, maiorem uaſtitatem facere, & grauiorem ruinam excitare non potuiſſent.

Speramus autem iſtas flagitioſas calumnias in innocentiſſimos ho-

mines improbè & impudenter conie-
ctas ceu flammã in fluuiũ mersam bre-
ui extinctum iri. Præceptorum au-
tem nostrorum raræ ac variæ erudi-
tionis plurima diuini ingenij monu-
menta (in quibus vt in veteri versu
est: ἀυτὸς ἑαυτου ἔγραψεν ϕῶ εἰκονῦ, ἄρι-
σος ἀπατελλῆς) grauiter Sycophantarum
improbitatem refutantia & Præce-
ptorum constantiam, & in explican-
da doctrina cælesti diligentiã et fidem
satis probantia ad omnem posterita-
tem victura esse, cum illorum ἐφήμερα
καὶ κέτλια κέδια & furfuracea κνάυ-
ματα scurrilibus & ex triuijs petitis
conuicijs & ebullatis retecta nugis,
eo genio scripta sint, vt vix paucos
vitæ dies impetrare possint.

Cùm autem rerum præciosa-
rum etiam minuta fragmenta & exi-

lia

lia ramenta in delitijs habeantur, collegi Intimationes, vt vocant, quæ his proximis annis in Schola nostra à Præceptoribus publicè propositæ sunt. Quia hæc ceu priuata præceptorum cum scholasticis de honestissimis rebus colloquia, quæ quasi annales proximorum annorum nostræ Scholæ recitant, satis Sycophantarum conuiçia quibus scholam indignè onerant, refutant, & tàm variam eruditionem tamque graues commonefactiones continent, vt facile appareat, ex qua prodierint officina.

Has cùm in lucem emittere decreuissem, visum est faciendum, vt nomini tuo Magnifice Domine, Illustris ac generose Comes, eas inscribe-

rem.

rem. Quia cùm in hac ſchola aliquandiu nõ ſolùm magna cũ laude uixeris, Verùm etiam ampliſſimum in ea magiſtratum præclarè geſſeris, grauiſſimus & locupletiſſimus teſtis eſſe potes diligentiæ, fidei, & aſſiduitatis præceptorum in docendo, & in tuenda diſciplina, difficilis & laborioſæ eorum contentionis.

Quare reuerenter peto, Vt hanc meam qualemcunq; meæ erga te beneuolentiæ, & gratitudinis ſignificationem, tenuem quidem illam, ſed tamen ab optimo profectam animo, Illuſtris ac generoſe Comes, boni conſulas.

T. Celſitud:

Obedientiſſ:

Michael Maius

Noribergenſis.

PRECATIO CONTRA SYCOPHANTAS MALEDICOS EX PSAL. 120. A. M. A. F.

OPpugnat hostis impius caput meum,
Measq; fortunas, ego
Contra piarum me tegam scuto precum.
Nam uocibus dexter meis
Aures amicas admouet semper Deus,
Vt filio dulcis Pater:
A uiperino dente, acerbo à uulnere
Oris dolosi Domine, me
Defende, sæua lingua ne uitam mihi
Suis uenenis auferat:
Dolosa lingua quem tibi fructum feret?
Quid turpibus mendacijs
Lucrabere, præter odium Dei miser,
Et omnium mortalium?
Qualis sagitta milite à fortissimo
Contorta, qualis ignea
Nutrita uis iuniperi olentis caudice,
Talis uenenata impij
Lingua est. Miser, miser ego iam nimium dius
Cum gente uiuo barbara.
Me pax iuuat, & mutui concordia
Amoris ardens ignibus:
At ista gens de pace cùm loquor, nihil
Crepat nisi necem & sanguinem.

INFANTICIDIVM HERODIS.

VNde tot auditi gemitus, unde horrida quæso
Lamenta hæc, furor unde ingens, miseriq; tumultus?
Quidue petit fragor armorum, uagitus & ingens
Infantum, lacrymæq;, & fœminei ululatus? (tanti
Quo nostro morimur scelere? aut quæ nam obsecro
Causa mali est: sunt hæc propius iam cerno nefandi
Imperia Herodis, concepti & damna timoris,
Audierat sed enim fœlici sydere natum
Nuper iure nouo Solymas qui subderet olim,
Et latè populos victor ditione teneret,
Id metuens, tenerum ab radice auellere florem
Conatus, parat insidias, longeq; iubetur
Ah dolor infantum lateq; miserrima cædes.
Dij tantum prohibete nefas, Dij auertite casum.
Nam quæ te culpæ & regnandi dira cupido
Impie Rex agitat? non is qui nascitur unquàm
Optabit tua regna, metum compescito, quid, quid
Insontes meruere ferus quos enecat ensis?
Hei noua bellorum facies, hei Martis iniqui
Assuetum nunquàm facinus: Quis talia fando
Audijt armatas ferro sæuire cohortes
In pueros matrum pauidos, ac prorsus inertes
Opposita pugnare acie, & decernere ferro?

Ecce

Ecce implent ſubitis matres plangoribus æthra
Attonitæ, laniantq; comas, & ab ubere raptos
Lactantes iugulare uident, & funere acerbo
Damnari, uidet illa ſuo cunabula tingi
Sanguine, colliſum hæc nati caput aſpicit, illum
In gremio trepidæ matris fodit enſis adactus.
Diffugiunt aliæ per templa domoſq; Deorum
Amplexæq; tenent natos, atq; oſcula figunt
Orantes ueniam, & nequicquam poplite flexo
Pro natis ſeſe obijciunt, mortemq; precantur.
Non precibus non ulla hoſtis pietate mouetur,
Sacrilegaq; manu innocui mactantur ad aras,
Incautum ueluti cùm inuadit ouile luporum
Magna cohors, quos dira fames exaſperat, ingens
Sternitur infœlix miſera ad præſepia uulgus
Fœlices puerorum animæ, uos nulla tacebit
In longum producta ætas, æternaq; uobis
Nomina erunt dum relligio ſyncera manebit,
Queq; fides Chriſti in meritis ſuffulta quieſcit.
Vos primi monſtratis iter quod ad ardua lætos
Regna beatorum ducit, uos prælia primi
Tentaſtis magni Ducis ornatura triumphos:
Vos primum è cælo ſuſcepit plauſus ouantes,
Dum ſacros magni currus anteire Tonantis
Sorte datum eſt, & iam lætum Pæana canentes
Purpureas capiti inſigni de fronde corollas,

Et nida

Et manibus florentem alto de uertice palmam
Fertis, ut expleti donatum insigne laboris.

Non hæc uestra salus quòd Abrami semine germen
Ducitis, aut nulla traxistis origine labem
Innocui, nam quod de carne, parentis in aluo
Concipitur, uisitq; exortum lumina Solis
Natales habet immundos, secumq; Deorum
Offensam trahit, & lethi subit horrida iura:
Omnipotens sed enim uos semen propter Abrahæ
Accipit, & gratis cœlestibus asserit oris
Immeritam nati ob mortem, sanctumq; cruorem.
Non opis est nostræ, ueniam cœlumq; mereri
Proiectu uitæ, facit hoc tua Christe merendo
Integritas & mors, qua sola sydera adimus,
Mors tua sit precium, mea mors sit conscia testis.
Et nos morte tua demersi, & sanguine tincti,
Iam tonitru fractos sonitus imitante tubarum
Excussi somno tellure leuabimus artus
Vestitos Sole, atq; ultrò in sublime uolantes
Hospitium cœli concessa ad gaudia uitæ,
Conciliumq; Dei, sancto qui semine diuûm
Et liquore sacro, & flatu generante renati
Pectoris assensus in te dux Christe tenemus.

τέλος.

2 H 13.

ANNO 1556.

IN PRÆLECTIONEM OPTICES CASPAR PEVCERVS.

DISTINCTIO LVCIS & tenebrarum condita est, ut lucis utilitas conspectior esset, quæ & sese, & res cæteras ostendit & discernit. Et conditi sunt oculi, qui & ipsi sunt lucis domicilia, & ueluti similitudo cœlestium corporum aut stellarum in homine. Hæc & in cœlo & in hominis edificio ualde admiranda esse, fatendum est. Significant autem & ipsum Deum admirandam lucem esse. *Quare grati celebremus Deum conditorem, qui lucem creauit, & distinctionem lucis & tenebrarum ostendit.* Vt autem aliæ artes ex uarietate operum diuinorum extructæ sunt, Musica ex dissimilibus sonis, sed tamen proportione congruentibus, & aliæ ex aliis obiectis: ita extructa est Ars, quæ nominatur, ὀπτικὴ, aliàs Perspectiua, ex dissimilium radiorum adprehensione, qui cùm in oculos aliter atq; aliter incurrant, dissimiles uisiones efficiunt. Omnes res uisæ, siue κατ' ἔμφασιν appareant tales, quales cernuntur, siue sint tales κατ' ὑπόστασιν, offerunt sese uisui triquetra uel

coni, uel pyramidis figura, cuius cacumen in ōculi centrum pertingit, & constituitur seu Conus, seu Pyramis, talis de infinitarum penè Pyramidum παθέτοις seu perpendiculis, quæ sola ἄνευ διαπλάσεως pellucidas oculi tunicas & inclusos his humores penetrant. Fit igitur exilior conus seu Pyramis, quo longior est, radijs attenuatis ductu longiore. Quare procul distantia cernuntur minora, & minutæ exilesq; eminentiæ, ac cauitates obscuratæ euanescunt. Et longè differunt inter se tum radij continuata, directaq; uibratione delati ad oculum, tum cæteri uel à tersis, politisq; ac renitentibus corporibus reflexi ad oculos ἀνακλασει, uel refracti in ijs corporibus διακλάσει, quæ διαφανῆ uocantur, quorum quædam & ἐμφανῆ sunt. Longe aliter cernimus imaginem rei directo contuitu aliter in speculo refulgentem, aliter baculum, aut aliud corpus partim in aquam mersum, partim extans supra aquam, quia radius aliter spargitur in densiore medio, aliter in rariore. Iam quanta speculorum uarietas est, aut planicie exacta, aut eminentia conuexa, aut ceu depressione excauata differentium? Quanta τῶν διαφανῶν dissimilitudo non crassicie tantum, & raritate, aut colorum uarietate discrepantium, sed & superficierum, quibus alia utrunq; planis, alia in gibbum conuexis aut excauatis, alia ex una parte planis,

aut

dat cuis aut prætumidis, ex altera diuersis includuntur, quibus διαλάσεις mirificè uariantur? Quantam singuli in nobis uarietatem contuitus experimur? Interdum una res conspecta cernitur tanquam geminata. Narrat Aristoteles fuisse quendam, qui semper ante se uiderit imaginem sui corporis, & quidem aduersam. Deniq; ingens uarietas est contuitus. Est uerò & in obseruationibus τῶν φαινομένων (unde doctrina de motibus stellarum, de solstitijs, et æquinoctijs, ὡς ἀπὸ πρώτης ὕλης, magna ex parte oritur) doctrina hæc maximè necessaria. Quare de luce, de radijs, deq; horum diuersa proiectione, de colorum differentijs, deq; adprehensione horum obiectorum, quæ sensus Visus propria sunt, & ceterorum quæ communia uocantur, & de uisionis diuersitate, initia Optices his proximis diebus tradam, quæ ut studiosè discant auditores nostri, utilitas doctrinæ obseruationum eos excitare debet. Et multæ sunt partes Physices, quæ ex Optica illustriores fiunt.

DE LECTIONE LIVII.

SEmper in Lectione historiarum consilium & uoluntatem Dei consideremus, quare ab initio mundi ad hæc nostra usq; tempora, & ma-

ximarum rerum memoriam, & continuam mundi historiam conseruauerit. Sunt autem huius diuini consilij multæ magnæ & grauissimæ causæ, quarum cogitatio fidem nostram confirmat, & ardentiorem inuocationem in pijs mentibus accendit. Deinde quoq; discrimen inter historias sacrarum literarum, & gentium tenendum est. Nam historiæ sacrarum literarum non solum ut Ethnicæ, insignes imperiorum mutationes, præcipuas in negotijs deliberationes, exempla uirtutum & uiciorum, pœnas Tyrannorum, & de multis alijs uitæ partibus lectorem admonent: Verum etiam commonefaciunt nos de uoluntate Dei, tradunt doctrinam de promissionibus & patefactionibus, ac ostendunt Ecclesiæ conseruationem, cœlestis doctrinæ propagationem, miraculosas piorum liberationes, & certas regnorum periodos, uerè Dei opera esse, nec ulla humana Sapientia regi aut gubernari. Vt autem series Monarchiarum, tempora promissionum ac patefactionum, aliarumq; rerum quarum in sacris Biblijs mentio fit, intelligi et certitudo earum deprehendi possit, miscenda est lectio Ethnicæ historiæ cum sacris. Nam ex gentium monumentis multa testimonia colliguntur, quibus scripta Prophetica & Apostolica illustrantur & confirmantur. Nec tamen sine discrimine incipientes cuiuslibet scribentis historiam legere debent,

bent, uerùm memores esse præcepti Quintiliani, qui optimos quidem & statim & semper, sed tamen eorum candidissimum quenq; & maximè expolitum, legendum ab incipientibus esse admonet. Inter hos Princeps in latina lingua est Liuius, cuius historia, ut Thucydides de sua inquit, uere κτῆμα, id est perpetuus thesaurus posteritatis est. Nec profecto amplior thesaurus de origine & statu rerum Romanarum nunc extat, q̃ sunt ipsius monumenta, in quibus continua historia septingentorum ferè annorum à condita Roma ad ultimæ Monarchiæ initium usq; contimetur, sub quo Daniel ante multa secula uenturum Messiam prædixit. Narrat autem magna cura & fide maximorum consiliorum in bello & pace deliberationes, demonstrat formam Reipublicæ Romanæ, ostendit sacerdotij ac politiarum ordinationem, indicat insignes in gubernatione mutationes, earumq; causas, recenset multos uiros & ingenio & uirtute nobiles, proponit personarum descriptiones & comparationes, recitat Tyrannorum & malorum hominum pœnas, distinguit seriem temporum, deniq; de multis alijs magnis rebus admonet, quarum enumeratio hîc nimis longa esset. Tanta est autem eloquentia, ut splendore orationis sine ulla dubitatione antecellat omnibus Latinis scriptoribus, nec ullius lectio studiosis eloquentiæ ad alendam

copiam, & imitationem figurarum sit utilior. Proderit igitur eius lectio & ad rerum cognitionem, & ad orationis latinæ copiam parandam. Quare decreui ordine libros historiæ Liuianæ incipiens à primordio conditæ urbis enarrare, ad quam enarrationem scholasticos adhortor. Spero autem bonis ingenijs hunc nostrum laborem, quem in enarrando sumimus, gratum fore, uel ob hoc ipsum, quòd ad cognitionem huius optimi autoris inuitantur, & inter enarrandum de multis grauissimis rebus commonefiunt. Inchoabo autem die Mercurij hora septima in auditorio Medicorum.

Bartolemeus Lasan.

SYNODVS AVIVM AVTORE IOHANNE MAiore Ioachimo.

EX quo Cygnꝰ ouans flauẽtis ad Albidos orã
Clauderet emeritos fatorum numine cursus
Vitaq; cum cantu finita uolauit ad auras:
Continuò uisum est auibus cantare peritis
Cogere conuentum, uacuis ut sorte reponant
Sedibus artificem, cuius censura sonoras
Digerat alituum linguas, qui iura uocatis
Poneret agminibus, melior qui carminis autor
Inter aues dubiam posset dissoluere litem.

Accingunt

Accingunt ſe omnes ſorti, pars aſſerit ipſum
Portendi fatis Cuculum, lætiſq; uocari
In regna auſpicijs noluit quia pectore ſortes
Augur, & aduentu tempus præcurrit apricum.

Sunt quoq; qui Gallum ſuadent in ſceptra re-
Indice cum Petri lapſum clangore notarit, (poni,
Quando fides linguæ renuit temerata magiſtrum.
Idem etiam indicio rudibus ſolet eſſe colonis,
Æolij fratres qua nam regione ferantur.

Nec minor eſt numerus Merulam qui poſcere ſortes
Inculcant, pronoq; ferunt ſuffragia uultu.
Fallitur, & fallit uulgi qui pendet ab ore,
Pronum iter ad lapſus uulgi ſententia ducit.

Sed uolucres quarum melior ſententia menti,
Manſuetæ uolucres, operam quæ nempe canoris
Vocibus impendunt, uno omnes ore loquentes
Vota dabant Philomela tibi, quam docta uetuſtas
Incita delitijs cantus Ædona uocauit.
Cui Deus & Muſæ blandas in carmine uires
Suffecêre, fugant curas homineſq; feræq;,
Illa canit, plauſu cordis ſalit abdita uena.
Non illam ſtimulis carpendi ſæua cupido
Suſcitat, haud roſtro metuenda ac unguibus uncis,
Sola auium ſummæ non horret acumine linguæ.
Dumq; in conſeſſu primo ſors cæca uagatur,
Atq; animos nunc huc ſceleres, nunc diuidit illuc,

Extemplò se quisq; suis è sedibus aufert,
Incertus quò fata cadant, quem nomina poscant.
Nec minus hi tabulæ mandant consulta fideli,
Inq; fori rostro facti monumenta relinquunt.

Interea uolucres quarum data nomina sorti,
Astu rem superant, & partibus agmina furtim
Adsciscunt conflata suis, & fœdere pacto
Sollicitant, qui frena fori commissa gerebant.
Nec Philomela dolos agitat, nihil illa moratur
Turpia laturos spretis suffragia diuis.
Progeniem nidosq; fouet cum gente canora,
Nec se passa loco est Borea stridente mouere,
Quamuis multa piam iaciebant Saxa uolucrem,
Et circum Illyrica pice nigrior horruit æther.
Sedit ouans animis, atq; in statione remansit,
Laude Dei plenas iactans ad sidera uoces.
Circum Prata uolat riuis quæ semper ab albis
Sparguntur, pinguesq; creant animalibus herbas.

Dumq; noui rursum conuentus copia facta est,
Instructi socijs obeunt tempusq;, locumq;.
In Merulæ causam descendit in ordine primo
Turdus edax, cuius fruticans de stercore uiscum
Editur in ramis, steriliq; in tempore brumæ
Fronde micat uiridi, quod non sua seminat arbor.
Cognati & generis uolucres se cœtibus addunt,
Queis uictum è baccis serum dumeta ministrant.

Hinc

Hinc Vireo tepidis noſtras qui menſibus oras
Viſit, & Arcturi rurſus ſola mutat ab ortu
Compoſuit Merula ſe partibus, & ſora preßit.

Mox ſe congreſſu in medium tulit æmula Pica,
Quiq; Merops maculis dorſum uariatur amœnis,
Ac Vlulæ riguam dira quæ uoce quietem
Diſcutiunt radios exoſæ lucis apertæ,
Addunt ſe ſocias, atq; agmina conſcia iungunt
Criſtatæ uolucri, roſtro quæ clangit, & alis
Plangit ouans alti fumoſo in culmine tigni.

Ponè latus Cuculi incedunt quæ liquida ſtagna
Sectantur uolucres, mergi, fulicæq; marinæ,
Autores pluuiæ tempeſtatumq; ſonantum.
Cernitur has inter Vulcani ſubdolus ales
Clandeſtina ferens Cuculo ſuffragia Phœnix.
Rara auis illa quidem circum caua littora, ſæui
Impatienſq; maris, nec conſociabilis ulli
Improba quæ ſoluit garritibus ora, uolucri.
Attamen adplaudit Cuculo, nec ſecius illum
Ipſe ſuis plauſum facientibus excitat alis,
Quam faber admotis qui follibus excitat ignem.

Stant contrà innumeræ uolucres queîs carmina
Præſertim Cuculo uires intendit Alauda, (curæ
Et uictum in damis quæ carpere gaudet Acanthis,
Atq; alacrem Fringilla ſonans arguta tenorem,
Et Curruca timens ingrato ex hoſpite ſtragem.

Omnes dulciſonam uotis Ædona petebant,
Illam laude uehunt, præſtet quia laude canendi.
Verùm hæc non uoluit ſe cœtibus addere prauis.
Vidit enim Cuculum magna uolitare caterua.

Tum quaſſans caput hæc Coccyx ex ore profudit:
Non latet, ô uolucres, Cygnum quòd fata tulerunt,
Atq; ideo regnis ductorem poſcere ſortes,
Quem penes arbitriũ eſt, & uis et norma canendi.
Conſulite in medium, quem ſors uolet, arbiter eſto.
Nam uereor ſciſſam ſtudia in contraria gentem
Prædonum arripiat roſtris ne exercitus uncis.
Quare agite ô lapſi generis reparate ruinam,
Vt coẽant ſtabili fatorum numine mentes:
Fas etiam premere imperijs, ac addere mulctam,
Olim qui noſtras tenuatim euertere uires
Conati, & plumis inoperta relinquere membra.
Quos ego: ſed medijs uox rupta in faucibus hæſit
Colliſu, & fœdis ſingultibus impulit auras.
Inuenti tamen interea, qui pingue ſonantem
Exciperent plauſu, dum flaccida carmina ſtultus
Collibus & Saxis delyro narrat ab ore.
Stulta placent uulgo, ſtudijs certamina creſcunt.
Præſertim Merula adplaudens his uocibus infit:
Fas tibi me ceßiſſe loco, tibi Iupiter æquus
Annuit imperium, tu nunc eris alter ab illo,
Quamuis tu niger es, quamuis ſit candidus ille,

Et te uulgus amat, uulgo tua carmina curæ.
Tu pueris responsa refers cum tempora uitæ
Scitatum balbis poscunt oracula linguis.
Sis bonus ô felixq; tuis, tua iura uolentes
Accipimus, nec uos Cuculo parêre pigebit.

Non tulit ulterius Bubo, sed talibus infit:
Non ô non uolucres, non hoc rationibus ullis
Sors uelit, à diuis meliorem poscite mentem.
Non ô non uolucres, non si mihi Iupiter author
Spondeat, hoc sperem pacem contingere rege.
Quandoquidem à nobis fatorum exquirere sensus
Agmina uestra solent, nec uos latuisse putandũ est,
Quòd limi segetem præcepi auellere sulcis,
Dum rudis exigua latuisset messis in herba,
Ne uos texta olim traherent, & abire uetarent.
Quare agite, ac animis quæ dicam expẽdite uestris:
Non Cuculum ex adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinũt Cuculũ gregibus dare iura uolantũ.
Sors cadit in Gallum, namq; illum poscere fata
Et reor, & monitis si quis locus amplius, oro.
Non somno indulget, sed cum intempesta silet nox,
Plumeaq; in syluis repetunt animalia nidos,
Scilicet & rostrum tepidas fixere sub alas:
Clangit ad arma furens, & uoce silentia turbat,
Et rostro fractos sonitus imitante tubarum
Excubitor lucem mortalibus indicat ales.

Idem

Idem etiam pugnis aptus, nemo acrior illo
Vngue notare hostes, & rem decernere rostro.
Tum uocem excepit Fringilla loquentis ab ore:
O si non pluuiæ, nec tempestatibus atris
Seruiret, pennasq; ad motum uerteret auræ
Gallus, quem uarijs in cœlum laudibus effers.
Sitq; utinam pugnis aptus, ne turgida pulsu
Soluere labra queat: certè nemo acrior illo
Ante aciem, Solus non mille uerebitur hostes.
Stare loco nescit, micat eminus, & tremit alte,
Et leuior folijs quauis impellitur aura.
Quæ nam igitur uolucres, quæ uos sententia cogit
Præficere imperio Gallum, qui in sorde solebat
Stridenti miserum rostro dispердere carmen,
Qui rostro petit, & pedibus qui spargit arenam.
Qui Cuculum non odit, amet tua carmina Galle.
Nos legimus regno uolucrem, cui cura modestæ
Pacis erit, doctæ cui copia uocis in ore est.
Sed ueterem repetit Coccyx in fronde tenorem,
Nec certa ratione loci, nec lege tenetur.
Nec præsens habet ille fidem, licet arbore in illa
Consessu medium sese tulit, ocyor Euro
Turpe iter arripuit, sedemq; in uoce reliquit,
Et singultanti inuoluit nemus omne ululatu.
Ponè stat, & mœsto tundit sua pectora planctu
Suppositum Curruca uocans in crimen alumnum.
Et Cuculi nomen defert de cæde peracta.

Hospes

Hoſpes ut hoſtis erat, generis nam funere noſtri
Ingluuiem expleuit, natoſq; ante ora parentum
Immerſit rabidam, quod nec bene uertat, in aluum.
Me quoq; ab infido nil hoſpite tale timentem,
Plura locuturæ lacrymæ ſuper ora fluebant,
Subſtitit, & uocem mediam indignata repreſſit.
Excipiens Fringilla ſonum mox talia ſubdit:
Hic quoq; cum tropico Sol uertitur in Capricorno
Vertit terga fugæ, & putri ſe occultat in aluo
Arboris, eq; hominum aſpectu ſua ſubtrahit ora.
Hinc illi obijciunt uates pro carmine crimen,
Quòd ſalice exeſa lapſus diſcrimine uitæ
Preſſit humum turpi fœdatus puluere uultum.
Occidit exeſa delapſus ab arbore Coccyx,
Quis poterit longos cantu nunc fallere ſoles?
Tu Philomela potes, dominam te regna tenere
Fata uolunt, tibi uox, tibi ſancta modeſtia uocis,
Tu cantare potes, & reſpondere parata es.
Vidi ego nec fallor dum luſtro uolumina iuris,
Cenſuræ exemplum flammis quæ deſtinat ipſum.
Nam ſarmenta focis poſtq; congeſſit alendis
Cultor agri, & trunci nemoris caua robora paſ-
Voluit, et hyberno iam in ſidere ſubdidit igni, (ſim
Ille ubi ſufflato ſua membra uapore reſolui
Senſerat, ardenti ſonitus emiſit in antro,
Ver ratus apricum mediæ ſub frigore brumæ.
Si quis in ambiguo eſt, quantum focus ætheris igne
Diſcrepet,

Discrepet, ille foci crassus uapor, & leuis ignis
Aetheris inter se qua sint ratione repulsa,
Et quantum hiberno tepidum uer frigore distet:
An uolucrum norit discrimina ponere linguis:
Quin etiam furiæ, quas ipsa ê stirpe parentum
Induit, incessunt stimulis præcordia, ut omni
Impete bellorum feruens Aedona lacessat.
Illa canit, strepit opposito rudis agmine Coccyx
Certandi studio, crudoq; fatiscit hiatu,
Quo morsu appetijt mansuetas prædo uolucres.
Quod supereſt, quoniam cœtu conuenimus illo,
Non raucas inflare tubas, sed dicere uersus:
Tum missum facite ô proceres genus omne uolucrũ
Quod curuo increpitat rostro, strepitumq; retu-
Mittit, & offendit diris stridoribus aures. (sum
Heu ualeant omnes, genij qui iura canore
Inuertunt ficto, peregrinisq; æmula linguis
Soluere rostra student, hominumq; illudere uoci:
Vt Merula, & nigris uelata Monedula pennis,
Picaq; quæ uarias emittit stridula uoces,
Et pictæ uolucres rutilis in tergore guttis.

Occinit his contrà ferali carmine Bubo:
Hæc Fringilla tibi potior sententia uisa est
Forsitan, & proprio sic digeris omnia solus
Arbitrio, & Ialemo tua guttura soluis equestri,
Credimus an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.

Cui

Cui Fringilla refert, ô Narrans plurima Bubo,
Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui, & uocum iußit discrimina nosse,
Et suaues auium cantus discernere sensu
A Cuculi strepitu, coruorum à carmine crasso,
A Galli crepitu, & Picæ stridore loquacis.
Idcirco resonam quia poscunt fata uolucrem:
Debentur meritò Philomelæ regna canoræ.
Nec me quisquam adiget uocem mutare, piumq;
Consilij fœdus, dum spiritus hos reget artus.

Annuit, & partes assensibus implet Acanthis.
Tandem pauca refert: ego te, quæ dulcia grato
Ora sono soluis, nunquàm Philomela negabo
Promeritam, nec me mea carmina ab ore pigebit
Composuisse tuo, nec Musis gratior ulla est
Quam sibi si qua tuum præscripsit pagina nomen.

Tum sic incutiens cristas excepit Alauda:
Idem animus nobis, nec erit qui tendere contrà
Iure queat, sacrasq; infectum reddere sortes.
Scitis aues, scitis, quòd idem mihi nomen & omen,
Et me iam pridem uates à laude uocarunt,
Nec mihi iam subeat nomen mutare uel omen.
Ergo ego laude ueham gratis hominesq; deosq;,
Per liquidos auræ tractus cum carmine tendens.
Dumq; cano, pulsæ referunt ad sidera Valles,
Et linguam soluo supra caput arua colentum.

Qua ſoleo curas animis auertere mœſtis.
Huic uolucri acceptũ, ſi quid mea carmina poſſunt,
Et ferimus, uotisq; illam hæc in regna uocamus.
Sic ait, & miſſo rurſus uelut ante Senatu,
Tollunt ſe uolucres celeri ſuper aëra lapſu,
Nam ſors euentu congreſſum luſit inani.
Grammatici certant, & adhuc: uelut aſpera uerſis
Flatibus ambigui committunt prælia uenti,
Et magna inuoluunt umbra terramq; polumq;.
Iamq; in procinctu Cuculus per teſqua uolutus
Errat inops animi, & ſe putre recepit in antrum:
Qualis ſæpe rubis latuit nocturnus abactor,
Qui pecudum numeros minuit, feſſoſq; uiantes
A tergo ſuperans lethalibus obruit armis.
Cumq; nouũ uegetis reparabat flatibus orbem
Verna dies, denſo ſpargens rus omne uirore,
Et tepidam uolucres mulcentes cantibus auram
Signa dabant: Cuculus plumis petit arua renatis,
Atq; rudes fœtus Currucæ in tecta reponit,
Et morſu uiolans paruæ bibit oua parentis.
Cumq; infirma parens intenſo ardore recluſit
Ambiguam prolem, toto quæ uertice ſupra eſt:
En rabie paſtus uentrem ſtimulante, tenellis
Excepit uictum natis, dehinc uertere morſus
Exiguam in matrem penuria adegit edendi.
Ecce autem Philomela tuos poſtquàm hauſit uterq;
Concentus, & uox offenſa reſultat in aurem:

His

His super accensi confusa mente ruebant
In fremitus, quia nam cantus exosa strepentes
Gens auium docto Philomelæ ex ore pependit.
Quapropter uolucres iam rursus in agmina cogũ
Edicto iubet, hæ cœtu subiĕre frequenti,
Ac Ædona parant rabidæ sociare uolucri.
Aut, quod fata prius conuertant omen in ipsas,
Seu ui, siue dolis Philomelam absumere certum est.
Sensit enim se ignominiam pro laude referre,
Seq; pati turpem spreta cum uoce repulsam,
Carmina dum sanas Philomela referret ad aures.
Id metuens, trahit in partes qui pacis iniquæ
Imponit leges, & pectora fœdere iungat.
Atq; huius fidei res componenda relicta est,
Et quia felle caret res est commissa columbæ,
Sæpe uicem fidi quando cursoris obiuit.
Nuncia quæ ramum semper frondentis oliuæ
Ore uehens, specimen dilapsæ præbuit undæ:
Sed renuit, duramq; uicem uersare recusat,
Non operam impendens ullam non æqua roganti.
Antra colo, & teneros labor est educere fœtus,
Non nostrum inter uos tantas componere lites,
Mecum habito, & uitæ cursum sine fraude peregi.
Sed si tantus amor paci submittere mentes,
En adsum, tuaq; en ultro mandata facessam.
Neu me alias tanto exponat mens læua periclo,
Vt subeat, diræ gentis penetrare latebras,

Et Cuculi præsens audire & reddere uoces?
Non bene cum placidis immitia corda cohærent:
Et si ritè memor maiorum exempla reuoluo,
Sueuit in Accipitris Cuculus migrare figuram,
Vt quondam exuuijs Erucæ blatta creatur,
Crimes, non animum mutat lupus intus auarum.
Hæc ubi dicta, uouent furiarum in iura columbã,
Et numero excludunt hei plana & sana locutam.
Iamq; iterum sors missa cadit, teq; Ispida Coccyx
Adiunctã Merulis quæ liquida stagna frequentant,
Irc iubet, tabulis instructam ac arte Pelasga.
Illi pauca refert Aedon, quia uerna subibant
Tempora cum dulcem sub apertis ætheris oris
Funderet illa sonum, carmenq; referret ad auras.
Parua mihi uox est, parui sine uiribus artus,
In statione mea mandato munere fungor
Ora Dei iussu soluens, teneramq; laboro
Progeniem antiqua sub religione tueri,
Quæ potui feci, commisi cætera diuis.
Sed passim tot monstra fero, obscænaq; uolucres
Intentant mortem, nec quæ sit causa uidemus,
Omnibus inuisi uitales carpimus auras.
Sæpè mihi scrobibus fraudes posuêre cauatis,
Sæpe sub exitium dapibus traxêre repostis.
Sed Deus est cui grata cano, sortemq; laboris
Impendo, & teneros educo in regna nepotes,
Ille meas superare preces, ut cernis, & ipsum

Ludere

Ludere quæ poteram ſyluis permiſit amœnis.
Ille tegit iuſtos, illi mea carmina curæ,
Non mihi cum Cuculis in fœdere gratia conſtat,
Nec mea ad immanes inflectam guttura uoces.
Ipſi more ſuo feriant clangoribus auram,
At mihi tranquilla placeant ante omnia Muſæ.
O mihi ſi tumulo tum molliter oſſa quieſcant,
Si purum pietatis opus, pacemq; relinquo.
Vis ergo inter nos quid poßit uterq; uicißim
Edamus ſpecimen, per me mora non erit ulla,
Incipiat, finemq; exacto carmine tangat.
Hæc contrà Cuculo retulit mandata uolucris
Singultum in dumis ſolito de more canenti.
Tum ſe quiſq; fori rurſum è ſtatione mouebat,
Fata obſtant, uireſq; negant in cœpta ſecundas.
Sed quid agunt? illis nil linquere ſuaſit inauſum
Seu dolus aut uirtus, nam tanti in fœderis ictu
Non operæ parcit Trochilus, qui prouidus auræ
Impendere niuem Cuculi quæ cantibus obſtet
Senſit, et hinc uoluens ſua membra, iterumq; reuol-
Ora uolubilibus contorquet ſtridula cannis. (uens
Tinnituſq; ciet lenes: ceu quando magiſter
Torquet agens circum luteas uertigine teſtas
Leuorem inducens ſpeculi de more nitentis.

Atq; his, atq; alijs innoxia cantibus ales
Tunditur, & uoces diras tractabilis audit.

Mens tranquilla manet, non ullis illa mouetur
Ictibus, haud auium fora, nec rabida ora moratur.

Et iam finis erat, postquam sententia lata est,
Quæ rostri pro lege sui componere uocem
Imperat, ut fissis didicerunt carmina linguis.
Sint uice suggesti coruo crudelia tigna
Furcarum, atq; illic generi det iura rapaci.
Stridula porticibus iactet se Noctua uastis,
Stagna colat Merulæ genus, & uada cœrula ponti,
Plaustra premat Gallus spolijs armata cruentis,
Aut ubi cortis aues fœtus in cratibus edunt.
Cum Scythiæ populis ineat certamina Gryphes,
Et cesset putres auibus componere pisces,
Nec uolucrum certet linguis, uelut æmula rana,
Quæ cum sit sub aqua, sub aqua maledicta refundit.

Sed sedem in tilia teneat Fringilla uirenti,
Montibus in niueis Ædon, Cassita Sudetis,
Collibus & dulcis uimi cantillet Acanthis:
Donec tempus erit, quo corruat ardua cœli
Machina, complexuq; premat genus omne uolantũ.

IDYLLION DE PHILOMELA.

VEr erat, et lenem meditãs spaciabar ad Albim,
Ore facit dulces qua PhiloMela sonos.

Quæ

Quæ quantum reliquis præstat moderamine uocis,
Respectu reliquis tam solet esse minor.
Hæc sedet insomnem cantu solata laborem,
Laudat & in ramo grata uirente Deum.
Vtq; animam cœpit uocis mulcere uenustas,
Miror & argutos & sine felle sonos:
En strepitum rostro turpes fecêre uolucres,
Et stomachum mouit stridula turba meum.
Hanc uagus infestat Cuculus certamine linguæ
Fundens delyris flaccida uerba modis.
Huius spuma solet raucas generare cicadas,
Cum folia immundis polluit ipse notis.
Iungit se comitem stridenti carmine Gallus,
Turbatrix placidæ nempe quietis auis.
Et procul innocuum pennis se tollit in hostem,
Arteq; cùm nequeat, Marte nocere cupit.
Hinc immunda suas quoq; conserit Vpupa uires,
Vpupa Stercoribus semper odora suis.
Hinc Merula impellit calidas in iurgia mentes,
Pectore nigra suo, uoce superba sua.
Tu quoq; uoce furens clangorem mittis Osyna,
Consita quæ multo pisce fluenta colis.
Quem mihi spes fuerat pacis Sarcire ruinam
Consuit in rixas fragmina trita nouas.
Improbus Agricolæ fumoso Grillus in antro
Hanc quoq; stridenti uoce lacessit auem.

Nec Philomela ſuæ differt modulamina linguæ,
Sed ſpargit uario nuntia læta ſono.
Ac aduerſo pio uincit mala corde ferendo,
Pacis amans uulgo iudice ſpretus erit.
Talia dum cerno peragi ſpectacula cantu
Alloquor: ô uolucris quæ mihi ſola places:
Quas tibi, quas tali reddam pro carmine grates?
A ſcrobe conſeruent Dij tua membra diu.
Te ſemper mea uita ſequar, tibi luce canenti
Tendimus has aures, cætera turba uale.
Quem tua non captum mira uox detinet arte,
Huic Cuculi numeret tempora longa ſonus.
Tempus erit rabidum quando Canis excitat æſtum,
Tunc metuens ignem cortice membra teget.
Stulta leues capiunt animos, ſua cuiq; libido eſt,
Vtrem pro cythara gaudet habere Midas.

ASINVS NOHAE OPPOSITVS ASINIS FLACIANIS.

BRuta uetus Noê cum clauſa teneret in arca
Impius ultrici dum perit orbis aqua:
Tunc uocat in cœtum ſolenni luce clientes,
Et de uirgineo ſemine uerba facit.
Lapſa memor ſortis ſignabat tempora gallus,
Vnde locum in ſani culmine gallus habet.
Gruſq; tubæ ſpecimen roſtro præſtabat adunco,
Hinc Moſes roſono finxit ab ære tubas.

Cùm

Cùm tamen omne genus denso subit atria cœtu,
Est asinus sacro iussus adesse loco.
Adfuit, & tabulas caus contudit ungula textas
Sacrs pelum strepitu uerba sonante premens.
Arguit, & pilis Erinaceus impulit hirtis,
Inde canes huius pellis ab æde fugat.
Dum modus omnis abest, dum uoce silentia turbat,
Et pede non sano robora texta ferit:
Tandem Noha refert: si nulla modestia cordi est,
Sit statio templi publica clausa tibi.
Et postq̃ in sicco mundum fortuna reponet,
Stridula pistrini tecta colenda dabo:
Quà Ceres assiduo lapidum decurrit ab ictu,
Et strepit impulsis unda sonora rotis.
Hinc primos asini fœtus lex abdicat aris,
Tunsaq; ceruicis frangere membra iubet.
Namq; asinos sacra Deus arcet ab æde petulcos
Impediunt strepitu qui pia uota suo.
Quis neget hunc asinũ migrasse in pectora Flacij,
Qui strepit, & sacro limine calce ferit.
Ecce rudens asinus Nohæ patientis ad aures
Dulcis Euangelij iam labefactat opus.
Indice quo solo peccatum innotuit orbi
Quòd ueram in Christo nescit habere fidem.
Adde quod illius premeret si terga Redemptor,
Alter quem Solyma uexit asellus humo:

Hic tergo excussum pedibus uiolare pararet,
Dum λογὸν è cœli trudere sede cupit.
Morte dabis pœnas autor clamoris inepti,
Cum dat Noha preces, tu maledicta refers.
Cum Domino cantat sacras Ecclesia laudes,
Tu crepitu uentris murmura fœda moues.
Sis asinus, quicunq; asini clamore teneris,
Iudicio uulgi ne capiare caue.

IDYLLION DE CHAS-SIDDA.

ILLa ego sum uolucris fundo quæ pascor herili
Parua, sed in nidis officiosa meis. (tus,
Cum pare quà septẽ dederant mihi numina fœ-
Mox tamen & pullos dum parit illa perit.
Teutona gens nomen mihi fecit ab arte docendi
Quòd mihi commissas instruo mitis aues,
Quòdq; leuo pennas Malo ridente sub auras,
Veris & æterni uoce saluto dies:
Hinc à laude mihi nomen posuêre Latini,
Nec benè de sæua casside nomen inest.
Non ego sum galeæ, nec habendis utilis armis,
Nec mea sunt curuis æmula rostra tubis.
Olim me rapidus tela inter Martia uentus
Flauit, & hoc mœsto nunc quoq; corde gemo.

Bella

Bella gerant uolucres ad bella ferocia natæ,
Cum placidis auibus laudet Alauda Deum.
Nam referunt nostras etiam seruasse uolucres
Quæ sapiens illis nomina fecit Adam. (quis
Nũc quoq; quæ nostris tribuit sacra lingua propin
Quos benè de storgis Teutones lingua uocat.
Hinc Chaßidda uocor, laudem quòd grata repen-
Vota Creatori debita reddo meo. (dens
Chaßiddam perhibent tumulum struxisse parenti
Hîc ubi nunc summo uertice crista tumet.
Pingitur ut tergo gestare Ciconia patrem,
Vt moneat natos de pietate rudes.
Et mihi cum data sit gratæ pietatis imago,
Quæso mihi priscum reddite nomen aues.
Nam rectè meritos memori sub uertice gesto,
Nata docere homines, nata sonare Deum.
Nunc quoq; tutelam Philomelæ grata rependo
Quæ mea formauit dulcibus ora sonis.
O si sensa animi ualeam committere chartis,
Carmen & in tabulas ipsa referre meum:
In Libano cygni pennas, Niloq; papyrum
Colligerem, latices uel nigra terra daret.
Dij uolucres seruate pias, quæ pectora mulcent
Cantibus, ac odium pro pietate ferunt.
Ne fera gens auium crudos exerceat ungues,
Aut turbet strepitu carmina docta suo.

Qualis auis glauco pennas quæ ſparſa colore
Ad digiti nutum uertere colla ſolet.
Nam quia contorquet collum uertiginis inſtar,
Nomen ab aucupibus ſtulta recepit auis.
Aſt ego cum pullis Philomelam laudibus orno,
Sic mihi Chaßiddæ nomen & omen ineſt.

ELEGIA DE STA.

PHILO.

Ἁ σαφυλὶς σαφὶὴς ἔσαι, κὴ ῥόδον ἄὔυον ὀλεῖ
Et roſa mane uiget, marcida nocte cadit.
Vidi ego ceu lauri germen florere malignum,
Præteriens paruo tempore quæro fuit,
Sic etſi celebri florere uideris in aula
O Staphyle, & Cynici dogmata falſa ſeris.
Diraq; nunc ſanctis Chriſti minitaris alumnis,
Et furijs imples corda aliena tuis:
Inde tamen uictus diuina uoce iacebis.
Crudeles obitus impius omnis habet,
Ignea marcentem te numinis obruet ira,
Vt perit à Solis uicta calore roſa.
An non à magno qui nomen habebat Iulo
Floruit, & læſit uiq; doliſq; pios?
Floruit, & cauſa tandem deuictus & armis
Dum iacet, & ſparſus uulnere ſanguis abit:

Viciſti

Viasti Galilæe refert, simul iuit ad Orcum
Vmbra gemens, pœnas & sine fine luit.
Ille domum bello redituras funera uouit,
Sed perit, & bello non redit ille domum.
Qui dicunt aliter ueri quàm conscia mens est,
Accersunt furias in sua fata graues.
Sic crepuit tigno dum rumpitur ilia Iudas,
Pœna uenit grauior quò magè sera uenit.
Aspice mugitu Latomum sub morte fatentem
Se quoq; iustorum sanguinis esse reum.
Tu quoq; qui flores, fato marcebis acerbo,
Successum impietas nescit habere diu.
Sed nos Christe doce, uiresq; uocantibus adde,
Floreat æterno nomen honore tuum.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, IACOBUS Milichius artis Medicæ Doctor.

ET iam ipsa magnitudo calamitatum generis humani in hac breui uita, testimonium est de uentura uita. Quia nequaq̃ consentaneum est, hanc præstantem naturam humanam, tantum ad has miserias conditam esse. Sed doctrina Ecclesiæ, & causas miseriarum ostendit, & adfirmat secuturam esse æternam uitam, & huic adse-

uerationi Deus addidit testimonia, Christi, & multorum resurrectionem. Vult autem DEVS *& causas mortis, & aliarum calamitatum considerari, & rursus erigi nos, spe dulcissimæ consuetudinis in Ecclesia cœlesti, quam profecto ardentius expeteremus, si & huius uitæ confusiones intueremur, & cogitaremus, quàm dulcis futura sit illa sapientia in schola cœlesti, ubi coràm intuebimur Deum, & discemus quomodo genitus sit filius, & qualis sit copulatio diuinæ naturæ, & humanæ in filio, qualis sit spiritus Sanctus, quo nos diuinitas sibi copulat, & mirandi opificij causas, & artem cernemus. De his rebus in hac uita cum cogitat mens pia, erudita uerbo Dei, similis est Viatori, qui cum noctu iter fecit, cernens auroram, iam auidè & optat, & expectat diem. Sic nos illam cœlestem lucem expetamus.*

Hæc diligenter cogitanda sunt, & futura nos sæpè commonefaciunt. HERI *fœliciter peperit honestissima coniunx uiri excellentis, eruditione, & uirtute,* Henrici Paxmanni, *& editum filiolum læta aspexit. Postea secuta est imbecillitas puerperæ tanta, ut post aliquot horas natura superata sit, cum quidem ardenti inuocatione filij Dei, sese, maritum, filiolum, parentes, & hanc Ecclesiam Deo commendasset, extincta est.*

Cogitemus quàm fugax sit hæc uita, & petamus à Deo auxilium, & simus memores dicti, Siracidæ 5. Non differas conuersionem ad Deum, Subito enim ueniet ira Domini, *Hortamur autem Scholasticos, ut hora quarta ad funeris Ceremonias conueniant, ibi singuli Deo, & suam uitam, & Ecclesiam pia precatione commendent.* Die 7. Septemb: Anno 1556.

ΕΠΙΚΗΔΙΟΝ,

SCRIPTVM HONESTIS-

SIMÆ MATRONAE MARGA-

ridi, coniugi clarissimi uiri, domini Hen-

rici Paxmanni.

Ὦ δηλόν ὅτι πάντα δ' θνητῶν γένος,
πορεύεσα γαὺρ ἔνθα κ' ἔνθα δυσβοτος
τύχη κυλίνδετ', οὐδὲν ἔμ ταυτῷ μιὺς.
ἄδηλός ἐσθ ὁ βίος κοὐ πάμπαν ἄσατος.
πῶ ἐυτυχῶμιν ἐν πανολβίω βίω
μετ' ὀλίγον ἆυθι κοὐ ἔμ ὄμματος βίπῃ
τάχ' ἀσθενῶμιν ἄθλιοι, κοὐ ἀυτίκα
μόρω ἀνελπίσω Ζιμ' ἔσθ' ἑιμαρμιὺον
ἰκεῖν, φόωσε ἡμᾶς ἠλίω λιπεῖν.
ἐπὶλθε δ' ἐις γαῖαν ταλαιπώρος λυγρὴ

Δανάτος

θανάτου βίη δ' ἁμαρτιῶν αἰσχρὸν βάρος,
ὡς ἐκ θεοσδότοιο οἴδαμεν γραφῆς.
ὑπ' ἀνομίας γὰρ ἐφθάρη εἰκὼν θεοῦ
τῶν Ϲατανᾶ ψευδεῖτε χ' αἱμύλοις λόγοις.
ὀλώλαμεν δὲ πάντες αἰσχίστῳ μόρῳ.
ὀλέθρωτ' ἀφύκτω, εἰ σαῶσε μὴ γένος
ἠὸς θεοῦ θνητῶν λυτρωτὴς ἤπιος.
λιμὴν ἀλιτρῶν καὶ ἐς οὐρανοὺς πύλη
ἄγουσα πιστεύοντας, εὔνοος βροτοῖς
σωτήρ. ὅσοι σωτῆρι γὰρ πεποιθότες
θεόν σέβουσι πίστεϊ φρεσίνθ' ὅλαις.
σωτηρίη αὐτῶν ἐν ἐλπίδων κρατεῖ
ἀψευδέων ἐκρύφθη. εἴγε θνήσκομεν,
ἠζῶμεν, αἰεὶ κυρίῳ ἐς μὲν φίλοι,
ζῶσίν τε καὶ θνήσκουσιν οἱ πιστοὶ θεῷ
ἔστιν δ' ὅτ' ἐν τῇ ἐσχάτῃ κρίσει νεκῦς
μολόντες ἐκ τύμβων πάλιν, λάτριες θεοῦ
ζώουσιν εὖ, οἱ δυσσεβεῖς δ' ἀνδρῶν κακῶς
ἤδη δ' ἄνδρ βέλτιστε παξμάνων κλέος
ἐρρῖκε νῦν μετέχεις σύ, μοι εἰρημένων
καὶ γὰρ ἐν ἄλγεσιν δάκρυσίν τε κείμενος
μεγάλοις ἄγαν κλαίεις, φίλη ὅτι μάργαρις
ἄλοχος σέθεν καὶ σεῖο ὀφθαλμὸς βίου
θάνεν λεχὼ ὠδῖσιν, ἀρτιτόκος μάκαρ,
καὶ σοι τὰ δεσμὰ σύζυγος λύθη βίου.
ἕξεις δὲ τ' αὖ ὀδυνῶν παραμύθιον μέγα
γυνὴ θανοῦσ' ὅτ' ὀλβίως χριστῷ θάνεν

νῦν δ'

νῦν δ' ἀγγέλων ἐν οὐρανῷ παρὰ πληθεῖ
ἰσαγγέλοισε τοῖσι δεδικαιωμένοις
βροτοῖς, θεὸν κλείουσα ἀμβρότῳ ὀπῒ
τ' ἄμβροτον ζῆ, ζήσεται κἀκεῖ ἀεὶ:
ἀπιοῦσα δ' ἐκ κόσμου εἰς πατρίδος πέδον
κάλλειπε μὲν τ' ἔρωτος ἀῤῥαβῶνά σοι
ἦλόν, σὲ δὴ τέρψειεν αὐτὸς εἰσαεί:
νῦν, καὶ ἔπειτα, πατέρα, καὶ ἐν γήραϊ:
χρὴ ἄρ ἑταῖρε σε τόδε πᾶν πράως φέρειν
ὅ, τ' ἔγεντόσοι θέλοντος ἵλεω θεοῦ,
θέλημά τ' αὐτοῦ εὐσεβῶς σοφαῖς φρεσὶν
στέργειν, ἐπαινεῖν τ'. ἐστὶ δ' οὐδεὶς πάμμακαρ,
κεῖ μὲν εὐγενῶν θυγατὴρ σὴ μάργαρις
ἁγνὴ γυνήων. φιλτάτη τ' σοὶ φάος,
κεκτημένη τ' μαργάριτον τίμιον
λόγου θεοπνεύστου, ὁμώνυμος δὲ τοῦ
οἴκουρος ἦν, σαόφρων, εὐσεβὴς γυνή,
ἀρετῇσι κοσμηθεῖσα, ὥστε καὶ πέλειν
αὐτὴν κάτοπτρον καὶ παράδειγμα τοῖς τρὸ-
ἄλλαις, φιλανδροι, ὥσ' ἵν' ἀιεὶ καγαθαί. (ποις
δέμας καθεύδει καὶ κόνις γενήσεται.
ψυχὴ δ' ἀγήρως ζῆ κλέοσθ', ἅπαν μένει.
βίον δ' ἄγωμεν ἡμεες θεῷ φίλον
ἐν ἁγνότητι, τοῦ θανάτου μεμνημένοι.

16. Octob:

Iohannes Chesselius.

ANNO 1556.

ALIVD SCRIPTVM AB HENRICO MOLLERO.

MArgaris hîc grauibus mundi defuncta pe
Maiorũ tumbis associata iacet. (riclis,
Crappius Albinæ consul celeberrimus ur=
Ipsam legitima de genitrice tulit. (bis
Cum qua pubentes sic imbuit ipsius annos,
Vt fuerit domui pulchra corona suæ:
Moribus ac illis ornata domiq; foriſq;,
Quos in uirginibus conuenit esse pijs.
Post matura uiro, celebri clarissime fama
Est Paxmanne tui facta marita tori.
Vxor & officio talem se præbuit omni,
Matronæ speculum posset ut esse probæ.
Casta, modesta, domus rectrix studiosa, mariti
Auxilium, frugi, comis, honesta fuit.
Sed conata tori primum grauis edere pignus,
Ancipiti partus uicta labore cadit.
Et linquens uiduo prolem gemituſq; marito,
In terræ posuit corpus inane sinu.
Vnde breui lituis cœlestibus excita surget,
Et stabit coram iudice læta Deo.
Nam Mediatoris Christi se morte redemptam
Promissum cœli nouit habere locum.
Aeternæ Christo consortes auspice lucis
Omnes, in Domino qui moriuntur, erunt.

Henricus

HEINRICVS PAXMANNVS SVIS AVDITORIBVS S. D.

Πάντα πρόσδοκᾶν δεῖ ἄνδρωπον ὄντα, *inquit* Xenophon. *Tanta enim est rerum humanarum incertitudo & fragilitas, ut nulla sit tanta calamitas, quæ non cuiq; euenire possit. Id ego hactenus aliorum exemplis lectis, & uisis edoctus, nunc reipsa in hoc meo tristissimo casu comperi:* Qui cùm diuina bonitate essem donatus *mascula prole, mediocriter facili partu coniugis, & iam lætus Deo gratias agerem, quasi perfunctus sollicitudine & curis, quas instantis partus periculum mihi attulerat:* Ecce dilectissima mea *coniunx superata doloribus, exhausto uiribus corpore, præter omnem meam, & aliorum opinionem occumbit. Inflictum est igitur cordi meo uulnus acerbissimum immaturo hoc obitu coniugis dulcissimæ, fœminæ optimæ, matrisfamilias diligentissimæ, in qua uirtutes omnes, matrona honesta dignæ, elucebant:* pudicitia, uerecundia, *modestia, taciturnitas, grauitas, temperantia, sedulitas, parsimonia, beneficentia erga pauperes. Has uirtutes me uerè de ipsa prædicare norunt omnes mihi domestica familiaritate iuncti. Quid ergo dicam de obsequio, reuerentia, amore illius, quo*

me maritum semper est ardentißimo prosecuta? Quid uerò de summa pietate erga parentes, à quibus gaudebat se honestè, & optima disciplina educatam esse? Quid deniq; de studio religionis, & amore uerbi diuini, quod semper fecit maximi, & suam pietatem erga Deum, præcipuè ante partum, cum animus ipsius præsagiret hanc migrationem, & in ipso agone post partum, declarauit uera, & ardenti Dei inuocatione, & commemoratione aliquot insignium dictorum filij Dei, quibus fidem suam, de remißione peccatorum gratuita confirmabat, & sese erigebat in spem fœlicis liberationis, & certæ hæreditatis uitæ æternæ. Talem coniugem cum habuerim honesto loco natam, optimè educatam, uirtutibus ornatißimam, & uerè sanctam, mei uerò amantißimam, & spem numerosæ sobolis præbentem, non possum non ex animo dolere, eam consortem uitæ, & sociam inuocationis, mihi, parentibus uerò filiam obsequentißimam, & dilectißimam, filiolo deniq; meo matrem carißimam tam citò, & inopinatò ereptam esse. Etsi autem dolori repugno, certò persuasus uerbo Dei, eam ex numero illorum paruulorum esse, quos Christus ad se adduci iubet, quorum prædicat esse regnum cœlorum: & me consolor præcipuè dicto Pauli, affirmantis, Mulierem saluari per filiorum generationem, si manserint in fide,

fide, dilectione, castitate, & tempe-
rantia, quæ uirtutes profectò in ea illustres fu-
erunt: tamen cogitans hanc meam incomparabi-
lem iacturam, & uiduitatis miserias, & cernens
luctum acerbissimum parentum, quos multis no-
minibus diligo, & ueneror, Considerans etiam re-
cens editi filioli orbitatem, destituti materno ali-
mento, & nutricatione, & uerè, ut Psalmus in-
quit, à uentre matris suæ proiecti in Dominum:
Ita consternor, & debilitor, ut animum meum ad
certas operas instituere, & una in re figere cogi-
tationes nondum possim. Cogor igitur lectiones
inchoatas per aliquot dies intermittere, & rogo
auditores meos, non modo, ut hanc dilationem
æquo animo ferant, sed etiam ut ad Deum pro me
uota faciant, & orent, ut ipse me hoc acerbo ca-
su deiectum erigat & confirmet. Ego ubi primum
animum aliquantulum ad ferendum mitius hunc
tam tristem casum composuero, ad legendi labo-
rem redibo, & si quid in me est, quod discentium
studijs quoquo modo prodesse poterit, id libenter
ad iuuandos alios conferam, idq; faciam posthac eo
studiosius & promptius, quod ex summa frequen-
tia Scholasticorum in funere meo heri animaduer-
ti, eos mea miseria adfici, quod ipsum quoq; mihi
aliquam doloris leuationem attulit. Significabo au-
tem publicè, quando denuo lecturus sim. Valete.

ANNO 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS IACOBUS Milichius artis Medicæ Doctor.

IN Pannonia ſcitis rurſus mota eſſe bella Turcica, & Regis Ferdinandi filium, quod fauſtum & fœlix ſit, ducere florem Boëmicæ, & Auſtriacæ Nobilitatis in Pannoniam. Eſt autem hæc ultima & languida mundi ſenecta, in qua ruere Imperia uidemus. Cumq; Barbaries Turcica, pulcherrimam Aſiæ partem, & in Europa Thraciam, Græciam, Illyricum, & magnam Pannoniæ partem, horribiliter uaſtârit, quid impendeat Germaniæ cogitemus, niſi DEVS repreſſerit Turcos. Minitantur autem Germaniæ uaticinia. Vt igitur Deus leniat pœnas, plurimi uera conuerſione ad Deum & uera inuocatione ſeſe, & patriam, & Eccleſiam Deo commendent. ORATE, inquit filius Dei, ut poſſitis effugere uenturas pœnas. Si omnino uenient pœnæ, Quid inquiunt multi, deprecatio proderit? Imò certè profutura eſt, & propter piorum gemitus lenientur calamitates, ſicut proderant in exilio Babylonico, aßiduæ lacrymæ Ieremiæ, Danielis, & multorum piorum. Quare etiamſi multi prophani, comminationes Diuinas, & quotidiana triſtia exem-

stis exempla, derident, tamen aliqui sanabiles, sese, ad cogitationem suorum, & communium periculorum, & ad deprecationem excitent. Hæc ut maiore intentione cogitemus, funera etiam crebra nos commonefaciant. Hodie adolescens natus Noribergæ, Matthias Rettenkirchner, unicus filius suorum parentum, ex hac Academia, in cœlestem inter pias precationes vocatus est. Ad huius funus ut hora quarta conueniatis ante ædes, quarum signum est picta mola, hortamur. Die 19. Septembris, 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS
Iacobus Milichius.

Cimbricam Chersonesum, à Cimmerijs nominatam esse, & ueteres iudicârunt, & consentaneum est. Esse autem Cimmerios dictos, à filio Iaphet Gomer, nominis similitudo indicat. Dulce est autem nosse patriam, & intueri maiorum uirtutem, quantum fieri potest, cuius consideratio ad disciplinam utilis est. Cùm autem, & regnum olim in Germania tenuerint, & exercitus Teutonum, & Ambronum duxerint: necesse est fuisse eximiam Cimbrorum iusticiam, & fortitudinem. Nunc ad uetera decora addunt, hanc ue-

ram laudem, quod rectè agnoscunt, & inuocant Deum in agnitione, & fiducia domini nostri Iesu Christi. Nam & ibi Deus uoce Euangelij incorrupta colligit æternam Ecclesiam: Et status talis est, qualis describitur in Psalmo. Conueniunt Reges, & populi simul, ut seruiant domino, pij principes fouent Ecclesias, & cum eis simul rectè inuocant Deum, & curant, ut in Ecclesijs concordia sit, & subditi excolantur doctrina: & in gubernatione politica sint, pax, iusticia, & honesti mores. Tali statu nihil melius est in genere humano. Precamur autem filium Dei, ut perpetuò & illas regiones, & nostras gubernet, & protegat. Heri autem Scholasticus Henricus Haggeus, natus in oppido Cimbricæ Chersonesi Husem, ex hac Academia, in cœlestem Academiam, ad dulcissimam consuetudinem uniuersæ cœlestis Ecclesiæ euocatus est: didicit summam doctrinæ Euangelij in patria, & in Academijs Rostochiana, & nostra. Ad hæc addidit studia artium, quæ sunt utiles Ecclesiæ: Ac pietatem animi cùm antea assidua inuocatione filij Dei, & honestis moribus declarauit, tùm uerò ardentibus uotis ostendit, in hoc diuturno morbo, in quo sese, & Ecclesiam, & parentes, ac suos Deo sæpè commendauit. Etsi ipsum in hoc numero esse, non dubitamus, de quo dictum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur:

tamen

tamen nos dolemus, militem Ecclesiæ in laboribus studiorum utilem, à nobis abductum esse, & precemur Deum, ut quàm plurima bona ingenia seruet, præsertim cum in malis, petulantia horribiliter in multis locis crescat. Vt quanq̃ tristes querelæ ad nos, de bellis in Pannonia, scriptæ sunt: tamen multi tristiores querelæ missæ sunt, de dogmatum dißidijs. Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora duodecima ad funeris Cæremonias conueniant, ante domum consulis, Hieronymi Crappij, & ibi sese singuli, & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Quis profecto magna sunt pericula, in quibus ut filius Dei nos seruet, & gubernet, petendum est.

ὦ λόγε gnate Dei nostris in mentibus adsis,
Et flatu accendas pectora nostra tuo.

Pridie Lucæ

1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Iacobus Milichius.

QVod faustum, & fœlix sit, eras eligetur Rector Academiæ, qui gubernationem semestri proximo sustineat. Mandamus igitur, ut hora septima, in Auditorio maximo renunciationi adsitis, quæ fit publicè, & propter

hanc causam, ut omnes magistratum norint, & ut moueantur Iuniores, ut discant uirtutem esse, Leges, Magistratus, & totum ordinem politicum considerare, & uenerari. Quia hæc societatis humanæ uincula, sint opera Dei, & illustria testimonia prouidentiæ diuinæ, & præsentiæ Dei inter homines. Quoties aspicimus magistratus, iudicia, pœnas, imò nidulos, in quibus habitamus, & hominum inter se contractus, mutuis compensationibus ordinatos, cogitare debemus, hunc uitæ ordinem, testimonium esse sapientiæ Dei, qui & uoluit nos mutuis officijs copulatos esse, & in his officijs discere iusticiam, & alias uirtutes, & agnoscere Deum esse autorem, & custodem huius ordinis, ut sciamus ipsum esse sapientem, ueracem, bonum, beneficum, iustum, castum, & iudicem. Et his cogitationibus accendendæ sunt mentes, ad celebrandum Deum autorem, ut gratitudinem ostendant, & ad precationem, ut hæc beneficia diu nobis tribuat. Verissima est enim uox diuina: **Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam.** Adhuc in his regionibus, Dei beneficio, mediocres sunt politiæ, sunt Ecclesiæ, doctrinarum studia, pax, iudicia, necessaria commercia, & contractus, Oeconomiæ, educatio sobolis. Atq; in magna parte generis humani, deletæ sunt Ecclesiæ, & tenebræ

sunt

sunt de Deo. Et in plurimis regnis interficiuntur, rectè inuocantes Deum. Ex uicina Pannonia, tristes querelas accipimus de bellis, Sed multò tristiores, de dißidijs dogmatum. Has tantas calamitates, ut filius Dei à nobis procul arceat, aßiduis uotis eum precemur, & petamus, ut ipse perpetuò maneat, & summus sacerdos Ecclesiarum nostrarum, & huius Academiæ Rector, Stet ipse inter nos, & sua Balsama fundat in nos, uelut in genas suas, & fimbrias, ut in Psalmo dicitur, & det omnibus docentibus ueritatis lucem, & copulet eorum pectora, uera dilectione, sicut scriptum est: **Sedet ad dexteram æterni patris, dans dona hominibus.** De his tantis rebus, & de nostris & publicis periculis sæpè, multumq; cogitantes, Cyclopicam feritatem abijciamus, & detestemur, & ad Deum pectora flectamus, & Dei templa fieri nos petamus, doctrinæ, & uirtutum exercitijs. Quare te omnipotens Deus, æterne pater, domini nostri Iesu Christi, creator, & conseruator generis humani, unà cum filio tuo coæterno, Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu tuo sancto, sapiens, uerax, bone, benefice, iuste, caste, iudex, misericors, & liberrime, oramus, ut propter filium, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, nostri misereatis, & nos per eum doceas, & sanctifices nostra

pectora, Spiritu tuo ſancto: propter tuam gloriam, luceat inter nos doctrinæ tuæ ueritas. Nec Mahometicæ tenebræ, nec furores Thammerici, nec alij errores, in noſtros cœtus penetrent, ſed ueras laudes Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, in tota æternitate ſonemus. Pridie Lucæ Anno 1556.

RECTORATVS NOBILITATE GENERIS, SAPIENTIA, & uirtute excellentis uiri, D. Melchioris Faſolti à Sleſdorff. Anno 1556, à Die Lucæ uſq; ad feſtum ſanctorum Apoſtolorum, Philippi, & Iacobi, Anni 1557.

In Prælectionem Sphæræ.

INdita naturæ miracula multa Theatro,
Humanis oculis obuia mundus habet.
Motibus aſtra cient ſpectacula digna notatu,
Immotas ſtabili lege uiceſq; gerunt.
Ante uagos ſeptem finxit natura Planetas,
Et proprio uoluit quemlibet orbe uehi.
Tramite metitur ſpacia obliquo annua Phœbus,
Præſcribit metas temporibuſq; ſuas.
Ad latus huic Hermes Regum de more Satelles,
Dilectum inceſſum munit ouante Ducem.

Ingreditur

Ingreditur latere alterutro uenus aurea uultu,
Formosaq; Ducis luce serenat iter.
Cetera seu iussu impositos meditata labores,
Officio Regem turba decente colit.
Ille uiæ ueluti speculante pericula cursu,
Præcipiti socijs prævius orbe uolat.
Summa gradu hic segni superat fastigia cœli,
Incessu arguitur consilioq; genus.
Iam quasi consultatum una duo sede coacti,
Iam coëunt uno tres, quatuorue loco.
Conuentuq; cient in terrea corpora uires,
Atq; ima mutant in regione statum.
Aut ui propulsant coëunte pericula terris,
A cœli genio mota timenda uiris.
Aut obeunt rerum naturæ debita matri,
Munera, defessæ subueniuntq;, malis.
Iam sua demittunt decliui corpora motu,
Incedunt terris dum propriore gradu.
Tunc uolucri orbe uiam celebrat, maturaq; metæ,
Assequitur cursu non remorante cohors.
Hic post certa redit mos interualla planetis,
Has rota naturæ postulat ægra uices.
Ascensu superant iam summa cacumina cœli,
Et sese elato protinus orbe trahunt.
Hæc motu natura uagis tantum insita stellis,
Non, quæ fixa suis orbibus astra uolant.

Quorum

Quorum obitu facies pars numq̃ occultet apertas
Oceaniue caput mersa liquore madet.
Altera diuerso cœli gauisa meatu,
Tecta sub Austriaco cardine turba latet.
Æquoreisq; comas humens nunquã exit ab undis,
Perpetuò sidus sed Boriale fugit.
Vrsæ cui nomen formæ ratione uetustas,
A bouis aspectu ruricolæue dedit.
Cernimus aduersa quasdam regione sepultas,
Nocte, die claræ quæ redeunte patent.
Summa poli quendam gradiente per auia Phœbo,
Immersæ tenebris è regione latent.
At quas infixas sibi deuehit orbita stellas,
Promouet impositos ceu ratis acta uiros.
Non nisi diuerso coniunctæ errore uagatis,
Intendunt uires, exacuuntq; suas.
Namq; uno sociat cum illis sua robora tractu,
Qui proprijs uectus deuiat erro rotis.
Vicinoue gradu plures uestigia figunt,
Auxilij studio congrediturq; cohors.
Oppositi seu torquet equos Sol cardinis ortu
Seu Iubar occasu cum properante tegit:
Illarum exeritur tunc instigata planetis,
Et rerum effectu uis potiore uiget.
Hæc quia indagauit miracula tanta Prometheus
Obuiaq; humanis mentibus arte dedit.

Credibile est illi diuinæ semina mentis,
In tantum uires exeruisse suas.
Hæc quid enim maius, qua dulcior arte uoluptas,
Quæ scrutanda tibi sternit ad astra uiam?
Doctrinam illius tractantem elementa iuuentæ,
Sphæræ insignitus tradit honore liber.
Hunc mihi amore tui studiosa iuuenta uoluntas,
Pro modulo ingenij tradere, prompta subit.
Exiguæ poterunt quodcunq; in pectore uires
Vsibus hoc studij dedimus omne tui.
Fortunent nobis quem fata secunda laborem
Auspice quo fœlix cadat utrisq; Deo.

Hieronymus Osius.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

CVm die ultimo Octobris, Anno 1517. propositæ sint à Reuerendo uiro, D. Martino Luthero sententiæ, de pœnitentia, sumptæ ex limpidis fontibus doctrinæ Filij Dei, & taxatæ impostura indulgentiarum, ut Monachi nominarunt, quæ confictæ sunt tantum, ut essent aucupia, quæstus, complebitur hoc Octobri annus 39, ab illo primo classico huius magni certaminis, in quo idola pontificia reprehensa sunt, & reddita est Lux doctrinæ, & ut fit, bella ex bellis nata sunt,

sunt, diaboli passim excitarunt leuia, & peruersa ingenia, contra ueritatem. Mox initiò Anabaptistæ monstrosas opiniones finxerunt, ac politicum ordinem damnarunt. Postea seditiones mouerunt, ut nouas politias constituerent. Secutæ sunt Viperæ, qui transformant Euangelium in Allegorias, & in Mahometicas blasphemias, negant filium Dei esse, λόγον ἐνφυσάμενον. Enthusiastæ, Stenckefeldiani, iam publicas Cantilenas ediderunt, in quibus expressè abolent ministerium Euangelij, & iactitant ementitos adflatus. His, & alijs multis fluctibus, adsiduè quassatur Cymba filij Dei, de quibus quotidie cogitandum est, & gratiæ filio Dei agendæ sunt, sedenti ad dextram æterni patris, & danti nobis dona, quod aliquos cœtus seruat, rectè docentes, & rectè inuocantes ipsum, & quod nos clementer protegit, ne contagijs blasphemiarum, & errorum inficiamur, & ardentibus uotis quotidiè petendum est, ut pectora nostra gubernet, cum sit uitis, faciat nos palmites suos. Ad hæc uota, curam discendi adiungi oportet: Sicut Esaias inquit: Ad legem, & ad testimonium. *Profectò autem ad hanc precationem, & ad hæc studia necessaria est modestia. Temulenti uero, & noctu uelut in Bacchi orgijs discurrentes, uociferantes, & tumultuantes, Quid de Deo, de miranda missione filij Dei, & de collecti-*

one

ne Ecclesiæ, cogitare possunt? Quomodo *inuocare* Deum grassantes, uelut latrones. Scimus hos furores maximæ parti Scholasticorum ualdè displicere. Horum modestia Deo grata est: Sed nostri officij est, monere omnes. Ideo seuerè prohibemus tumultus omnes, diurnos, & nocturnos, & deprehensos, deo iuuante, seuerè puniemus. Qui quidem uident Deum ipsum regulam suam tueri. Quisquis gladium acceperit, gladio peribit. Hæ rent turbulenti in pœnis diuinitus, quia nos, cum simus inermes, non satis reprimere eos possumus. Mandamus & hoc, ut peregrini omnes, qui nondum ediderunt nomina apud Rectorem, ad eum accedant, & nomina sua edant, Quia nec tutum, nec honestum est, uagari in ciuitatibus peregrinos sine certo Magistratu. Datæ die 25 Octob: Anno 1556.

IN PRAELECTIONEM HORATII.

CArmina arguti numerosa Flacci,
Et sales gratos, lepidosq; Lusus,
Qui fluunt Dirces scatebris, dicati
Discite Musis.

Multa Lucanum leuat aura uatem,
Seu Deos laudat modulante plectro,
Seu canat reges, pueros Deorum
Et fera bella.

Pacis

Pacis aut artes placidæ, fouentes,
Palladis cœtus, hominumq; leges,
Cœlitus missas, quibus absq; norma
Et uaga uitæ.
Seu fidis princeps, strepitu latinæ
Vatis Alcæi numeros sequatur,
Barbito aut Saphus, referat camænas,
Stesichoriuè.
Tollit in cœlum uariante uersu
Artibus cultos, celebratq; amantes
Aureæ uirtutis, eosq; auaro
subtrahit orco:
Rursus & nigros notat ille mores
Ac uafer multo sale spargit urbem,
Hic ubi Arimicæ salynis alumni &
Schommate ludit.
Laurea cingendus Appollinare
Seu modos spectes teneros, rotundos
Verba seu Lympha laticis fluentis
Limpidiora.
Hunc Deo Christo duce, & adiuuante
Cras ubi æquali spacio dirempti
Vesper atq; ortus fuerint legendum
Ingrediemur.

Ionas Tintius
Hamelensis.
Decanus

DECANVS COLLEGII THEOLOGICI IOHANNES BVgenhagen Pomeranus Theologiæ Doctor, Pastor Ecclesiæ Dei in oppido VViteberga.

Die quinto Nouembris, quo die olim Zacharias, pater Iohannis Baptistæ, inter Templum & Aram, ut traditum est, quia filium Mariæ Messiam adfirmauerat, interfectus, publicè recitabitur testimonium Collegij nostri de doctrinæ uiri honesti & eruditi, Magistri Conradi Beckers Brunsuicensis. Ad eam recitationem, ut conueniant omnes Lectores, & auditores huius Academiæ, petimus. Suntq; huius officij duæ grauissimæ causæ. Primum ostendant, se uenerari ministerium Euangelicum, & studia ministerio necessaria, cùm quidem certissimum sit, sic, & non aliter colligi æternam Ecclesiam, scilicet, uoce Euangelij. Quare & Paulus nominat doctores, synergos Dei, θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί: & præceptum est diuinitus, ut erga pios doctrinæ custodes, & propagatores, imprimis officiosi simus, sicut scriptum est, ἀγαθοῦν αὐτοὺς ὑπερ ἐκ περισσοῦ ἐν ἀγάπῃ. In hoc genere officij eo magis exempla uestræ beneuolentiæ conspiciantur, quia non solùm Tyranni seuiciam

exercent in ueſtros commilitones, ſed etiam fanatici homines, miniſterium ipſum Diabolico furore aſſernantur, Vt iam Stenckefeldiani cantilenam uere ἄμουσον, contra miniſterium Euangelij, in ſuis conuiuijs Centauricis canunt. Oſtendamus igitur, nos de hoc diuino munere, & ſtudijs reuerenter ſentire. Altera cauſa eſt, ut communi precatione, & ardentibus uotis à filio Dei petamus, ut ſuæ Cymbæ in tantis fluctibus diſſidiorum opem ferat: Cùm ſit λόγος æterni patris, miſſus ad Eccleſiam, doceat nos, & ueritatem illuſtret: & cùm ſit uitis, nos palmites ſibi inſerat, & gubernet mentes noſtras. Hæc beneficia & peti iuſſit, & dari petentibus adfirmat, ſicut inquit: Quanto magis pater cœleſtis dabit ſpiritum Sanctum petentibus. Si quis aſpiciens Eccleſiæ uulnera, pertinaciam in defenſione idolorum, petulantiam in multis ingenijs, confundentibus Eccleſiam & Ethnicam colluuiem, & filio Dei bellum inferentibus, uirulentiam in multis hypocritis, diſſidia inflammantibus odio, & laxationem diſciplinæ in populo, non ualde dolet, profecto durior eſt rupibus Caucaſi.

De his publicis miſerijs fiunt in congreſſibus noſtris commonefactiones ad Iuniores, & ut magis ament ſtudia doctrinæ, & ut ſint modeſti, & ſeſe ad precationem excuſcitent, quæ & neceſſaria

ceſſaria eſt, & non eſt irrita. Sic enim inquit Dominus, de horum temporum periculis: Orate, ut poſsitis effugere uenturas calamitates. Simul etiam gratias agamus Deo, quòd in his regionibus colligit æternam Eccleſiam, & lucem Euangelij nobis tribuit, & aliquas ſeruat honeſtas politias, inter quas Brunſuicenſem politiam eſſe manifeſtum eſt.

Habet enim urbs Brunſuiga hæc bona, quæ in ciuitatibus eſſe præcipua debent, & ſunt uerè opera & dona Dei: lucem Euangelij, Eccleſiam, ſtudia literarum, honeſtas leges, iuſticiam, & ſeueram diſciplinam ciuium, artes uitæ neceſſarias, fortitudinem ad iuſticiæ & diſciplinæ defenſionem. Talium urbium ciuibus non debent deeſſe noſtra officia. Videtis in hac languida mundi ſenecta horribiliter multa regna ruere. Quare nos, qui ſumus membra Eccleſiæ Dei, magis amemus & tueamur coniunctionem, ſicut ſeueriſsime præceptum eſt de tuenda concordia, iuxta hoc dictum: Deus dilectio eſt, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo. Nihil de tuenda pia Eccleſiæ concordia dici maius poteſt. Quare ſtudeamus omnibus officijs fouere noſtrum cœtum exiguum, & ſamaritanum, & Samaritanum filium Dei, Dominum no-

strum Iesum Christum precemur, ut ipse nos doceat & gubernet, & semper Ecclesiam inter nos colligat, & eam contra Tyrannos & fanaticos Doctores defendat. DEus qui est καρδιογνώστης, scit nos quærere, ut extet, & conseruetur ad posteros, incorrupta Euangelij doctrina in his regionibus, & ut sint unum in Deo omnes harum regionum Ecclesiæ. Et extat confessio nostra, in qua si quid desideratur, semper obtulimus nos, & adhuc nos offerimus ad piam cum Ecclesijs cæteris, quæ Euangelij doctrinam sonant, deliberationem, & earum iudicijs libenter nos & subijcimus, & adiungimus. Quid gratius ac dulcius omnibus bonis mentibus esse potest, pia communicatione iudiciorum de rebus maximis, de gloria Dei, & de æterna salute hominum. Vt Siracides capite quinto inquit: **Si uideris uirum intelligentem mane properato ad eum, & gradus ianuæ eius atterat pes tuus.** Omnino prodest Ecclesiæ pios conferre iudicia, sicut scriptum est: **Si non arasſetis uitula mea, non inuenissetis.** Item: **Et tu conuersus confirma fratres tuos.**

Datæ die Nouembris tertio,
Anno 1556.

In ex-

IN EXPLICATIONEM T. LIVII

SCitum est cum primis, quod à Polybio grauissimo Historico scriptum est: μνήμας ἑτοιμοτέρας εἶναι τοῖς ἀνθρώποις διόρθωσιν, τῆς τῶν προγεγενημένων πράξεως ἐπισήμης. Cùm enim plurima ab hominibus ingenio & eloquentia claris, diuinitus excogitata, uitæ utilißima, literarum monumentis commendata sint: Tùm uerò nihil præclarius, quod ijdem omnis memoriæ res gestas literis designarunt. Qua una re plurimum mihi uidisse, & maximum monumentum ad uitam ex uirtute laudabiliterq; degendam, in medium attulisse uidentur. Cum enim sine hac scriptionis deligentia, & lumine historiæ, ac temporum descriptione, præcipuæ rerum conuersiones, imperiorum sedes, & successiones, gubernationum consilia, & exempla uirtutum ac uiciorum, pacis atq; belli artes in tenebris iacere necesse sit: non solum ijs, qui magistratus gerunt, uerum omnibus, præsertim ijs qui Ecclesiæ Dei ciues sunt, historia plurimi facienda est. Neq; enim, uel rerum initia, Ecclesiæ incunabula, & incrementa, sedem, & migrationes, neq; patefactionum diuinarum interualla, neq; quo tempore filius Dei carnem induere debuerit, aut quando

harum miseriarum finis futurus sit, sine hac cognitione, animo persequi, & complecti mente possumus. Politicam autem uitam, cum priuatam, tum publicam, omnis generis exemplis, in quibus uirtutum & uiciorum discrimen conspicitur, instruit, à quibus cùm gubernationis ratio petatur, prudentiæ politicæ magna ex parte effectrix est. Quas ob causas Cicero non iniuria historiam amplissimis uerbis laudauit, dum eam uitæ magistram, testem temporum, lucem ueritatis, uitam memoriæ, & nunciam uetustatis uocat, & Thucydides κτῆμα, ex quo benè beateq; uiuendi exempla depromenda sunt. Quod si tantæ non essent huius rei utilitates, quantas dixi, tamen liberalis uoluptatis causa cognoscendæ erant historiæ. Quid enim tam iuuat hominem, bene à naturæ constitutum, quàm omnis antiquitatis exemplæ animo repetentem, mirabiles rerum uicissitudines, humanorum negotiorum uarios incredibilesq; euentus admirari, atq; ita animum ad modestiam, & ad alias uirtutes componere? Quid suauius, cùm omnes longissimum uitæ spacium nos optemus, quàm animo per omnium ætatum interualla uagari, & fugacis huius uitæ, quasi metas proferre? Complectendum est autem continuum corpus totius mundi historiæ, quod utcunq; literarum monumentis, Dei beneficio, conseruatum est. Sacræ

litera ab initijs rerum exorsa, continuo quasi filo historiam usq; ad res Persicas pertexunt. His res Alexandri & Græcorum succedunt, quæ multa gnam scriptorum turbam inuenerunt. Inter Romanarum uerò rerum scriptores, T. Livius 746. annorum continuam historiam tanta eloquentia, & orationis grauitate conscripsit, ut imperij Romani maiestatem propemodum adæquasse uideri possit. Quintilianus propter miram in narrando iucunditatem, clarissimamq; candorem, et incredibilem ac concinnã eloquentiam Herodoto parem facere non ueretur. Quare cùm dignissimus sit, qui à studiosis, & propter rerum cognitionem, & propter lacteum orationis genus, legendo conteratur, primam eius Decadem in edibus Christiani Beyers, die Mercurij, hora octaua, explicandam ingrediar.

Ionas Tutius
Hamelen.

DE ECLIPSI LVNAE, QVÆ ERIT DIE XVII. NOVEMbris mane circiter horam secundam. Anno 1556.

VNo mense subit tenebras cùm lumen utrunq;,
Tunc gemine causæ tristia plura ferunt.

Nuper ab Eo Phœbus cum fugeret ortu,
Lux in purpurea lampade nulla fuit.
Tecta sed horribili facies ferrugine cunctos
Mortales specie terruit ipsa sua.
Ab quò res redijt, quo nunc hæc ore uidetis
Tristia mortales, quæ Deus ipse facit?
At multi dubitant oculos attollere sursum,
Ne uideant pœnæ signa propinqua suæ.
Contemnunt alij, rigidoq; in pectore cœci,
Hæc documenta negant ullius esse modi.
Sed nos scire decet, ueteres sine lumine phœbo
Conspecto casus extimuisse graues.
Res illos docuit, fuit experientia testis,
Causaq; sollicito plena timore fuit.
Quippe quid horridius proprio quàm lumine lu-
Priuatum uires non habuisse suas? (men
Quid quòd in effectu res formidabilis ipso,
Euentus affert fataq; dira graues?
Sic & ad Auroram, quo Sol à cardine surgit,
Regnabit trepidus Martis ubiq; furor.
Ille dabit pœnas, pœnas dabit ille Tyrannus,
Qui natum indigno sustulit ense suum.
Sed magis ille furit, contra quòd mente parentis
Æterni genitum bella nefanda gerit.
Turcicus est hostis, sua quem nunc fata fatigant,
Pronus in exitium iam ruit ille suum.

Non bene tranquillè post crimen uiuitur atrox,
Prospicit & pœnas qui mala tetra facit.
Quæuè salus homini furias & Erinnyas inter
Qui nulla requiem nocte dièue capit?
Atq; utinam fiant cito, quæ prædicimus hosti,
Et properent meritis tempora digna suis.
Sed neq; Germanis erit hæc securior ætas,
Aurea se nemo uiuere sede putet.
Nam Lunam tellus umbris inuoluit opacis,
Quæ nuper fratrem texit aborta suum.
Hinc non sola furens pictis Bellona sub armis,
Incutiet nostris fata dolenda plagis:
Sed quoq; præstigijs armata Sophistica rursum,
Arte noua fraudes falsaq; multa seret.
Vincere quiq; nequit, neq; uictus clade quiescit,
Celticus Hesperijs bella mouebit agris.
Ολόγε gnate Dei nostris in mentibus adsis,
Et nobis pacis munera redde tuæ.
Inq; tuo prohibe cœtu ne deleat ullus
Noticiam patris noticiamq; tui.

Zacharias Prætorius
Mansfeldensis.

ANNO 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Consolatio de pueris, & uiuentibus, & morientibus summa est, quam tradit filius Dei, Angelus magni consilij: **Non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis: Angeli eorum semper uident faciem patris.** *Protegit* DEVS *in Ecclesia uiuentem pueritiam, & addit castos angelos custodes. Hi assidui & fideles comites, certè non destituunt morientes. Et partem esse regni sui filius Dei paruulos affirmat, cùm inquit Matth.* 18: **Sinite paruulos uenire ad me, Quia talium est regnum cœlorum.**

Erat autem Reuerendi uiri, D. Iohannis Försteri, Doctoris Theologiæ, uiri integerrimi, & benemeriti de Ecclesia, filiola Margaris, *non solùm Paruula, sed etiam ex illo numero, de quo dicit Christus, Psal.* 8. *& Matth.* 21: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti tibi laudem. Didicerat iam inuocare Deum, fiducia Mediatoris, & quotidie sese, parentes & Ecclesiam Deo pia precatione commendabat, & iam literas norat: legebat historiam Euangelicam, & assiduè repetebat κατήχησιν Christianam. In hoc ætatis & piorum studiorum initio, cùm ex hac ærumnosa uita*

IIAE

sa uita euocata sit, ipsa quidem beata est, sed parentes (ut est naturalis σοργή) in magno luctu sunt, quos ut consoletur ipse filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, toto cum pectore precamur. Patri hunc moerorem accessisse ad morbum, ualdè dolemus, qui quidem & antea duas filias nuptas amisit. Sed tantæ calamitates generis humani impendent, ut minus dolere debeat, cogitans sese & suos præripi uenturis uastationibus Germaniæ, quæ denunciantur, non solùm prodigijs, ut heri παρήλια conspecta sunt: Sed multo magis hominum furoribus. Cogitet igitur uir optimus dictum illud, Esa. 33: Iusti colliguntur, ne uideant uentura mala. Quæ quidem ut nobis leniat filius Dei, assiduè petendum est.

Die 7. Decembris.
Anno 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HOdie hora nona, in eodem tumulo sepelientur exuuiæ Reuerendi uiri, Domini IOHANNIS Fórsteri, Doctoris Theologiæ, & filiæ ipsius adolescentulæ MARGARIDOS, quæ ei carissima fuit. Pridie ante patris mortem, filia ex hac uita euocata est: Pater

cùm

cùm diu ægrotasset, languidior etiam factus dolore, quem ei paterna σοφγή propter filiæ mortem attulerat, postridie cùm sese & Ecclesiam domesticam & publicam ardentissimis uotis filio Dei commendasset, ex hac ærumnosa uita decessit.

Natus est honestis parentibus in urbe Augusta Rhetica, ubi adhuc frater eius uiuit. In Academia Bauarica Capnionis auditor fuit, qui cum in illa senecta, & postremo uitæ actu, cum attigisset annum septuagesimum, diu antea sponte relictis aulis, non ut LAERTES, se in agro abdidisset, sed in Academiam inuitatus à Duce Bauarico, secessisset, maximè delectabatur studijs Iuniorum, Vt igitur quisq; maximè cupidus erat discendi, & plurima sciscitabatur, ita illi maxima comitate respondebat, & libros dabat utendos.

Erat igitur Capnioni inter auditores familiarissimus FORSTERVS, quia maius erat eius studium, quàm aliorum. Postea Lipsiæ audiuit Petrum Mosellanum, cuius oratio uerè Xenophonteam suauitatem referebat.

Egressus adolescentiam docuit aliàs linguam Ebræam, aliàs Ecclesiæ doctrinam in Academijs, & in templis.

Annos iam octo in nostra Academia multum profuit discentibus, & interpretatione Prophetarum,

for etiam factus dolo
propter filiæ mortem
& Ecclesiam dome-
mis uotis filio Dei
uita decessit.

rentibus in urbe
er eius uiuit. In
ditor fuit, qui
ite actu, cum
antea sponte
se in agro
à Duce Ba-
studijs lu-
upidus erat
illi maxima
endos.
itores fa-
ia maius
Lipsiæ
io uerò
às lim-
Aca-
mul-
pro-
rum,

phetarum, & linguæ Ebreæ propagatione, & seruiuit Ecclesijs, in iudicijs, & in inspectione.

Cumq; rectè sentiret de omnibus doctri-
næ Christianæ articulis, & abhorreret ab omni-
bus seditiosis & fanaticis opinionibus, uera fide
Deum inuocabat, in agnitione & fiducia filij Me-
diatoris, et animi pietatem omnibus honestis officijs
declarauit: Vita casta, & sobria fuit: pacem pub-
licam & nostrarum Ecclesiarum coniunctionem
semper tueri summa cura studuit: Priuatas ærum-
nas etiam placidè tulit. Et in hoc ipso morbo lenijt
sibi dolores, eruditis & pijs amicorum collo-
quijs.

Cum Reuerendus uir D. Mar-
tinus Lutherus, edidit Germanicam inter-
pretationem scripturæ Propheticæ & Apostoli-
cæ, adhibitus est & ipse, ut de phrasi Ebræa iudi-
caret, & in tam utili opere sæpè eius iudicium D.
Lutherus cæteris prætulit, ut in sentẽtia dulcissima,
in Hosea: Non faciam furorẽ iræ meæ:
non prorsus delebo Ephraim. Quia
Deus ego sum, non homo. In medio
tui sanctus. Nec tamen intrabo in ci-
uitatem. Hîc cùm alia multa monebat, tum uerò
hac phrasi: Non intrabo in ciuitatem: hoc pro-
priè significari dicebat: Non seruabo regnum
politicum

politicum Ephraim, seu Samariæ. Et hanc Emphasin esse in uerbo INTRANDI, ex alijs locis ostendebat.

Talis cùm fuerit Doctor Iohannes Förs-terus, amisimus uirum utilem studijs Ecclesiæ, & nobis omnibus propter ipsius candorem & pietatem carissimum. Quare luctus nostri multas graues causas habemus. Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, ut Ecclesiam, & hanc Academiam in ea, seruet & gubernet, & faciat nos uasa misericordiæ. Vos quoq; iam in funere, ad quod uos hora nona conuenire uolumus, pijs uotis & gemitibus publicam & uestram salutem Deo commendate. Anno 1556. die 9. Decembris, quo die ante annos centum & uiginti, mortuus est Sigismundus Imperator, cuius uita etiam plena laborum & ærumnarum fuit.

EPITAPHIVM REVERENDI VIRI, D. IOHANNIS FORSTERI, Theologiæ Doctoris.

Hæc tegit exuuias Förfteri tumba Iohannis,
Qui celebris sacra Doctor in arte fuit.
Ediderunt ipsum clari uirtute parentes,
Qua Lycus Augustæ mœnia celsa rigat.

Quorum

Quorum consilio Musisq; Deoq; dicatus,
Ad tantum summo creuit honore virum.
Sed disciplinas quamuis raperetur ad omnes,
Cùm puer inciperet Musica castra sequi:
Diuino tamen ipsius mens numine tracta est,
Vt veri caperet dogmata nosse Dei.
Ergo Palestinæ decus & mysteria linguæ
Ipsi præ reliquis discere cura fuit.
Huic & Boiorum vigil in ditione vacauit,
Instructus monitis Capnio docte tuis.
Mox etiam, studijs aliquò progressus & annis,
Distribuit partas ipse decenter opes.
Et fido monstrans Ebræos indice fontes,
Ingenij laudem iudicijq; tulit.
Vt quoq; Teutonico vertens sermone Lutherum
Biblia, Försteri sæpè sit vsus ope.
Ipsum præterea cœlestia verba docentem,
Viderunt multis templa scholæq; locis.
Quatuor & totidem confecit Cynthius annos,
Dum docet Albinæ clara lycæa scholæ.
Explicuit nitida sacros grauitate Prophetas,
Interpres linguæ gens Solymæa tuæ.
Et procul inspiciens mores operasq; docentum,
Et spargi in populo dira venena cauens:
Sæpius externas legatus abiuit ad oras,
Multa ferens operæ tædia, multa viæ.

Quid

Quid loquar, arbitrio quàm disceptauerit æquo,
Si qua fuit sacro Lis dirimenda foro?
Non auræ studio popularis bella mouebat,
Purus & in niueo pectore candor erat.
Et casti mores semper sine labe fuerunt.
Castorum norat uota placere Deo.
Cùm præstans igitur Doctores uixerit inter,
Ingenij propter iudicijq; decus.
Officijsq; bonis uitamq; fidemq; probarit,
Insigni cedens à pietate nihil.
Tradideritq; suam linguaq; & mente salutem,
In Christi moriens agnitione, Deo:
Ergo fauore Dei superas euectus in arces,
Doctorum sanctis assidet ipse choris.
Quodq; pijs semper uotis, & mente cupiuit,
Conspectu fruitur lætitiaq; Dei.

Henricus Mollerus
Hessus.

ALIVD EPITA-
PHIVM.

Χθιζὸν χωδὲς ἔκμ, ἐμε σήμερον εἴλετο μοῖρα,
οὐκ ἀγαθῶμ δάνατ@ φείδεται, ἀλλὰ κακῶμ.
ἐυσεἰὲς ἐυσάεμωμ ἀιεῖ, ϐροτομ ἄνδρα τελευτήμ,
χρὴ ϐιότοιο σκοπεῖμ, πᾶσ ϐιος ὅστ βραχύς.

NUM

Ναυὶ θανῶν κατάκειμαι, ὅμως ἐμοὶ ἐλπὶς ἰδέσθαι,
ἀκάματον δοξῆς ἀϊδίοιο χαραν.
οἶδα γὰρ, ὅτι ζάει σωτὴρ ἐμὸς ἀϊθέρι ναίων
υἱὸς μουνογενὴς ἀθανάτοιο πατρος.
ἐκ γαίης ζωὸς νοστήσω ἐν ἐσχάτῃ ὥρῃ,
ἔμπαλι σαρκὸς ἐμῆς δέρματα ἀμφίεσω.
κάλλιον ἢ πρὶν ἔχων εἶδος καὶ κόσμον ἀθρήσω,
ὄμμασι λυτρώτην ἄντις ἐμεῖο θεόν.
εἰς αὐτοῦ χεῖρας τὸ ἐμὸν νῦν πνεῦμα τέθηκα,
πιστεύων χριστῶ ὄλβιος ἐν θανάτῳ.
ὥσπερ ὁδηγὸς ἀνὴρ ἀφαμάρτων νυκτὶ μελαίνη,
γήθεται εἰσοροῶν ἠελίοιο φαὸς:
οὕτως εὐσέβεες ποθέουσιν τοῦτο φανῆναι
ἦμαρ, ὅταν χριστὸν βλέψομεν ἐρχόμενον.

Iohannes Schelhamer
Staffelsteinensis.

ANNO 1556.

IN QVARTVM LIBRVM DIALECTICES: ET IN TRA-ctatum de medio uentre in li-bro de Anima.

MVnus obibo prius, ueluti mea functio poscit.
Quæ mea sunt, faciam: Cætera cura fugit.
Christe faue, facilem studijs concedito cursum,
Fac mea ne nimiam sit mora passa moram.
Compensare libet, si quæ neglecta uidentur,
Christe mihi flatus si fauet aura tui.
Ergo bis senam quando signauerit horam
Phœbus, ad inceptum Musa recurret opus.
Materiæq; locos addictos illa legendæ,
Tradendos statuet muneris esse sui.
Hos nostra absoluit quarto Dialectica libro,
Quem penès erigitur plenior artis honor.
Postea me tandem supra præcordia tollam,
Tertia cùm fines exiget hora suos.
Structuram cordis uario flagrantis ab æstu,
(Sic iubet ordo) tuo munere musa refert.
Fabrica mira tibi rerum studiose bonarum,
Quæ superat sensus, conspicienda datur.
Quare illis, nostri quos iuuit & antè laboris
Sedulitas, aditus copia plena patet.
Tu modò sis gratus, sic crescet cura, fideq;,
Nec tibi nomen atrox officiperda uenit.

Viue

Vive diu, studijsq; bonis impendito curam,
Dispeream, si te pœnituisse queat.

10. Decemb:

Nicolaus Selneccerus
Noribergensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

IN aulâ inclyti Principis, Electoris Marchionis, Ioachimi secundi &c. Vir honestus est, Alexander Voit, qui ad cæteras uirtutes etiam doctrinarum amorem adiunxit.

Est autem præcipuus pincerna, cuius fides *Principi ualdè grata est. Eius uiri filius, Thomas Voit, heri ex hac Academia, in cœlestem euocatus est. Studiosè enim didicit doctrinam Ecclesiæ, & Deum rectè inuocauit in agnitione & fiducia filij Mediatoris, & pietatem animi, cum antea honestis moribus: tum uerò in hoc agone perspicuis testimonijs ostendit. Quotidie enim & repetiuit piam confessionem, & plurimas sententias, quibus fidem confirmauit: & alacritas eius ostendit fidei & spei in eo robur. Sæpè recitauit dictum Iob 13:* Etiamsi occidet me, sperabo in eum. *Et in quadam*

luctu exclamauit, deletum esse Chirographũ, quod nos accusat, & diabolos in triumpho ductos esse. Nihil igitur, inquit, iuris aduersus me habet Tyrannus, hostis filij Dei. Fuitq; totus hic mensis, quo decubuit, iuge sacrificium, quo & laudes filij Dei recitauit, & ostendit se in eo acquiescere, & ei læto pectore uelle parêre. Iussit etiam gratias agi parentibus, cum pro cæteris beneficijs, tum pro hoc præcipuo bono, quòd curassent cum eruditi: pijs precibus etiam ipsos parentes, fratres, sorores, Ecclesiam & patriam Deo commendauit. Talis cùm fuerit migratio, parentes hac consolatione medeantur suo dolori, quæ inquit Apoc. 14. cap: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Et sciant Deum utrunq; uelle, & ut dolore adficiamur orbati nostris, & ut dolorem moderemur, præsertim cùm uidimus Dei præsentiam in agone nostrorum, cùm piam confessionem eorum, láudes Dei, inuocationem, & læticiam acquiescentem in Deo, quæ sunt initium æternæ salutis, conspeximus. Pro his bonis Deo gratiæ agendæ sunt. Nos autem doleamus, tali milite Ecclesiam in hac uita orbatam esse, & petamus, ut Deus multa bona ingenia seruet, & faciat nos ipsos uasa misericordiæ, & organa salutaria. Hæc in funere, ad quod uos hora tertia, ante ædes uiri honesti

& eruditi,

& eruditi, Magistri Iohannis Knor, conuenire uolumus, uera precatione petenda sunt. Die 10. Decembris: Anno M. D. LVI.

EPIGRAMMA DE MONARCHIIS.

ASpicis ut iaceant disiecti membra Coloßi,
Qui Chaldea olim uisus in arce fuit.
Stat tantùm pars ima pedũ, ferroq; lutoq;
Mixta, statim rimis corruitura suis.
Deleuere urbes Turci populosq; potentes,
Sunt igitur ferrum, cætera regna lutum.
Sed lapis absq; manu celso de monte reuulsus,
Mox aderit iudex filius ipse Dei.
Totius & plantæ delens ferrumq; lutumq;,
Regna dabit populo non peritura suo.
Ergo Dei Gnato se dedant pectora nostra,
Ipsius & discant iussa uerenda sequi.
O AÓTE gnate Dei nostris in mentibus adsis,
Et flatu accendas pectora nostra tuo.

Philippus Melanthon
VViteberg æ 12. Decemb:
Anno 1556.

ANNO 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NEruus est Iurisdictionis autoritas Vadimonij, quod nominant ἄρεσον, quando decreto Magistratus retinentur hi, qui accusati sunt, & iubentur certo die in iudicium uenire. De hoc neruo Iurisdictionis hoc quoq; cogitandum est, quod uox diuina inquit, Roma. 13: **Necesse est obedire, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.** Notum est etiam, quæ pœna in legibus nostris constituta sit. Iussus est autem edicto Rectoris hîc manere, & uenire in Iudicium constituto die, N. N. Id cùm non fecerit, etsi iam de pœna pronunciare poteramus, tamen prius eum audire uolumus, & rursus uocamus eum in iudicium, ac mandamus, ut die uicesimo secundo Decembris, hora duodecima in domo Academiæ, in qua est auditorium Iurisconsultorum, ad Rectorem & ad cæteros conuocatos accedat, ubi & causam dicat, cur Aresto non obtemperauerit, & respondeat accusantibus eius petulantiam, quæ, si narratio uera est, seuere punienda est. Virum honestum, ciuem noctu magnis uociferationibus plenis conuiciorum ex proprijs ædibus euocatum, ad dimicandum prouocauit. Addidit & contumelioſa dicta, contra honestam

stam uirginem. Etiã in bellis, et in urbium populationibus honesti milites semper & defenderunt et defendũt honestas matronas et uirgines. Alexãder laudauit Timocleam Thebanam, quę interfecerat ducem, qui eam inhoneste compellauerat. Consaluus Caroli Quinti Augusti legatus, lenuæ manu sua militem interfecit, cuius in familia honesta, turpis conatus fuerat. Ipse Imperator Carolus ante decennium cùm ei indicatum esset, in familia nobili quędam indigna feciſſe Farneſiũ Pontificiarum copiarum ductorem, dixit, si adesset Farnesius, manu sua se interfecturum ipsum, & mandauit, ut mox ex castris discederet. Nunc̃ placidissimũ Imperatorem maiorem, iræ significationem præbuisse aiunt. Aurelianus Imperator militem, qui iura hospitij erga hospitam non seruauerat, alligatum duabus arboribus inflexis dilacerauit. Ac possent multa huius generis honesta iudicia recitari, quæ prohibent matronas & uirgines contumelia afficere. Nec nos officio nostro, re cognita, defuturi sumus. Die 14. Decemb. 1556.

ANNO 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

VT grauidæ fœtus ſedet intra uiſcera matris,
Solis & uſuræ commoda nulla uidet.
Viuit & interea materni munere lactis,
E Cotylisq́; ſuum colligit uſq́; cibum.
Hæc ita, cùm nondum ſuperas Eccleſia ſedes
Incolit, ut fœtus, clauſa ſubinde manet.
Hanc ſuſtentat, alit, claudit, fouet atq́; gubernat
Vox Euangelij pura, profeſſa Deum.
Nec ſatis in tanta mentis caligine nouit,
Nos foueat patria quàm bonitate Deus.
Nec ſatis agnoſcit cœleſtis munera uitæ,
Ætherea reſtent commoda quanta ſcholæ.
Non oculis etiam præſentibus ora tuetur,
Aſpectu fruitur nec propiore Dei.
Interea credit diuini dogmata uerbi,
Nos quæcunq́; Dei de pietate docent.
Credit ut ætherea nobis ſit miſſus ab arce,
Sumpſerit atq́; hominis mẽbra tenella λόγος.
Credit & ut patri placauerit hoſtia mundum,
Ne Phlegetontæis præda daretur aquis.
Nos ſimul, æternæ tangit quos cura ſalutis,
Hæc etiam tota credere mente decet.
Atq́; Deo grato perſoluere pectore grates,
Eſſe ſuo ſaluos nos quòd amore uelit.

Huius

Huius & humanos quòd filius induat artus,
Et Deus in fragili corpore fiat homo.
Ipsius ut partu patefiat denuo cœli,
Oppositis fuerat quæ uia clausa seris.
Et quasi filiolos iterum clementer adoptet,
Mortis inassuetum qui subiere iugum.
Cumq; ministerio Christus sibi colligat agmen,
Hæc Euangelij uox ubi pura sonat:
Nos etiam merito ueneremur honore ministros,
Qui nos de uera relligione docent.
Afferat ergo pijs precibus eras munus ad aram
Quisq; ministerium qui reuerenter amat.
Vnanimisq; Deum nobiscum uoce precetur,
Vt regat is uerbo pectora nostra suo.

Scriptum à Vito Iacobæo
Noribergensi.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA ANNO 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Melchior Fasolt.

SÆpè monet uox diuina, Ecclesiam in genere humano exiguam esse, & maximam hominum multitudinem horribili furore inimicam esse

Deo. Illud etiam ualdè mirum est, q̃ ſumma imperia plerunq; belligerantur cum Deo: ac multo magis mirum est, quòd poſtremo mundi tempore horribile Imperium Mahometicum nominatim contra filium Dei exortum est.

Hæc enim prima & præcipua fuit & est Imperij Mahometici tuba, blaſphemia Ebionea, quam poſtea Samoſatenus & aliæ furiæ repetiuerunt, donec factio creuit. Et ſic fit: ταχεία πεδὼ τῶν κακῶν ὁδοιπορεῖ. Teneamus autem hanc ueriſſimam conſolationem, Impoßibile eſſe hanc colluuiem eſſe populum Dei, quæ palàm & publica profeßione abijcit libros Prophcticos & Apoſtolicos. Id cùm faciant Mahometiſtæ, certò ſtatuamus eos eſſe hoſtes Eccleſiæ Dei: & cùm tanta ſit multitudo eius ſectæ, & tanta regni potentia, cogitemus & ingens odium eſſe in diabolis aduerſus filium Dei, & magnam eſſe diabolorum potentiam. Contagia etiam Mahometicæ blaſphemiæ ſumma uigilantia uitemus, & nos inuocatione filij Dei confirmemus, ſicut Iacob precatur: **Benedicat his pueris angelus, qui liberauit me ex omnibus malis.** Hunc filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου ἀϊδίου πατρός, inuocamus, ut nos doceat, gubernet & ſeruet, ſicut ipſe inquit, ſe ueniſſe in hunc mundum, ut nos ſua luce erudiat. **Semper adfuit Eccleſiæ**

Ecclesiæ λόγ☉, inquit Irenæus. Et Paulus expreßè ait: Christum adfuisse populo in deserto. Citat Theoderetus multorum uetustorum dicta, & disertè inquit de secunda personæ diuinitatis, πρὸ δὲ τῆς ἐναν θρωπήσεως θεὸς, καὶ θεοῦ υἱὸς, καὶ μονογενὴς, ὡς θεὸς λόγ☉ ὠνομάζετο. Pagina 22. Deinde accommodat dictum: ᾧ ἀρχὴ πρὸ ὁ λόγ☉. His, & similibus testimonijs, nos assiduè in quotidiana inuocatione confirmemus contra uenena, quæ spargunt Seruetus, Conyza, Thammerus, & similes. De his tantis rebus in hoc festo præcipuè cogitandum est, & petendum ut doceamur: & Deo gratiæ agendæ sunt, quòd hoc tàm mirum fœdus nobiscum fecit, copulationem diuinæ & humanæ naturæ, quæ certißimum testimonium est immensi amoris in Deo erga nos. Est autem hic ipsius filius, magni consilij Angelus, proferens Euangelium ex sinu æterni patris, & colligens Ecclesiam uoce Euangelij. Vult igitur et esse ministros, qui sonet Euangelij uocem, & uult eos non despici ab auditoribus.

Quare ut exempli causa ostendatis signum reuerentiæ erga Euangelij ministros, cras ad Aram singuli sua munera adferant.

Vt autem mentes compositæ sint ad inuocationem, imò ut ostendant, se in magno dolore esse, quòd

quòd filius Dei contumelijs adficitur à maxima multitudine hominum, et quòd seruntur contagia malarum opinionum, præcipimus ut sitis modesti, & uota & gemitus uestros Deo offeratis, ut nos omnes doceat, & suam Ecclesiam seruet, nec sinat auelli à filio, Domino nostro Iesu Christo, nato ex uirgine, qui caput est Ecclesiæ, perficiens bona in omnibus, qui eum inuocant. Psalmus totum genus humanum alloquitur, inquiens: Osculamini filium. Rectè agnoscamus eum, & uera eum reuerentia celebremus, & hanc reuerentiam ostendamus inuocatione, gratiarum actione, doloribus nostris, & modestia morum. Prohibemus & ludos indecoros omnes, ac nominatim laruatorum discursationes, qui mußitantes irrumpunt in alienas domos. Per sese est turpis mußitatio, & indigna honestorum congreßibus, & insidiosa est, cùm ignoti in alienas domos penetrant. Ac profectò, Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit. Multæ honestæ familiæ in multis regionibus fame contabescunt. Turci uastant uicinam Pannoniam, & Germaniæ minitantur. In ipsa Germania sunt intestinæ dissensiones, in quibus uidemus prorsus hoc accidere, quod olim dictum est: σάσις ἐμφύλιος ἐς ἑκάτερα πανδήμ, πρὸς ὁμοίαν φθοράν. Et obruitur ueritas, & Deus contumelia adficitur à multis, qui manifestos

errores

errores tuentur. Qui uolunt igitur ueræ Ecclesiæ membra esse, adficiantur piorum dolore, & suâ modestia ostendant se adfici mœrore propter Ecclesiæ uulnera, & suâ uota & gemitus cum pijs coniungere.

Repetimus etiam Edictum de Locatione. Quidam in ædibus Academiæ tradunt habitationes alijs, priuato arbitrio, ignorantibus Magistris quibus locatio commendata est. Hanc temeritatem prohibemus, & locationes factas nescientibus Magistris, quibus commendata est locatio, irritas esse pronunciamus. Quæ barbaries est, in alieno uelle habitare, nescientibus ijs, quibus ædium inspectio commendata est? Iura hospitij uult Deus intelligi, & seruari. Et honesta uetustas sensit Deo curæ esse iura hospitij, sicut Homerus inquit, ζεὺς ξεῖνοδίκης ἐπιτιμήτωρ ἠδὲ τάων τε ξεινόων τε. Etsi scimus in tanta infirmitate naturæ humanæ, & in tantis confusionibus temporum, & inter tot hostes multis modis impediri nostros labores in docendo, tamen uos iudicare potestis, proponi uobis doctrinam necessariam mediocri assiduitate: quia & seruari Ecclesiam, & esse instructam eruditione, maximè optamus.

Idem uos quoq; uelle necesse est. Quare ne dissipentur cœtus docentium & discentium, iusta officia ad tuendam societatem præstanda sunt, & assiduè

assiduè orandus est filius Dei, ut ipse docentium & discentium mentes regat, & Ecclesiam sibi perpetuò inter nos colligat. Ipse est λόγος, alloquens & seruans Ecclesiam, sicut inquit Phil. 15: **Ego sum uitis, uos palmites:** & simul assidue pro nobis interpellat patrem, ut scriptum est ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν., quod enarrans **Nazianzenus** inquit. πρεσβεύει ἔτι καὶ νῦν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας.

In die quo celebratur memoria admirandæ natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, ex uirgine, qui est **Iehoua**, iusticia nostra. Initio 1557, qui annus ut sit faustus & fœlix Ecclesijs, & earum hospitijs, & piè docentibus & discentibus, faciat Deus æternus pater, Domini nostri Iesu Christi, propter suam gloriam, Amen.

AD PVERVM IESVM CHRISTVM EMANVEL.

CHriste puer nasci nostra dignate figura,
Nobiscum gaudes qui Deus esse puer.
Christe salus mundi, placidæ da tempora pacis,
Pro nobis solus tu pia bella geris.
Insidijs Satanæ, sæuisq; resiste Tyrannis,
Fidaq; militiæ membra tuere tuæ.
Vt minus à diris agitata Ecclesia monstris,
Hæreat amplexu fida ministra tuo.

ē orandus est filius Dei, ut ipse docentium
ium mentes regat, & Ecclesiam sibi perp
er nos colligat. Ipse est λόγ&, all
r seruans Ecclesiam, sicut inquit Phil. 1
m uitis, uos palmites: *& simul d*
nobis interpellat patrem, ut scriptum
ὑπὲρ ἡμῶν., quod enarrans Naz
s inquit. πρεσβεύει ἔτι καὶ νῦν ὑπ
σωτηρίας.
lie quo celebratur memoria admiranda
Domini nostri Iesu Christi, ex uirgine,
oua, *iusticia nostra. Initio 1557, qui*
faustus & fœlix Ecclesijs, & earum
piè docentibus & discentibus, facia
us pater, Domini nostri Iesu Christi
a gloriam, Amen.

VERVM IESVM
STVM EMANVEL.

uer nasci nostra dignate figura,
scum gaudes qui Deus esse puer.
alus mundi, placidæ da tempora pa
obis solus tu pia bella geris. (cis
sæuisq; resiste Tyrannis,
itiæ membra tuere tuæ.
s agitata Ecclesia monstris,
plexu fida ministra tuo.

Et

Et tibi quæ debet tranquillior oscula iungat,
Et celebret laudes hic & ubiq; tuas.
Quod si nostra lues meruit, cur seuius hostes
In nos sanguineo prælia marte gerant:
Te tamen amplexu uindex ne subtrahe nostro,
Nec nobis miseris oscula sancta nega.
Da uires animis, da nescia pectora frangi,
Vt possim in medijs hostibus esse tutus.
Non ille horrendæ sentit certamina mortis,
Cui licet amplexu claudere fata tuo.
O mihi contingat supremæ tempore uitæ,
Vltima in aspectu fata subire tuo.
Quicquid erit tandem mea spes erit unica Christus,
Huic uiuo, huic moriar, cætera curo nihil.

Iohannes Stigelius.

DE CANTICO ANGELORVM: GLORIA IN EXCELSIS DEO, &c.

QVare ad Pastores primùm uox nuncia uenit,
Angelicus summa quam tulit arce chorus?
Nempe ut præcipuè Pastores carminis huius
Gentibus autores esse ducesq; uelint.
Vt summo patri ueri reddantur honores,
Et toto fiat notus in orbe Deus:
Ac latè in mundo spargantur munera Christi,
Quæ sunt placati pignora certa patris:

Et cu

Et curent, ut sit pacata Ecclesia Christi,
Concordiq; regant ore fideq; gregem.
Sit procul à Christi discordia sæua ministris,
Namq; Deus poterit non nisi pace coli.
Nulla lues ouibus tantum, non ulla uenena,
Quantum pastorum dißidia ipsa, nocent.
At generi humano tunc aurea uiuitur ætas,
Tunc animi capiunt gaudia uera pij,
Cùm summi patris est uerè patefacta uoluntas,
Et cùm nos curæ nouimus esse Deo.
Cumq; una Christum tranquilla Ecclesia uoce
Concinit, & studio laudat ubiq; pari.
Hæc præcepta dedit cœtus pastoribus ille,
Officij memores iußit & esse sui.
Quod quicunq; facit, bona uera & maxima cum-
Affert, quæq; ætas nulla abolere potest. (mis
Et quoniam angelicum mortalibus inchoat hym-
In terris uerè est angelus ipse Dei. (num,

Philippus Melanthon.

PRECATIO VT ANNVS PRÆSENS M. D. LVII. sit fœlix atq; salutaris.

IPse Deus sapiens uerbo qui cuncta creauit,
Et certis annum legibus ire iubet,

Efficiat,

Et curent, ut sit pacata Ecclesia Christi,
Concordiq; regant ore fideq; gregem.
procul à Christi discordia saeua ministris,
Namq; Deus poterit non nisi pace coli.
e lues omnibus tantum, non ulla uenena,
Quantum pastorum dissidia ipsa, nocent.
neri humano tunc aurea uiuitur aetas,
unc animi capiunt gaudia uera pij,
nmi patris est uerè patefacta uoluntas,
cùm nos cura nouimus esse Deo.
na Christum tranquilla Ecclesia uoce
cinit, & studio laudat ubiq; pari.
epta dedit coetus pastoribus ille,
tij memores iussit & esse sui.
icunq; facit, bona uera & maxima cum
rt, queq; aetas nulla abolere potest. (tis
angelicum mortalibus inchoat hym-
is uerè est angelus ipse Dei. (num,

Philippus Melanthon.

CATIO VT AN
RÆSENS M. D. LVII.
sit fœlix atq; salutaris.

Sapiens uerbo qui cuncta creauit,
rtis annum legibus ire iubet,
Efficiat

Efficiat nobis ueniens sit faustus ut annus,
Et clemens dextra nos tegat ipse sua.
Et quoniam gnatum misit, qui colligat agmen,
Cuius sit doctor, uita, caputq; λόγος.
Hic λόγος aeterno natus patre semper adesse
Et custos nobis & caput esse uelit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,
Regum praesidijs orphana & illa caret.
Sed nostram indueris miro cùm foedere massam
Gnatè Dei, semper nos tua membra tege.
Et facias, tecum nos unum ut simus in aeuum,
Vera laude tuus quo celebretur heros.

Philippus Melanthon.

ORATIO A DAVIDE VNGNAD IN SONNECK, &c. habita ad hospites suos.

GEneroſi Domini, ornatiſſimi uiri, gratias ago Deo, æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, cùm quòd me biſce diebus egreſſum ætatis annum quartum & decimum, per hoc infantiæ & puericiæ meæ clementer conſeruauit, aluit, erudijt & protexit: tùm uerò inprimis, quòd meo generoſo parenti eam uoluntatem & animum dedit, ut me in hanc laudatiſſimam Academiam, cum præceptore meo fideli & caro, mit-

tendum censeret, ubi mihi licet in hac puericia doctrinæ cœlestis summam, & honestarum artium initia à uiris doctrina, fide & usu rerum præstantißimis, haurire. Quod ego beneficium, etsi quantum sit per ætatem intelligere adhuc nequeo, tamen tanti facio, ut certò statuam, nihil mihi in hac ætate à Deo maius contingere potuisse. Hoc enim utcunq; æstimare possum, institutionem, si bona fuerit, plurimum momenti adferre, ad pietatem & eruditionem consequendam, ad iudicij formationem de rebus grauißimis, ad uirtutes deniq; omnis generis & intelligendas & amandas. Contrà si prauam institutionem nactus sis, plurimum ualere ad hauriendum contemptum religionis & honestorum studiorum, ad opinionum confusionem, & iudicij aberrationem, ad mores feros & barbaricos, deniq; ad omnis disciplinæ et honestatis odium & fugam.

Quare agnosco, me Deo plurimum debere, uel pro hoc in primis beneficio, quòd me hoc ætatis in hoc cœtu doctißimorum & optimorum uirorum educari & erudiri uoluit: Quorum ego consuetudine & sermonibus me plurimum adfici & delectari ut qualitercunq; ostenderem, hoc conuiuiolum institui: Vobisq; Præceptoribus, ac generosis æqualibus, ac amicis meis, gratias reuc-

dum conferet, ubi mihi licet in hac puericiâ
rina cœlestis summam, & honestarum artiu
itia à uiris doctrina, fide & usu rerum pra
imis, haurire. Quod ego beneficium, etsi
n sit per ætatem intelligere adhuc nequeo,
nti facio, ut certò statuam, nihil mihi in
à Deo maius contingere potuisse. Hoc
unq; æstimare possum, institutionem, si
t, plurimum momenti adferre, ad pie
eruditionem consequendam, ad iudicij
n de rebus grauissimis, ad uirtutes de
generis & intelligendas & amandas.
auam institutionem nactus sis, pluri
ad hauriendum contemptum religio
storum studiorum, ad opinionum con
r iudicij aberrationem, ad mores fe
icos, demiq; ad omnis disciplinæ et hon
& fugam.

e agnosco, me Deo plurimum de
c in primis beneficio, quòd me hoc
xtu doctissimorum & optimorum
ri & erudiri uoluit: Quorum ego
r sermonibus me plurimum adfici
ut qualitercunq; ostenderem, hoc
stitui: Vobisq; Præceptoribus, ac
libus, ac amicis meis, gratias reue
renter

renter ago, quòd uocati libenter huc accessistis,
& oro, ut hunc qualemcunq; apparatum boni
consulatis, & uestra præsentia & sermonibus me
paulo diutius frui sinatis.

Ego uicissim uobis promitto debitam re-
uerentiam & obedientiam, & memoriam bene-
ficiorum uestrorum sempiternam, coniunctam
cum studio gratitudinis, quam Deo prorogante
mihi uitam, & prouehente conatus meos, olim
erga præceptores meos non uerbis, ut nunc, sed
re ipsa declarare studebo, ubicunq; etiam locorum
me Deus collocare uoluerit, quem toto pectore
oro, ut hanc Scholam, & Ecclesiam prote-
gat, & diu florentem saluis Præce-
ptoribus conseruet, & meam
etiam uitam ac studia re-
gat, ac for-
tunet.

DIXI.

ANNO 1557.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, IN ACADEmia VVitebergensi Henricus Paxmannus.

HOrribile imperiũ Mahometi erroribus ortum,
Bella Gygantæo more nefanda gerit.
Dum negat in Christo pro nobis morte perempto,
Et reduce in uitam, Numen ineſſe λόγον.
Atq; resultantem fulgorem è luce paterna,
Qui semper primi fontis imago manet.
Id quoniam ratio non perſpicit, æmula fingit
Ipſa sibi proprium, quem putat eſſe Deum.
Aggerat horrendos Mahometica turba furores,
Et ſerit indignis impia uerba modis.
Accumulans diræ conuicia peßima linguæ,
Aduerſus numen Chriſte benigne tuum.
At quæ parua manet diuino Eccleſia nutu,
De cœlo diſcit tradita uerba ſequi.
Gratáq; pro tanto præconia tollit amore,
Quòd Deus iſtius fœderis autor adeſt.
Quo maſſam generis noſtri λόγος induit ipſe,
Et membris uitæ reddere dona cupit.
Nos etenim ueluti membra intermortua dudum,
Sopiti æterna morte, iacemus humi.
Flamma leuis ceßit, nec fulcra labantia geſtat,
Queis corpus fultum firmiter ante ſtetit.

Nunc

Nunc λόγ@ intus agens uitalia semina spirat.
Et recreat uita mortua membra noua.
Hæc non afflatu uiolenti numinis ullo,
Non cæco motu pectora rapta sciunt.
Sed Deus assiduò sacrata uolumina uolui,
Et disci ex uero dogmata fonte iubet.
Illic sparsa iacent diuini semina uerbi,
Inde salus nobis, non aliunde, uenit.

At reliquæ gentes uanissima numina iactant,
Pro Ioue quæ fingunt Saxa uorasse patrem.
Dum sordent ipsis oracula tradita cœlo,
Plusq; suæ mentis somnia uana probant:
Longa procul longo ducit uia deuia tractu
Hunc cœtum, qui non tradita scripta legit.
Viuifici spernens decreta tenacia uerbi,
Quæ λόγ@ arcano protulit ipse sinu.

Sint igitur cœtus, sint agmina sancta scholarum,
In quibus hæc semper dogmata pura sonent.
Haud unquam existit studiorum purior usus,
Haud aliàs florent dogmata uera magis:
Quàm cùm teste graui in studijs se quisq; tuetur,
Et sua iudicibus comprobat acta bonis.
Ergo censuram nostram quicunq; subire
Constituent, edant nomina, more scholæ.

ANNO 1557.

Non ulli deerit prompta & studiosa voluntas,
Perpetuò ingenijs officiosa bonis.

Initio anni
1557.

IN HERODOTVM.

LVmen est vitæ necessarium Historiæ cognitio, qua qui non instructus est, pueri instar sapit, & Antabatarum more in perpetuis vitæ tenebris versatur. Quare multiplex utilitas, coniuncta cum liberali voluptate, invitare homines studiosos debet, ut Historias diligenter legant. Est autem delectus habendus, & ex magna scriptorum turba selegendi sunt hi potissimùm, qui & rerum varietate, & orationis elegantia ac suavitate lectorem instruere possunt.

Talis est Herodotus, cui vetustas tantum tribuit, ut patrem historiæ Græcæ appellaverit. Nam historiam scripsit variam, & altissimè repetitam inde ab initio Persicæ Monarchiæ, & res ornavit optimo & suavissimo genere sermonis, quod verè est ἰωνικὸν καὶ ἄβγον. Quare cùm studiosi ab illo petere possint rerum cognitionem multiplicem, & rationem formandæ orationis, dignus est qui in manibus studiosorum versetur. Ego itaq; , ut gratificer studiosis hominibus, qui huic auscul-

auscultationi operam dederunt apud Doctißimum uirum Magistrum Henricum Mollerum, rogatus, absoluam istam partem primi Libri Herodoti, quam Magister Henricus intactam reliquit 6. Ianuarij. 1557.

Ionas Tintius
Hamelensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS
Melchior Fasolt.

CElebrat Ausonius flumen Mosellam, & cùm alias laudes recitat, tùm uerò hoc uerum decus prædicat, quòd ripa sit ornata bonis ingenijs, doctrina & uirtute ciuium.

Sic enim ait:

Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ,
Quin etiam mores & latum fronte seuera,
Ingenium, natura tuis concessit alumnis,
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones,
Aut unus tantùm iusti spectator & æqui,
Pollet Aristides, uetereſq; illustrat Athenas.

Etsi autem multi in ripa Mosellæ nati sunt, excellentes ingenijs & eruditione, tamen recentes præcipue celebrantur, Nicolaus Cusanus & Petrus Mosellanus. His iustè addimus Antonium VValterum in ea uicinia Cusanis natum.

Cusanus ad Græcæ & latinæ linguæ cognitionem addiderat tantam scientiam Mathematum, ut par fuerit summis artificibus. Extat adhuc oratio legatorum Græcorum, publicè ipsi exhibita in Basiliensi Synodo, refutans somnia de Purgatorio.

Nuper uerò Petri Mosellani in dicendo Xenophontea suauitas erat.

Noster autem Antonius ad eruditionem, & ad facultatem scribendi linguam latinam, adiunxerat ueram agnitionem & ueram inuocationem DEI, & pietatem animi exprimebat honestißimis moribus. Et cùm uitam laboribus docendi penè uniuersam impenderit, in hoc humili uitæ genere Deo seruire maluit, quàm opes & potentiam quærere, cùm quidem inuitaretur à multis ad splendidiora negotia. Sed sæpè hoc repetebat: **Elegí potius habitare in limine domus DEI, quàm in tabernaculis impiorum.** Multis igitur profuit eius labor. Mores & casti, & pleni officij fuerunt. Et ut erat pectus candidum, ita lingua alienißima fuit à maledicentia. Sæpeq; illud Ausonij, quem propter Mosellæ encomium diligebat, recitauit:

Famam quæ posset uitam lacerare bonorum,
Non finxi: Vera & si qua fuit, tacui.

Fuit &

Cusanus ad Græcæ & latinæ linguæ cu-
em addiderat tantam scientiam Mathema-
par fuerit summis artificibus. Extat adhuc
egatorum Græcorum, publicè ipsi exhibita
liensi Synodo, refutans somnia de Purga-

Nuper verò Petri Mosellani in dicendo
bonteæ suauitas erat.

Noster autem Antonius ad eruditionem,
facultatem scribendi linguam latinam, ad-
rat veram agnitionem & veram invocatio-
EI, & pietatem animi exprimebat bone-
moribus. Et cùm uitam laboribus docen-
uniuersam impenderit, in hoc humili uita
Deo servire maluit, quàm opes & potenti-
re, cùm quidem imitaretur à multis ad
negotia. Sed sæpè hoc repetebat:
rius habitare in limine do-
, quàm in tabernaculis im-
Multis igitur profuit eius labor.
i, & pleni officij fuerunt. Et ut
ndidum, ita lingua alienissima fuit
. Sæpeq; illud Ausonij, quem pro-
ncomium diligebat, recitauit:
sset uitam lacerare bonorum,
: Vera & si qua fuit, tacui.
Fuitq;

Fuitq; domestica conuersatio, non solùm doctrinarum schola, sed omnium uirtutum, & in-uocationis, & fortitudinis in multis miseriis exer-citium.

Tali collega orbati, qui non solùm docen-di labore, sed etiam pia invocatione nos iuua-bat, meritò dolemus. Ipsum verò non dubitamus in eo cœtu esse, de quo dicitur Apocalipsis 14: Beati mortui, qui in Domino mori-untur. Nam & hoc morbi tempore quotidie tam ardentibus votis sese, Ecclesiam publicam & domesticam, filio Dei commendauit, ut appareret eum diuinitus erigi, & accensa in eo esse initia vi-tæ æternæ. Cùm igitur & labores eius discenti-bus doctrinas profuerint, et uita honestissimum ex-emplum sit, memoriam eius iuniores & seniores retineant: qua in re auditores gratitudinem osten-dant. Omnes verò in exempla eius intueamur, ut eorum cogitatione nos & erudiamus, & ad virtu-tem excitemus.

Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora tertia ad templum eius piè conueniant, & ibi singuli de communibus & proprijs periculis co-gitantes, sese & Ecclesiam, & patriam Deo pijs precibus commendent. Date die 13. Ianuarij, Anno 1557.

ANNO 1557.

EPICEDION DE MORTE DOCTISSIMI VIRI, M. Antonij VValteri.

EN titubat moles iam iam tractura ruinam,
Quam rex Chaldæus uidit, & obstupuit:
Vidit eam uasta sub imagine nocte Coloßi.
Cuius non eadem forma decusq; fuit.
Iam ruit in sese, & gemitum sub pondere ducit.
Subsidensq; pedum parte tremente cadit.
Finis adest certè, mundiq; senecta laborat,
Interituq; uidet præscia signa sui:
Omnia quæ possunt edunt præludia, secum
Regnorumq; perit gloria, & omne decus.
Aspice qui squalor, quàm non æquabilis ordo
Imperijs, Ordo si tamen ullus inest:
Omnia si non sunt confusio tetra, chaosq;,
Atq; Gygantæo mixta furore ruunt.
Turca ferox uastator adest, atq; omnia sternit,
Horridaq; ex una prælia parte ciet.
Ex alia nostri laniant sua uiscera reges,
Dum fera Cadmæis cædibus ira furit.
Sic fatale malum procedens, uiribus ipsis
Crescit, & exuperans iam sibi summa tenet.
Ima pedum superant de magno uisa colosso,
Hæc rimosa tamen sunt, ruitura breui.

DION DE MOR
OCTISSIMI VIRI, M.
Antonij VValteri.

ubat moles iam iam tractura ruinam,
iam rex Chaldæus uidit, & obstupuit:
t eam uasta sub imagine nocte Colossi,
uius non eadem forma decusq; fuit.
sese, & gemitum sub pondere ducit.
ensq; pedum parte tremente cadit.
certè, mundiq; senecta laborat,
tusq; uidet præscia signa sui:
e possunt edunt præludia, secum
pramq; perit gloria, & omne decus.
ualor, quàm non æquabilis ordo
Ordo si tamen ullus inest:
unt confusio tetra, chaosq;
nt eo mixta furore ruunt.
stator adest, atq; omnia sternit,
ex una prælia parte ciet.
niant sua uiscera reges,
Cadmeis cædibus ira furit.
procedens, uiribus ipsis
exuperans iam sibi summa tenet.
rant de magno uisa colosso,
tamen sunt, ruitura breui.

Iam

Iam se collidunt, & iam collisa fatiscunt,
Soluitur ut iactum pondere hiante lutum.
Sic artes rectrixq; ruit sapientia uitæ,
Et Pietas, nullo quæ redimenda bono est.
Magna fuit mundi solertia & inclyta uirtus,
Quæ uicta ignauæ iam feritate iacent.
Omnis barbaries modò sunt, animiq; uigoris
Nil superest, dirum regnat ubiq; scelus.

Hos inter fluctus, sanctissima turba piorum
Colligitur, summo præcipiente Deo.
Ad cœlum transfertur ouans, placidamq; quietem,
Erepta ut damnis ocia tuta colat.
Ne uideat mundi mala, postremosq; furores,
Qui circum et circũ nos, latus omne premunt.
Et ueniunt rupto tumidarum ut uortice aquarum,
Diluuium, latè cùm loca sternit agris.
Sic ereptus bonos & gloria prima LVTHERVS,
Qui fidei assertor cum pietate fuit:
Occidit hic ingens Heros, & in orbe reliquit
Nos, qui turba sumus concutienda malis.
Sic et CRVCIGERVM, nuperq; amissimus ipsum
FORSTERVM, studijs & pietate graues.
Hos, simili sequeris casu VVALTERE diserte,
Et nos in tantis deseris ipse malis.
Vos Deus in cœli meliori parte locauit,
Nos hîc in terris ultima damna manent.

Sed

Sed tamen ipſe Deus ſibi parua examina ſeruat,
Filius eſt noſtrum qui regit omne genus.
Hic λόγ☞ æternus ſemper ſibi colligit agmen,
Maximus & cuſtos agminis ipſe ſui eſt.
Regna ruant, munduſq; retrò uertatur & orbis,
Ac Satanæ incenſi uis uiolenta fremat:
Attamen has inter furias mundiq; ruinas,
Turba pia eſt ipſo tuta futura Deo.
Semper erit cœtus, quem forti proteget umbra,
Cui Deus hoſpitij tecta benigna dabit.
Hic cœtus uerbi conſtans retinebit honorem,
Et pura diſcet mente uocare Deum.
Hac ſpe nos freti iam læta capeßimus ægri
Gaudia, & in cœlo mente leuante ſumus.
Scimus, & hoc nobis promittere poſſumus unum,
Quicquid erit, certè turba ſuperſtes erit.
Et licet exiguis Eccleſia uiribus aucta eſt,
Attamen eſt ipſo tuta tegente Deo.

Nunc ego VValteri primùm natalia dicam,
Quæ tulerit tantum terra locusq; uirum.
Rhenus ad Oceanum rapidis ubi curſibus errat,
Excipit & flumen clare Moſella tuum:
Hos inter fluuios paruo diſiuncta meatu,
Vrbs iacet, huic nomen lucida fecit Hyas.
FESVLA, ſic ipſam proprio uocat ore colonus,
Hæc urbs VValtero dulcis origo fuit.

Cumq;

ipſe Deus ſibi parua examina ſeruat,
eſt noſtrum qui regit omne genus.
æternus ſemper ſibi colligit agmen,
nus & cuſtos agminis ipſe ſui eſt.
nt, mundusq; retrò uertatur & orbis,
tanæ incenſi uis uiolenta fremat:
as inter furias mundiq; ruinas,
a pia eſt ipſo tuta futura Deo.
it cœtus, quem forti proteget umbra,
Deus hoſpitij teſta benigna dabit.
uerbi conſtans retinebit honorem,
ra diſcet mente uocare Deum.
s freti iam læta capeſſimus ægri
ia, & in cœlo mente leuante ſumus.
hoc nobis promittere poſſumus unum,
id erit, certè turba ſuperſtes erit.
is Eccleſia uiribus aucta eſt,
eſt ipſo tuta tegente Deo.

alteri primùm natalia dicam,
rit tantam terra locusq; uirum.
anum rapidis ubi curſibus errat,
flumen clare Moſella tuum:
s paruo diſiuncta meatu,
huic nomen lucida fecit Hyas.
ſam proprio uocat ore colonus,
Valtero dulcis origo fuit.

Cumq;

Cumq; foret ſtudijs & rebus idoneus illis,
Quæ mores ornant ingeniumq; iuuant:
Leucoream didicit primùm dimiſſus in urbem,
Hauſit & ingenij munera magna ſui.
Mox alios docuit: Tantum profecerat ardor,
Improbus & ſtudij ui ſuperantis amor.
Multiplici & rerum cùm cognitione peritus,
Doctrinæ uarium mente teneret opus:
Ad reditus ipſum magnoſq; uocauit honores,
Patria, quæ Myſtis ſacrificisq; fauet.

Ipſe ſed in ſtudijs tranquillam uiuere uitam
Maluit, atq; piè ſoluere uota Deo.
Maluit ingenuas agitare inglorius artes,
(Quamuis hinc etiam gloria digna uenit)
Quàm ſe Pontificum maculare libidine gentis,
Quæ tantùm in uentrem turba parata ſuum
Diffluit & luxu, ueluti turpiſſimus inter (eſt.
Aſſyrias olim Sardanapalus opes.
Delitijs ipſi Sybaritica uita redundat,
Et nullam curam relligionis agit.
Quemq; colat neſcit, ſed falſis tota ſepulta eſt
Idolis, uero turba profana Deo.
Deniq; perpetuò uiuit uelut Orgia Bachi,
Et celebrat Paphiæ turpia feſta Deæ.

Has animo fugiens & toto pectore ſordes
VValterus, ſocius noluit eſſe malis.

Sed

Sed potius castè casta cum coniuge uixit,
Ceu iubet æterni lex ueneranda Dei.
Magnaq; cùm laus sit teneram formare iuuentam,
Et mentem studio flectere & arte uagam:
VValterus iuuit discentes arte docendi,
Et morum exemplum quo regerentur erat.
Res est digna pio, sua sensa ostendere factis,
Atq; ipsis animum moribus exprimere.

Lympidus est Viadrus, quo non piscosior alter
Vandalicæ genti rura propinqua rigat,
Mœnia qui stringens tua Vratislauia transit,
Quæ de Schlauorum nomen adepta uado est.
Quin & Francorum ueteri de gente Colonos
Alluit, imperij qui peperere decus,
Hos Henricus eò deduxit nobilis Heros,
Qui Bambergensi natus in urbe fuit.
In mare sed tandem rumpens se exoluit ad urbem,
Clara Sidinorum quæ modò nomen habet.
Hîc gratum Musis Pomerano à stemmate nati,
Gymnasium clari constituere Duces.
Huius VValtherus rexit moderamina primus,
Duxit & huc faciles ex Helicone Deas.
Multorum ingenium doctus mollescere fecit,
Ad uitæ mores erudijtq; pios.
Quàm procul Arctoo iam nunc à littore distat
Littoris Ionij nobile Smyrna decus:

Hîc

ius castè casta cum coniuge uixit,
u iubet æterni lex ueneranda Dei.
s; cùm laus sit teneram formare inuentæ
mentem studio flectere & arte uagam:
rus iuuit discentes arte docendi,
morum exemplum quo regerentur erat.
ligna pio, sua sensa ostendere factis,
q; ipsis animum moribus exprimere.

us est Visdrus, quo non piscosior alter
ndalicæ genti rura propinqua rigat,
qui stringens tua Vratislauia transit,
æ de Schlauorum nomen adepta uado eh
Francorum ueteri de gente Colonos
uit, imperij qui peperere decus,
ius eò deduxit nobilis Heros,
mbergensi natus in urbe fuit.
ndem rumpens se exoluit ad urbem,
dinorum quæ modò nomen habet.
Iusis Pomerano à stemmate nati,
um clari constituere Duces.
erus rexit moderamina primus,
huc faciles ex Helicone Deas.
genium doctus mollescere fecit,
mores erudijtq; pios.
Arctoo iam nunc à littore distat
onij nobile Smyrna decus:

Hîc

Hîc sunt lecta tamen Smyrnæi carmina uatis,
Qui laudes Heroë gentis, & acta canit.
Hæc gens hoc tandem consedit littore pugnax,
Quam niue Parrhasio terra sub axe riget.

Hinc iterùm flauum redijt reuocatus ad Albim,
Hîc ubi Musarum culta theatra patent.
Atq; fide magna doctrinæ semina spargens,
Officijs iuuit publica castra suis.
Iudicioq; potens, & culta mente disertus,
Eloquij ostendit pondera sæpè sui.

Pacis amans temerè non exardescat in iras,
Præbeat & causam materiamq; malis.
Sic VValtherus erat pacis placidissimus autor.
Dissidij spargens semina nulla grauis.
Candorem in uerbis ac factis semper amauit,
Et nunq̃ in magnis rebus acerbus erat.
Non hîc inuenit fucosa Calumnia rictum,
Non hîc Liuor edax, malaq; fanna locum.
Famam quæ uitam posset lacerare bonorum,
Non finxit: Vera & si qua fuit, tacuit.
Vos ò uos gnati patrium retinete decorem,
Ne uos degeneres arguat ulla dies.
Vos patris & uirtus studiumq; excscitet ardens,
Vt similis possit uita referre patrem.

Consumptus uerò, magnisq; laboribus æger,
Mortuus est, morbi ui superante, Deo.

Ad

Ad cœlum superauit iter, Christumq; prehendit.
Quem uiuus coluit non dubitante fide.
Nunc agit, humanis rebus mundiq; periclis
Exemptus, uitam lucidus ante Deum.
Hæc est uera pijs æternæ Academia uitæ,
Lucis ubi nullo tempore finis erit.
Hîc propiore uidet VValterus lumine Christum,
Et uultu fruitur lætitiaq; Dei.

Iohannes Ricardus
Mansfeldensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Melchior Faſolt.

VVlt Deus esse cœtus docentium & discentium, & honestos congressus publicos in Ecclesijs instituit, & seruat ipse, qui sunt fastigia scholarum. Semper autem & adiunctæ fuerunt Ecclesijs, literarum & earum artium scholæ, quarum cognitio ad lectionem scriptorum Propheticorum & Apostolicorum, Historiarum, & aliarum utilium doctrinarum necessaria est: Ac uult Deus scholas duarum rerum magistras esse: Doctrinæ, & Disciplinæ. Videtis autem doctrinas rectè proponi, & sedulò repeti: Disciplina laxior est quàm uellemus, cuius olim fuit seueritas

ecclum superauit iter, Christumq; prehendit.
Quem uiuus coluit non dubitante fide.
agit, humanis rebus mundiq; periclis
Exemptus, uitam lucidus ante Deum.
st uera pijs eterna Academia uita,
Lucis ubi nullo tempore finis erit.
ropiore uidet VValterus lumine Christum,
Et uultu fruitur Leticiaq; Dei.

Iohannes Ricardus
Mansfeldensis.

CTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS
Melchior Fasolt.

Vlt Deus esse coetus docentium & discen-
ium, & honestos congressus publicos in
lesijs instituit, & seruat ipse, qui sunt
larum. Semper autem & adiunctæ
lesijs, literarum & earum artium
m cognitio ad lectionem scriptorum
m & Apostolicorum, Historiarum,
tilium doctrinarum necessaria est.
scholas duarum rerum magistras
& Disciplinæ. Videtis autem do-
roponi, & sedulò repeti: Disciplinam uellemus, cuius olim fuit seue-
ritas

ritas utilis moribus. Quare & Regum filij in Collegijs Ecclesiarum instituti sunt, ut Otthо secundus, Ottbonis primi Imperatoris, uiri grauissimi filius, adolescens didicit literas & Ecclesiæ doctrinam in Collegio Hildesheimensi. Ibi & in Latina lingua exercebatur, & simul assuefiebat ad exercitia lectionum, & ad precationes in templo: Propemodum ut Duces Saxoniæ nunc tres Scholas condiderunt, in quibus adolescentes & literas discunt, & pia exercitia habent in templis, & cohercери facilius possunt, quia nec ætas grandior est, nec peregrina multitudo est.

In nostris uerò Academijs præter adolescentes, qui & discunt literas, & doctrinam de Deo, & disciplinæ frenos patiuntur, & Deum rectè inuocant: sunt alij peregrini grandiores dissimiles: alij timentes Deum, & legum dignitatem intelligentes, & amantes uitæ ordinem: alij efferi, Cyclopum & Lestrigonum similes. Tales permixtos esse modestis dolemus, quos quidem potestas armata gladio tum cohercere debebat, cùm nos deprehensos ex societate nostra discedere iubemus.

Notum est autem, tranquillitatis causa legem necessariam à Duce Friderico Electore latam esse, quæ prohibet gestare arma. Nunc comperimus noctu quos-

dam uagari cum bombardis. Hæc immanitas Latrocinij similis est.

Quare seuerissimè prohibemus, & gladiorum, & spiculorum, & bombardarum usum intra mœnia, interdiu & noctu, & deprehensos tanquam alienos à nostra societate uolumus pœnis urbani Magistratus puniri.

Cùm igitur N. N. natus in N. nuper noctu & armatus fuerit bombarda, & globum eiaculatus sit, citamus eum, ad audiendam perpetuæ Exclusionis sententiam ex Academia nostra, & præcipimus ut ad Rectorem ueniat die Ianuarij proximo decimo octauo. Quòd si non uenerit, sciant omnes eum ex Academiæ societate in perpetuum exclusum esse, & uitandum esse, ut infamem & ἀλάστορα. Non potest tolerari hæc immanitas, in ciuitate, in qua leges & tranquillitatem & omnibus securitatem efficere debent, uelle latrocinia exercere.

De prouocationibus etiam legem repetimus, ac mandamus, ne quis alium ad dimicandum prouocet: & ne prouocatus adsentiatur prouocanti, nec dimicet cum eo. Vtrunq; enim exclusum à societate Academiæ uolumus. Datæ die 16. Ianuarij. 1557.

Rector

dam uagari cum bombardis. Hæc immanitas la
trocinij similis est.

Quare seuerissimè prohibemus, & gladi
um, & spiculorum, & bombardarum usum in
mnia, interdiu & noctu, & deprehensos
uam alienos à nostra societate uolamus pœna
ni Magistratus puniri.

Cùm igitur N. N. natus in N. nuper noctu
natus fuerit bombarda, & globum eiacu
sit, citamus eum, ad audiendam perpetuæ
sionis sententiam ex Academia nostra, &
imus ut ad Rectorem ueniat die Ianuarij
o decimo octauo. Quòd si non uenerit,
mnes eum ex Academiæ societate in perpe
clusum esse, & uitandum esse, ut infamem
gex. Non potest tolerari hæc immanis
ate, in qua leges & tranquillitatem
ecuritatem efficere debent, uelle la
cere.

rouocationibus etiam legem repeti
mus, ne quis alium ad dimicandum
e prouocatus adsentiatur prouocanti
t cum eo. Vtrunq; enim excludimus
ademiæ uolumus. Datæ die 16. Ia

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Melchior Fasolt.

IN Siracide descriptum est: ἐν ἀλογίσῳ ἑκάστῳ πάσιμ ἡ κοίνωσις, id est: Nemo prospicere articulum temporis potest, quo moriturus est. Etsi enim non cæco casu extinguimur, tamen uult Deus nobis ignotum esse illud momentum, quo ex hac uita discedendum est, ut semper parati simus ad illud iter. Nec pijs & paratis, subita mors summum malum esse ducatur: sed impijs, qui ante pœnitentiam opprimuntur, ut meminimus multos in adulterijs subitò interfectos. Ideo mox Siracides eodem loco inquit capite 5: Ne differas emendationem usq; ad mortem, quia subito ueniet ira. Sciamus nos omnes tanq; uadimonio obligatos, citò uenturos esse in iudicium, & illum diem nostri Vadimonij quotidiè intueamur, & simus parati ad iter. Imò auidè expetamus lucem cœlestis Academiæ, ut qui noctu iter faciunt, læti cernunt auroram, & diem expectant. Sic enim Paulus inquit Phil. 1: Cupio dissolui, & esse cum Christo.

Sic autem uixit uir honestus & eruditus,

Magiſter Ioachimus Steinuueg Lithodius, natus in inclyta urbe Stetino, *qui ſuperiore nocte ſubitò extinctus eſt, cùm Lapis, qui quomodo impulſus ſit neſcitur, decidiſſet in caput eius, ut ſperemus eum ad cœleſtis Eccleſiæ ſocietatem abductum eſſe. Qui quidem uelut præſagiens mortem biduo ante, cùm optimi uiri Antonij VValteri ſui præceptoris corpus geſtaretur ad tumulum, coniugi eius dixit, ſe breui ſecuturum eſſe præceptorem. Ac pietatem animi aßidua lectione ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum, uera inuocatione Dei, in agnitione & fiducia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & honeſta morum gubernatione declarauit. Ille etiam multa grauiter locutus eſt, de modeſtia, de uitæ periculis, & de uoluntate Dei, ſicut meminimus uirum excellentem ingenio & uirtute* Guielmum Neſenium, *quo die ueſperi in Albi mortuus eſt, totum ferè diem conſumere in diſputatione plena pietatis, de diſcrimine doctrinæ Euangelicæ & Philoſophiæ, & de cœleſtis Eccleſiæ ſtudijs, luce & lætitia, de qua filius Dei teſtimonium oſtendit reuiuiſcens ex morte, & reuocato in uitam magno agmine patrum.*

Sæpè infantes & pueri, de quibus dicitur Matth. 18: **Non eſt uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis iſtis,** *ſubitò extinguuntur*

er Ioachimus Steinueg Lith
atus in inclyta urbe Stetino, P
nocte subitò extinctus est, cùm Lapis, q
impulsus sit nescitur, decidisset in capu
eremus eum ad cœlestis Ecclesiæ societa
ctum esse. Qui quidem uelut præsagien
biduo ante, cùm optimi uiri Anton
sui præceptoris corpus gestaretur a
, coniugi eius dixit, se breui secuturum esse
rem. Ac pietatem animi assidua lectio
torum Propheticorum & Apostolicorum,
ocatione Dei, in agnitione & fiducia Do
stri Iesu Christi, & honesta morum guber
declarauit. Ille etiam multa grauiter lo
de modestia, de uitæ periculis, & de no
ei, sicut meminimus uirum excellentem
uirtute Guielmum Nesenium,
ri in Albi mortuus est, totum ferè diem
disputatione plena pietatis, de discri
e Euangelicæ & Philosophiæ, & de
ie studijs, luce & lætitia, de qua fili
nium ostendit reuiuiscens ex morte,
uitam magno agmine patrum.

infantes & pueri, de quibus dicis
Non est uoluntas patris, ut
de paruulis istis, subitò extin
guuntur

guuntur ruinis, & alijs casibus. Simit autem Deus talia exempla accidere, ut stulta securitas in nobis emendetur. Ita non de hoc Ioachimo Steinuueck secus cogitemus, sed propter nos eum sic ex hac uita euocatum esse ratiocinemur, ut nos commonefacti hoc exemplo, securitatem nostram emendemus, sicut scriptum est: **Non exprobrato alteri calamitatem. Hodie mihi, cras tibi.** Quod cùm scripsisset Rex Franciscus ad Caroli Imperatoris Symbolum, subscripsit Carolus: Homo sum, & ut cæteris hominibus tristia multa mihi accidere possunt, sed Deo me commendo.

Hortamur autem Scholasticos, ut hora duodecima ad funeris ceremonias piè conueniant ad aggerem in aditu uici Cyprij, & de suis & publicis periculis cogitantes, sese & Ecclesiam, & patriam Deo commendent.

Illud etiam præcipimus, ne quis malè loquatur de scholasticis, qui conuictores sunt ciuis, qui uicinus est Magistri Martini Simonis, qui freti testimonio suæ conscientiæ non dubitarunt Rectoris mandato parêre in exploratione signorum, quæ considerantur in talibus funeribus. Cumq; nobis omnium illorum modestia nota sit, nec ulla unq;

fuerit ſimultas inter hos & Magiſtrum Ioachimum, & ante lapſum ſaxi omnes ex hoſpitio diſceßiſſe conſtet, tribuimus eis innocentiæ teſtimonium. Datæ die 16. Ianuarij. 1557.

PETITIO ELEMOSINÆ.

INdidit Deus σοργάς humano generi, *ut ſint commonefactrices de ſuo amore erga filium, & erga nos. Ac motus illi tanti ſunt, ut poſt ſenſum iræ* Dei, *non ſit maior dolor in humano pectore, quàm is, quem parentes ſentiunt in calamitate Sobolis. Accidit autem in familia huius uiri* Vuolfgangi Laubmanni Curienſis, *ingens calamitas, quòd filius natus annos nouem, qui iam literas didicerat, triſti lapſu ex ſublimi periit. Nunc etiam à patre pecunia poſtulatur, quam ſine Elemoſinis pendere non poteſt.* Theſeus *cùm ipſe lauat interfectorũ Ducum corpora reprehenſus, quòd id ſordidum miniſterium non relinqueret ſeruis, inquit,* οὐκ ἄιχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακὰ. *Adficiamur miſericordia patris in tanto mœrore, & cogitemus certò Deum uicißim benefacere bis, qui miſericordiam exercent, ſicut ſcriptum eſt* Pſal. 40: Beatus qui intelligit

ultas inter hos & Magistrum Iodoc
ante lapsum saxi omnes ex hospitio dis
stet, tribuimus eis innocentiæ testimo
te die 16. Ianuarij. 1557.

ETITIO ELEMO
SINÆ.

it Deus σοργὴν humano generi, ut sint
nonefactrices de suo amore erga filiam,
rga nos. Ac motus illi tanti sunt, ut post
e Dei, non sit maior dolor in humano
quàm is, quem parentes sentiunt in cala
bolis. Accidit autem in familia huius uiri
rangi Laubmanni Curiensis,
nitas, quòd filius natus annos nouem,
s didicerat, tristi lapsu ex sublimi pe
am à patre pecunia postulatur, quam
s pendere non potest. Theseus
nterfectorũ Ducum corpora repre
sordidum ministerium non relin
nquit, οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων τὴν
. Adficiamur misericordia patris
re, & cogitemus certò Deum ui
e bis, qui misericordiam exercent,
t Psal. 40: Beatus qui in
telligit

telligit super egenum & pauperem.
In die mala liberabit eum Dominus.
Die 17. Ianuarij. 1557.

Philippus Melanthon.

RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS
Melchior Fasolt.

NOn solùm hi, qui noctu uigilantes bellu-
antur, lædunt uires naturales uentriculi,
Epatis & cerebri: Sed etiam illi, qui ex-
tendunt studia ab initio noctis in multas horas à
cœna. Cùm enim coctio intentione cogitationum
impediatur, & somnus arceatur, simul & uentri-
culus & cerebrum adfligitur. Quare sæpè hor-
tamur Scholasticos, ut post cœnam non diu diffe-
rant somnum, ac se paulisper oblectent, uel musi-
cis, uel iucundis sermonibus. Erasmus Rote-
rodamus iussit mihi Philippo, ut à cœna
in uniuersum à lectione & scriptione abstinerem.
Asinius Pollio nullas Epistolas, ne Augusti
quidem, resignauit à cœna. Et Plato dicit, natu-
ram imitandam esse: Vt in occasu Solis, mundi ocu-
lus clauditur, ita nos debere somnum admittere,
oculo mundi uelut clauso. Sumus experti in multis

ortos esse morbos, cruditates & insomnia ex lucubrationibus. Vt nunc amisimus ingeniosum, pium et modestum adolescentem, Iacobum Bairreuterum, natum in Valle Ioachimica, cui sumptus præbuit Vir clarissimus, sapientia & uirtute præstans, & inprimis beneficus erga studiosos doctrinarum, Nicolaus Rudiger, Senator Inclytæ urbis Vratislauiensis, & quia ingenio ualuit, & quia orphanus fuit. Fuerunt autem Iacobi mores honesti & pij, & in hoc morbo adsiduè repetitis Euangelicis promissionibus, filio Dei ardentibus uotis & sese & patronum, & patriam commendauit. Profectò enim gratitudinem debemus honestis, & urbibus, & familijs, quæ iuuant Ecclesiæ studia. Ac nominatim nunc seriò orandus est Deus, ut urbem Vratislauiam uicinam Turcicis latrocinijs protegat, quia Ecclesiam, & studia doctrinæ benignè iuuat. Hortamur autem Scholasticos, ut hora duodecima ad funeris Ceremonias piè conueniant in uico Cyprio, & sese & Ecclesiam, & patriam Deo commendent. Datæ die 18. Ianuarij. 1557.

IN LIBELLVM DE ANIMA.

HActenus immensum celebrans Ecclesia festum,
Mirata est σοφῶν consiliumq; Dei.

Quòd

morbos, eruditates & insomnia ex l
ibus. Vt nunc amisimus ingeniosum, p
festum adolescentem, Iacobum Bai
m, natum in Valle Ioachimica, c
rebuit Vir clarissimus, sapientia & uir
ans, & inprimis beneficus erga studios
um, Nicolaus Rudiger, Sena
ytæ urbis Vratislauiensis, &
io ualuit, & quia orphanus fuit. Fue
n Iacobi mores honesti & pij, & in hoc
ssiduè repetitis Euangelicis promissioni
Dei ardentibus uotis & sese & patro
patriam commendauit. Profectò enim
nem debemus honestis, & urbibus, &
que iuuant Ecclesiæ studia. Ac nomina
riò orandus est Deus, ut urbem Vra
inam Turcicis latrocinijs protegat,
m, & studia doctrinæ benignè iu
ur autem Scholasticos, ut horæ duo
eris Ceremonias piè conueniant in
& sese & Ecclesiam, & patriam
nt. Date die 18. Ianuarij. 1557.

IBELLVM DE
ANIMA.

mensum celebrans Ecclesia festum,
t sophi consilium q; Dei.

Quòd, quæ principio caruit, quæ nescia finis
Natura, æterni lux & imago patris:
Induit humanæ gestamina uilia carnis,
Et sibi iunxit opus conditor ipse suum.
Nempe infinitum finito unitur, & unum
Fit Deus è Maria uirgine natus Homo.
Quid precor esse magis mirum, quid deniq; possit
Naturæ insuetum legibus esse magis?
Et tamen ipse suos homo si consideret artus,
Inueniet tantæ signa typumq; rei.
Mens etenim in nobis diuino condita flatu,
Lucida ceu puri luminis aura micat,
Mole carens omni, uicibusq; obnoxia nullis,
Splendida diuinæ semina mentis habens.
Corpus at impura limi de parte creatum,
Massa est innumeras nata subire uices.
Atq; Elementari ueniens ab origine, motus
Labilis in cunctos, prona perire, ruit.
Hæc diuersa tamen miro coëuntia nexu,
Constituunt nostrum perficiuntq; genus.
Sic pater æterno Natum quòd gignat ab æuo,
Mirantur ueterum secula multa senum.
Nam sua concipiens quoties pater ora tuetur,
Naturam & genitor cogitat ipse suam:
Patris ad effigiem stabilis generatur imago,
Et quæ non ullo sit peritura die.

Quid tamen attonito miracula pectore uoluis,
Cùm tecum tantæ nata sit umbra rei?
Nam tua dum species agitando sensibus haustas,
Mens celeri uarias concipit arte notas:
Semper conceptus format simul ipsa figuram,
Sed quæ post actum sit peritura suum.
At tu naturæ propriæ mysteria cernens,
Inuigilans studijs docta iuuenta bonis,
Cur non mirandas ANIMÆ cognoscere uires,
Corporis & partes perdidicisse studes?
In quibus artificis bonitas, sapientia splendent,
Lucet & Archetypi dulcis imago Dei.
Quarum cognitio peperit tot commoda uitæ,
Vt non sint uersu commemoranda breui.

Ergo & in istius doctrinæ parte, laborem
Si speras nostrum posse placere tibi:
Hora ubi consuetum dederit cras tertia signum,
Accedas nostræ limina parua domus.
Efficiam (ulterius cùm non promittere detur)
Ne mihi quod tribuis tempus, imane cadat.

Die 24. Ianuarij.

Iohannes Moninger
Onoltzbacensis.

Rector

nen attonito miracula pectore uoluis,
tecum tantæ nata sit umbra rei?
lum ſpecies agitando ſenſibus hauſtas,
cekri uarias concipit arte notas:
nceptus format ſimul ipſa figuram,
uæ poſt actum ſit peritura ſuum.
ræ propriæ myſteria cernens,
ilans ſtudijs docta iuuenta bonis,
nirandas ANIMÆ cognoſcere uires,
poris & partes perdidiciſſe ſtudes?
artificis bonitas, ſapientia ſplendent,
et & Archetypi dulcis imago Dei.
n cognitio peperit tot commoda uitæ,
non ſint uerſu commemoranda breui.

in iſtius doctrinæ parte, laborem
ras noſtrum poſſe placere tibi:
ſuetum dederit cras tertia ſignum.
noſtræ limina parua domus.
rius cùm non promittere detur)
quod tribuis tempus, mane cadat.

Die 24. Ianuarij.

Iohannes Moninger
Onolzbacenſis.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Melchior Faſolt.

NIhil uſitatius eſt querelis de calamitatibus humanis: Sed nec tolluntur, nec mitigantur mala, indignatione aut ploratu. Conſideratio proſit, ut animi noſtri minus efferantur. Cauſæ etiam cogitentur in Eccleſia monſtratæ, & queratur conſolatio diuinitus tradita, ut in Deo acquieſcamus, ſicut ipſe præcipit. Vult nos agnoſcentes noſtram infirmitatem, reprimere inutiles impetus. Vult & dolere nos, ſed ſic, ut in ipſo acquieſcamus, ut ſcriptum eſt in capite 38. Siracidæ: μὴ δῷς εἰς λύπην τὴν καρδίαν σοῦ. Et Paulus inquit: ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ βραβευέτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Hæ regulæ uitæ ſint in conſpectu, & ſciamus Deo obediendum eſſe, qui ſuo conſilio ſpacia uitæ alijs longa, alijs breuia, alijs magis alijs minus placida concedit: & intueamur æternitatem, in qua rurſus conueniemus in conſuetudine dulciſſima, ad quam ſcimus etiam infantulos in Eccleſia commendatos Deo adduci, de quibus inquit filius Dei Matth. 18: Talium eſt regnum cœlorum. Item: Non eſt uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis iſtis.

Has consolationes diuinitus traditas mihi quoq; in meo luctu propono: ac oro filium Dei, ut mihi & alijs, & uniuersæ Ecclesiæ, quæ propter multorum furores in maximo dolore est, leniat ærumnas.

Fiet autem funus filiæ meæ hodie hora duodecima, ad quod ut conueniatis petimus, & ibi singuli cogitantes, & de proprijs periculis ac ærumnis, & de publicis miserijs, sese & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent. Die Ianuarij ultimo. 1557.

STVDIOSIS RHETORICES.

GRauissimum extat dictum in Platonis Phædro, quod semper in conspectu sit, et intimis pectorum thalamis infigatur: Eloquentiam esse τῷ θεῷ κεχαρισμένα λέγειν δ' ὡναδῆς. Ideo enim conditi sumus, & artes extructæ ex luce diuinitus mentibus insita, ideo nobis patefactæ sunt, ut alter alterum erudire posit de Deo, de natura rerum, & cæteris rebus bonis & salutaribus, quibus uniuersa hominum uita regitur, & conseruatur.

Excolamus igitur nostram linguam, ut sit plectrum sonans Dei laudes, Deo grata & nobis

Has consolationes diuinitus traditas mihi
meo luctu propono: ac oro filium Dei
& alijs, & uniuersæ Ecclesiæ, quæ pro
torum furores in maximo dolore est, le
nnas.

iet autem funus filiæ meæ hodie horâ duo
d quod ut conueniatis petimus, & ibi sim
antes, & de proprijs periculis ac ærum
e publicis miserijs, sese & Ecclesiam Deo
bus commendent. Die Ianuarij ultimo.

VDIOSIS RHETO-
RICES.

Sinum extat dictum in Platonis Phæ
od semper in conspectu sit, et intimis
m thalamis infigatur: Eloquentia
ὃ κεχαρισμένα λέγειν δύναται.
iti sumus, & artes extructæ ex lu
ntibus insita, ideo nobis patefactæ
terum erudire posit de Deo, de
& cæteris rebus bonis & saluta
iuersa hominum uita regitur, &

mus igitur nostram linguam, ut
ans Dei laudes, Deo grata &
nobis

nobis & alijs salutaria dicens. Cùm sæpè dicendum sit de Religione, de legum dignitate & reuerentia, de uirtute, de rerum natura, & cæteris, sine quibus genus humanum aut esse, aut saluum & bene moratum existere non potest: explicari autem, ut auditoribus tanta uideantur, quanta reuera sunt, sine sententiarum grauitate, et sine uerborum pondere nequeant: summam esse necessitatem Eloquentiæ seu qualiscunq; dicendi facultatis in Ecclesia, in foro, in scholis, & uniuersa uita, adeò perspicuum est, ut eum, qui hoc negat, uix rationis compotem, aut sanæ mentis esse existimem.

Certum est enim, Doctores in Ecclesia doctrinam cœlestem non posse recte, distinctè & ito ordine tradere, genus sermonis dextrè enarrare, corruptelas perspicuè refutare, sine dicendi facultate, sine figurarum, & phrasium cognitione, sine tota faciendæ orationis ratione.

Tota Iurisperitorum actio sermone continetur, & qui nunc præcipuè in aulis dominantur & florent, Eloquentia duce in illam dignitatis arcem ascenderunt.

Medendi facultas & eæ artes omnes quas Philosophiæ titulus complectitur, non possunt propagari, sine Methodo, sine eloquentia, seu istius formandæ, & poliendæ orationis ratione, qua

multa

multa lectione, accurata autorum obseruatione, multo dicendi scribendiq; usu, paratur.

Dixit quidam Scytha, se malle audire hinnientem equum, quàm canentem Musicum. Tales naturæ ἄμουσαι nonnunq; reperiuntur. Bonis tamen & ingenuis, & non planè monstrosis naturis, grata est Musica harmonia. Nulla autem harmonia Musica adeò suauis & dulcis est, quàm oratio illustribus uerbis, & grauibus sententijs contexta, & expolitionis artificio distincta.

Hoc præcipuè brutis animalibus præstamus, quòd colloquimur inter nos, & dicendo aliorum auribus animi nostri sensa subijcimus. Quid autem illustrius? Quod in homine decus maius? Quod ornamentum augustius esse potest? quàm eo præstare alijs, quo cæteris bruta animantia antecellunt. Omnes eum, qui hoc dono cæteris est ornatior, ut Homeri uerbis utar, ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὣς εἰσορόωσιν, hoc est: Ambulantem per urbem, tanquàm Numen aliquod aspiciunt.

Cùm autem inter cætera quæ ad formandam qualemcunq; orationem requiruntur: non infimum locum teneant communia artis præcepta, omnibus nobis notißima esse debent, & tanquàm literæ

ad

lectione, accurata autorum obseruatione
licendi scribendiq; usu, paratur.

Dixit quidam Scytha, se malle audire bin
equum, quàm canentem Musicum. Tale
ξμουσαι nonnunq; reperiuntur. Bon
ingenuis, & non planè monstrosis na
cta est Musica harmonia. Nulla autem
Musica adeò suauis & dulcis est, quàm
ustribus uerbis, & grauibus sententijs
& expolitionis artificio distincta.

Hoc præcipuè brutis animalibus præst
colloquimur inter nos, & dicendo alio
s animi nostri sensa subijcimus. Qui
rius? Quod in homine decus maius
entum augustius esse potest? quàm
ijs, quo cæteris bruta animantiu
mnes eum, qui hoc dono cæteris
Homeri uerbis utar, ἐχόμενον
μ ὡς ἐισορόωσιν, hoc est: Ambu
m, tanquàm Numen aliquod aspi

inter cætera quæ ad formandam
tionem requiruntur: non infimum
mmunia artis præcepta, omnia
a esse debent, & tanquàm litera

ad

ad scribendum semper occurrere: & ut lucem afferant aliorum disertorum scriptis, ut facilius seriem partium & precipua membra animo com plecti possimus: & ut uiam & rationem nobis monstrent, nostras res dextrè, perspicuè, & iusto ordine exponendi.

Rogatus igitur à nonnullis meis familiaribus, ut præcepta dicendi D. Præceptoris ipsis exponerem, honestæ eorum uoluntati non relu standum esse iudicaui. Defero autem & alijs meum officium, à quibus hanc mercedem rursus pa ciscor, ut candidè ac dextrè de meis primitijs iu dicent. Legam itaq; in mea habitatione, quæ est in ædibus Nicolai Pedellij, ubi cras hora prima de Eloquentiæ dignitate, quam ueritate & utilita tum ubertate metimur, plura præfabor. 9. Ca lend. Februarij. Anno 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Ostendit Deus illustribus testimonijs, se in genere humano colligere æternam Eccles am uoce Euangelij, nec nasci homines tan tùm ad huius uitæ fugacis erumnas. Hac con firmati uera sententia, præparemus nos doctrina

ad

ad agnitionem filij Dei, & ad æternæ Ecclesiæ societatem.

Hanc metam semper intueamur, & ad eam præcipuè directa sint uitæ studia, & consilia. Et hac consolatione nos erigamus inter huius uitæ difficultates, qua ad dulcissimum portum ducente filio Dei certò peruenturi simus.

Hanc consolationem sæpè in morbo repetiuit uir honestus, & eruditus, O M O Emdensis, & se Deo quotidie in agnitione, & fiducia Domini nostri Iesu Christi commendauit. Patriam in hac uita habuit honestam urbem, cuius à ueritate nomen est, aut à stabilitate. Nam Emes est ueritas, Eman stabilis. Et amans est ueritatis urbs Emda. Nunc autem hic Emdensis fœlicius uiuit in clarissima luce ueritatis, & Ecclesia stabili, quæ non quassatur ut in hac uita ab externis hostibus, non oppugnatur & laceratur domesticis dissidijs.

Te autem fili Dei, Domine Iesu Christe ardentibus uotis oramus, ut nobis opem feras, & serues tuam cymbam

Ac nobiscum ut uota & studia uestra coniungatis, petimus, ὅπου ἄλγεα ἑκὰς χεῖρα ἔχει. Si in dolore essemus, propter publicas confusiones precatio esset ardentior, & Deus multa leniret.

Sed

em filij Dei, & ad æternæ Ecclesiæ

anc metam semper intueamur, &
uè directa sint uitæ studia, & consili
lationem nos erigamus inter huius
i, qua ad dulcißimum portum ducen
rtò peruenturi simus.

consolationem sæpè in morbo repetiui
us, & eruditus, O M O Emdensis, &
die in agnitione, & fiducia Domini no
Christi commendauit. Patriam in hac
it honestam urbem, cuius à ueritate no
ut à stabilitate. Nam Emes est ueritat
ilis. Et amans est ueritatis urbs Emd
hic Emdensis fœlicius uiuit in cla
ueritatis, & Ecclesia stabili, qu
ut in hac uita ab externis hosti
gnatur & laceratur domesticis

em fili Dei, Domine Iesu Christe
oramus, ut nobis opem feras, &
bam

bisceum ut uota & studia uestra
mus, ὅπῃ ἄλλῃ ἐκεῖ χρῆα ἐχεῖ
mus, propter publicas confusion
lentior, & Deus multa leniu

Sed profecto multi nimis securi sunt, & attra-
hunt pœnas.

Ideo uos obtestamur, ut de publicis, & uestris periculis sæpius cogitetis, & ad filium Dei confugiatis.

Hæc etiam hodie in funere cogitanda sunt, ad quod ut ante Collegium hora duodecima conueniatis, uos hortamur. Ibi sese & Ecclesiam singuli Deo pijs precibus commendent. Die, quo publicè recitatur historia de ritu Purificationis. Anno 1557.

IN EXPLICATIONEM SECVNDI LIBRI LIVII.

ABsoluimus Dei beneficio superioribus diebus, primum Liuianæ historiæ librum, qui populi Romani infantiam, urbis incunabula, eiusq; incrementa, regum, pacis, belliq; instituta, uarios rerum euentus, atq; adeò perpetuam 244. annorum historiam, quibus summa rerum penes Reges fuit, complectitur.

Nunc, Deo dante, in secundi libri explicationem ingrediemur, qui secundæ ætatis, & quasi iuuentutis populi Romani initia, & annuos Consulares Magistratus pertexit.

Continet autem secundus liber 40. annorum curriculum. Sicut autem primi libri cognitio mul-

tum lucis adfert ad lectionem historiæ Romanæ, quòd sine eius diligenti & assidua lectione, ea quæ de publico populi Romani iure passim obuia sunt, intelligi nix queant, cuius generis sunt, Ius Fecialium, formula fœderum, ratio repetendi res ex fœdere, descriptio ciuium ex censu, & id genus sexcenta alia: Ita etiam secundus liber non mediocriter ad eam rem fecit. Nam & legum, ac institutorum politicorum uarietate, & rerum domi belloq; prudenter simul ac fortiter gestarum, exemplorumq;, quæ partim politicæ prudentiæ, partim uerò militaris fortitudinis documenta sunt, multitudine abundat. Atq; adeò alterum quasi fundamentum rei Romanæ in hoc libro iacitur. Oratio etiam huius libri cultior est & ornatior quàm primi.

Hortor igitur auditores, ut ad hanc alterius cultationem conueniant.

Ionas Tintius
Hammelensis.

IN LIBELLVM DE ANIMA.

ETsi penetrari acie humanæ mentis natura rerum in hac uita non potest, tamen uult Deus, quasi foris aspici, & aliquas monstrat ueras,

dfert ad lectionem historie Roman
eius diligenti & assidua lectione, c
ico populi Romani iure passim obu
igi nix queant, cuius generis sunt, in
formula fœderum, ratio repetendi re
descriptio ciuium ex censu, & id ge
a alia: Ita etiam secundus liber no
r ad eam rem fecit. Nam & legum
orum politicorum varietate, & rerum
q; , prudenter simul ac fortiter gesta
plorumq; que partim politice prudem
n uero militaris fortitudinis documenta
ltitudine abundat. Atq; adeo alterum
amentum rei Romanæ in hoc libro in
tio etiam huius libri cultior est & or
primi.
r igitur auditores, ut ad hanc am
ueniant.

Ionas Tintius
Hammelensis.

BELLVM DE
ANIMA.

ari acie humane mentis nature
pac uita non potest, tamen uult
foris aspici, & aliquas monstra

uerè, certas et immotas noticias de seipso, de nobis, & de multis nature partibus, & has uult esse rectrices uite, & preparationem seu tyrocinium ad illam cœlestem Academiam, in qua non solùm totam rerum naturam propius, & quasi euolutam introspiciemus, sed etiam ipsum conditorem, & in eo consilia & ideam admirandi opificij mundi coràm contemplabimur.

Huic uoluntati Dei obtemperemus, & ea discamus, quæ uult disci, & acquiescamus in his quæ monstrat, & grati Deum monstratorem & fontem sapientiæ & uirtutum celebremus, nec abducamur ab hoc studio furoribus Pyrrhoniorum & similium, qui uociferantur omnia incerta esse, ac propterea frustra institui naturæ considerationem.

Hi clamores non solùm falsi sunt, sed etiam aduersus Deum contumeliosi, qui certè uult sese sic agnosci, ut in lege se patefecit, quam mentibus hominum inseuit, uult legem ratam esse, ut discernamus recta & non recta, & discernamus ipsum à malis naturis.

His cogitationibus modesti adolescentes se contra Pyrrhoniorum amentiam confirment, nec dubitent fascinatos esse à diabolis, qui aut ferunt talia mendacia, aut eis adplaudunt.

Amemus igitur ueritatis considerationem, & sic amemus, ut etiam fugiamus Sophisticen, seu

Sycophantiam huius temporis, quæ proh dolor in Ecclesijs partim serit, partim confirmat errores, & contumelia adficit Deum, & horribiliter distrahit genus humanum, Circuit, atq; ignes animis flagrantibus addit, accendit odia mendacijs, ut ruant homines cœci in cædes & bella, & non solùm fiat barbarica uastitas, sed etiam deleantur uera Dei noticia & inuocatio, & honesta disciplina.

Hæc tanta mala ut auertat filius Dei, toto eum pectore oro, ac uos commilitones adhortor, ut & pia precatione uos, & Ecclesiam Deo commendetis, & modestiam ametis, & recta discatis, ut iußit Deus.

Est autem necessaria doctrina, de partibus hominis, quæ traditur utcunq; in libellis, quorum titulus est, de ANIMA. Quare sæpè repetitur in scholis.

Cumq; ego artem medicam discam, spero meam operam profuturam esse auditoribus in ea parte, quæ membra hominis recenset.

Decreui igitur librum de Anima repetere, idq; publicè significo, ut qui me uolent audire, sciant ubi & quando conueniendum sit. De utilitate eius doctrinæ ita sæpè repetitæ sunt commonefactiones, ut sperem uobis omnibus persuasum esse, necessariam esse eius cognitionem.

Manifestum

antiam huius temporis, quæ prob dol
ſijs partim ſerit, partim confirmat errors
umelia adficit Deum, & horribiliter d
genus humanum, Circuit, atq; ignes anim
ntibus addit, accendit odia mendacijs, ut ho
mines cæci in cædes & bella, & non ſolu
rbarica uaſtitas, ſed etiam deleantur uer
ticia & inuocatio, & honeſta diſciplina.

Hæc tanta mala ut auertat filius Dei, tot
ſtore oro, ac uos commilitones adhorter,
ia precatione uos, & Eccleſiam Dei com
s, & modeſtiam ametis, & recta diſcatis,
Deus.

ſt autem neceſſaria doctrina, de partibus
que traditur utcunq; in libellis, quorum
de ANIMA. Quare ſæpè repetitur

ego artem medicam diſcam, ſpero
profuturam eſſe auditoribus in ea
bra hominis recenſet.

igitur librum de Anima repetere,
nifico, ut qui me uolent audire,
ndo conueniendum ſit. De uti-
ne ita ſæpè repetitæ ſunt commo-
perem uobis omnibus perſuaſum
eſſe eius cognitionem.

Manifeſtum

Manifeſtum eſt enim in Eccleſia oportere notos eſſe gradus potentiarum animæ, & domicilia ſeu ſedes noticiarum & adfectuum.

Hanc doctrinam primus pater ſedens in umbra inter palmas, aut aurea mala, filios & filias ſuas docuit, narrans creationem, & edificij corporis humani pulchritudinem, & concinnam omnium partium harmoniam, & deplorans ſua uulnera, & harmoniæ deſtructionem, & docens reliquas eſſe noticias, & quæ uires quomodo regendæ ſint, ſicut inquit Gen. 4: Sub te erit adpetitus tuus, & tu domineris eius.

Hæc ut intelligerentur partes hominis diſcernendæ fuerunt. Nec dubium eſt in illa præſtanti ſapientia has res maximas ſplendidè explicatas eſſe: quanta fuerit hominis dignitas, cùm in nos ſparſi ſint initio radij lucis diuinæ, & flammæ amoris Dei, & cùm ordo iuſtus omnium membrorum fuit: Ac rurſus quanta uulnera in nobis facta ſint, quorum tamen promiſſa ſit ſanatio per filium Dei.

Multis figuris & ritus Sacrificiorum pingunt gradus potentiarum. Iubet angelus Tob. 6. Tobiam incendere Cor, Iecur, & Fel, id eſt, ἡγεμονικὸν, ἐπιθυμητικὸν, & θυμικὸν. Poſtea Græci, etſi doctrinam patrum non retinue-

runt integram, tamen hominis partes uariè pinxerunt, ut Hesiodus ἡγεμονικὸν nominat Prometheam, & cupiditatem Epimetheam. Deniq; hanc doctrinam semper magni feciſſe omnes non abhorrentes à uirtute manifeſtum eſt. Quare & nos eam ſtudioſè conſideremus: qua in re etiam Eccleſiæ ſeruire neſtros labores ſcitote, in qua ſæpè ex his riuulis explicationes ſumendæ ſunt.

Oro autem Deum, qui immenſa ſapientiæ & bonitate ſic condidit hominem, ut ipſius imago eſſet, & ſeſe uult nobis communicare, & nos facere ſua Templa, ut nos gubernet, & non ſinat extingui doctrinas barbarie Turcica, aut rabie Sycophantica. Conueniant autem qui me audituri ſunt, die Mercurij hora tertia. Die 7. Februarij.

Sigiſmundus Melanthon.
Prettanus.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MAGISTER Henricus Paxmannus.

SEmper in conſpectu ſit nobis omnibus hæc ſuerißima conſolatio, & cohortatio in maximis confuſionibus generis humani, quòd Deus uerè per filiũ λόγον καὶ εἰκόνα πατρὸς ἀϊδίου, colligat

colligat æternam Ecclesiam, uoce Euangelij, & non aliter: & quòd non sit uerè dictum:

πάντα γέλως, καὶ πάντα κονίς, καὶ πάντα τὸ μηδέν,
πάντα γὰρ ἐξ ἀλόγων ὅδε τὰ γενόμενα.

Est Deus mens æterna, sapiens, uerax, benefica, iusta, casta, liberrima, conditrix generis humani, quæ se patefecit immensa bonitate, misso filio, & uult agnosci, ut in uoce doctrinæ suæ se patefecit, quam & literis mandari per Prophetas & Apostolos uoluit.

Sunt ergò necessaria linguarum & doctrinarum studia, ut fontes in Prophetarum & Apostolorum libris sciri possint. Necesse est & nosse certamina omnium temporum, quæ in Ecclesia de rebus maximis mota sunt.

Quare uos & hortamur & obtestamur optima uoluntate, ut & propter Deum, & propter gloriam Dei, & propter Ecclesiam, & uestram salutem, audiatis & cognoscatis doctrinam, quam tradidit, & legi, & alijs proponi iussit, sicut scriptum est 1. Timo. 4: Sis assiduus, & intentus in lectione, consolatione, & doctrina.

LECTIO nominatur ideo, quia Euangelica promissio non est naturæ nota, ut Arithme-

tica: sed uoce Filij patefacta, & mandata literis. Sint igitur, qui doceant & discant literas. Et horum laborem placere Deo, Pauli dictum, & similia ostendunt. Hac nos consolatione confirmemus, & studia & exercitia literaria amemus.

Quantæ controuersiæ hoc tempore moueantur, de quibus linguarum phrasin, dialecticam, historias, sæpè & artes, consuli necesse est? Vagatur furiosus nebulo Thammerus in Mindensi regione, qui uociferatur de dicto: **Et uerbum Caro factum est,** VERBO *significari legem, & non* λόγον ὑφισάμενον, *& transformat uniuersam doctrinam de filio Dei in Ethnicas allegorias. In talibus quæstionibus certè necesse est considerari uetera certamina.*

Res eædem ab Ebione, Cerintho, & Samosateno motæ sunt, & inde ortæ sunt Mahometi blasphemiæ.

Quærenda est igitur ex fontibus Propheticis & Apostolicis uera doctrina, & adiungendæ historiæ. Theodoretus inquit in pagina 114. περὶ λόγου: ὃυκ ἐνέργεια ὡς ἐστὶν ἀνυπόστατος, ἀλλὰ ὑπόστασις ζῶσα, καὶ καθ' ἑαυτὴν ὑφεστῶσα: οὐ γὰρ ἄπλως λόγον ὠνόμασαι, ἀλλὰ θεοῦ λόγον. Et Basilij uerba sunt dignissima consideratione, in oratione quinta contra Eunomium

Eunomiam pagina 696: λόγον γαὴρ ἤδεισαμ ἐι πατέρες λόγον θεοῦ, προσεκύνουμ, καὴ σὺμ λόγῳ τὸ πνεῦμα. Bona fide, Deo iuuante, doctrinarum fontes uobis proponimus. Quare & uos officium uestrum diligenter facite.

Prosunt autem examina & colloquia eruditorum ad conseruationem doctrinarum. Ideò hortamur omnes Magistros, ut hodie hora prima, ad publicum examen, quod fit usitato more, conueniant, cùm quidem sciant, hæc exercitia & similia studijs prodesse.

Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, sedentem ad dexteram æterni patris, & dantem dona hominibus, ut nos gubernet, & faciat nos uasa misericordiæ propter suam gloriam. Die 11. Februarij. Anno 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Melchior Fasolt.

VEtus ad Rhenum urbs est, quæ inter Romanas Colonias fuit, ac nomen aliquantulum tempora mutarunt. Nunc enim VVesalia dicitur, cùm olim fuerit Phæsula, à celebrata

tica: sed uoce Filij patefacta, & mandata literis. Sint igitur, qui doceant & discant literas. Et horum laborem placere Deo, Pauli dictum, & similia ostendunt. Hac nos consolatione confirmemus, & studia & exercitia literaria amemus.

Quantæ controuersiæ hoc tempore moueantur, de quibus linguarum phrasin, dialecticam, historias, sæpè & artes, consuli necesse est? Vagatur furiosus nebulo Thammerus in Mindensi regione, qui uociferatur de dicto: Et uerbum Caro factum est, VERBO significari legem, & non λόγον ὑφισάμενον, & transformat uniuersam doctrinam de filio Dei in Ethnicas allegorias. In talibus quæstionibus certè necesse est considerari uetera certamina.

Res eædem ab Ebione, Cerintho, & Samosateno motæ sunt, & inde ortæ sunt Mahometi blasphemiæ.

Quærenda est igitur ex fontibus Propheticis & Apostolicis uera doctrina, & adiungendæ historiæ. Theodoretus inquit in pagina 114. περὶ λόγου: οὐκ ἐνέργεια ἄϱ ἐστὶν ἀνυπόστατος, ἀλλὰ ὑποστάσεις ζῶσα, καὶ καθ' ἑαυτὴν ὑφεστῶσα: οὐ γὰϱ ἄπλατος λόγος ὠνόμασαι, ἀλλὰ θεὸς λόγος. Et Basilij uerba sunt dignissima consideratione, in oratione quinta contra Eunomium

Eunomium pagina 696: λόγομ γαὴ ἤδειταμ ἱ πατέρες λόγομ θεοῦ, προσεκύνομ, καὴ σὺμ λόγῳ τὸ πνεῦμα. Bona fide, Deo iuuante, doctrinarum fontes uobis proponimus. Quare & uos officium uestrum diligenter facite.

Prosunt autem examina & colloquia eruditorum ad conseruationem doctrinarum. Ideò hortamur omnes Magistros, ut hodie hora prima, ad publicum examen, quod fit usitato more, conueniant, cùm quidem sciant, hæc exercitia & similia studijs prodesse.

Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, sedentem ad dexteram æterni patris, & dantem dona hominibus, ut nos gubernet, & faciat nos uasa misericordiæ propter suam gloriam. Die 11. Februarij. Anno 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Melchior Fasolt.

VEtus ad Rhenum urbs est, quæ inter Romanas Colonias fuit, ac nomen aliquantulum tempora mutarunt. Nunc enim VVesalia dicitur, cùm olim fuerit Phæsula, à celebrata

Colonia Fœſulana in Italia, cuius ſæpè fit mentio in Hiſtorijs, quæ nomen habuit ab una ſtellarum, quæ nominantur Hyades in capite Tauri. Nomen enim Φαισύλη *in uerſibus Heſiodi traditum eſt, inter Hyadas, de quibus dicit:*

νύμφαι Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι,
Φαισύλη, ἠδ' Ἐκοζώνις, ἐϋστέφανός τε
Κλέεια.
Φαίνω δ' ἱμερόεσσα, καὶ ἐυδώρη τανύπεπλος,
Νύμφαι, ἃς ὑάδας καλέουσιν φῦλ' ἀνθρώπων.

Eſt enim lucidiſſima Φαισύλη *à* Φάος. *Vſitate nominant oculum Tauri, Aldebaran, quòd eſt ex* עין דבר, *id eſt, oculus Tauri.*

Sumptæ ſunt igitur adpellationes à Tauri ſtellis propter ſoli ubertatem, quod & ad hanc Germanicam Fœſulam uberrimum eſt.

In ea urbe conſul eſt Theodoricus à Gron, *ſapientia & uirtute excellens, ac non ſolùm eruditus in iure, quod in Academijs Gallicis ſtudioſe didicit, ſed etiam ualde amans iuſticiæ. Et cùm ſciat præcipuum opus eſſe iuſticiæ, Deum rectè inuocare, hanc etiam iuſticiam ad politicam adium-*

diungit. Filios etiam rectè erudiri uoluit de Deo, & de alijs rebus cognitione dignis.

Fuitq; hîc *eius filius,* Iohannes à Gron, *amplius triennio, & studiosè didicit Ecclesiæ doctrinam, & initia Philosophiæ. Fuerunteq; in eo cum uirtutes ἀνθρωπίναι à natura inchoatæ, tum uerò erant in eo & aliæ uirtutes accensæ à filio Dei per Euangelium, & spiritu sancto inflammante pectus adolescentis, uera agnitio & inuocatio Dei, castitas, firmitas animi in tam longo morbo, & in conspectu mortis assiduo.*

Longa enim Phthisi paulatim consumptus est, & toto anno morbum lectione, precatione, & pijs colloquijs eruditorum lenijt. Sæpè repetiuit fidei confessionem, & recitatis promissionibus diuinis commendauit sese Deo, fiducia Mediatoris, Domini nostri Iesu Christi. Sæpè etiam de parentibus loquebatur, horum luctum sibi acerbiorem esse dicebat sua morte, & precabatur Deum, ut ipsis dolorem leniat, & seruet ipsos, fratres & sorores, & tegat Ecclesiam & patriam.

Talia cùm pietatis signa in eo fuerint, *non dubitemus eum in numero illo esse, de quo dicitur: Apoca. 4.* Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hanc consolationem

nem

nem honestißimi parentes etiam sibi proponant, & hac spe se erigant, quòd rursus filium in illa dulcißima consuetudine cœlesti in Academia plena lucis diuinæ, sapientiæ, iusticiæ & lætitiæ complectentur. Hanc alteram uitam intueamur & expectemus, cùm quidem res ipsa ostendat, quàm plena miseriarum, & horribilium confusionum sit uita in hoc mortali corpore.

Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris Ceremonias hodie hora quarta conueniant in uico, in quo est domus Magistri Antonij VValteri, cuius interitus etiam magnum dolorem nuper attulit, & sese singuli & Ecclesiam pijs precibus Deo commendent. Datæ die 14. Feb. 1557.

EPITAPHIVM.

Ἐνθάδε γραυιάδης νεανίσκος λοίθια πνείων
σώματος ὀλλυμένου λείψανα θῆκε θανών.
ὡς βραχὺς ὅστις βίος, καὶ ὡς καματηρὸς ἅπασιν,
ἡμὴ τοῖσιν, μάκαρες οἱ δ' οκέασιν ἔμεν.
ἀιὲν ὑπὲς κεφαλῆς κρέματ' κακὸν ὀυλομένη τε
δυσυχίη, θάνατός τ' ἀιὲν ὑπὲς κεφαλῆς.
ἐθλοῖς

ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσι, πονηροῖς εὐσεβέσιν τε,
τίσδ' ἀρχὴ κείνου πήματος ἐστὶ βροτοῖς;
γεῦσις ἀλιτροσύνης πικρᾶς θανατηφόρος
ἡμῖν,
εἰν ἑνὶ ἠνέγκεν πᾶν κακὸν ἠδὲ μόρον.
οὐχί ῥα χωομένου ὀργὴν θεοῦ ἐσθ' ὑπαλύξαι;
κεῖσθαι ἐν ἀθανάτῳ ἐστὶ χρεὼν θανάτῳ,
δεῖξεν ἐπαγγελίην θνητοῖς λόγος αὐτὸς ἀπ'
ἀρχῆς
ὅττι φρεσ' εἰδείαις χρὴ τὰ πρόντα φέρειν.
ἐλπίζειν τε βίου ἑτέρου αἰώνιον ὥραν,
ἥτις ἄταρ τε τέλους ἐστὶν, ἄτερτ' ὀδυνῶν.
παμμάκαρες κεῖνοι: εὐδαμιονίῃ τε θαλοῦσιν,
οἳ θάνον ἐν χριστοῦ πίστεϊ ζωοδότου,
ἀνθρώπων σωτῆρος, ἐκείνῳ γὰρ διαπαντὸς,
λυτρωτῇ πιστῶν εὐσεβέων τε μέλει.
ἔσθ' ὅτ' ἀκούσουσιν φωνὴν λόγου ἐρχομένοιο,
ὑψόθι σαλπιγγόστ' ἦχον ἐπουρανίης.
πάντες ὁμοῦ νέκυες φθίμενοι ἔτι ἐνδόθι
τύμβων,
καὶ νεκρῶν ἔσεται καιρὸς ἀνασάσεως.
τοιτόγε κλαίουσιν καὶ νῦν πραμύθιον εἴη
πᾶσι κασιγνήτοις, ἠδὲ γονεῦσι φίλοις.
ὅττι δικαιούργῳ ἐνὶ πίστεϊ ὧδε τελέσσας,
ζωὴν ἀφθάρτου ἤρξατο χαρμοσύνης.

ζῶν

ζῶν ὣν γῆς πᾶσιν κεχαρισμένος ἦεν ἑταίροις,
γρῆνις εὐσεβίης, σωφροσύνης τε χάριν.
καὶ φίλος ἦν μύσταις: γλυκερῇ δ' ἐμίμνεσε φάτνῃ
ἠδῇ, κόσμησάντ' ἀμβροσίῃ διδαχῇ,
καί ῥ' ὁδυρόμενος λέξω; ἦν πνεύματος ἁγνὸν
ναός, καὶ δ' ἀπόν ἦν πατρὸς ἀϊδίου,
θεῖά τε νῦν κρυπτῆς σοφίης μυσήρι' ἐρευνᾷ,
νῦν δ' ἁδὸς λαμπρᾶς ἔμ σέλας αἰὲν ὁρᾷ.
χὠ σεφίλ' εὐχομένους κόσμου ἀπὸ ἀχλυόεντος,
εἰς ἁγίαν ἡμᾶς κλῖθι χορὸς ἀσίλιν.

Iohannes Chesselius.

ALIVD.

GRonius à celebri descendens stemmate, cuius
Frena regit consul Vuesaliana, pater.
Cùm foret exhaustus diuturni tabe doloris,
In sua tranquillo fata sopore cadit.
Vidisset placidam cursu meliore senectam,
Si possent mores flectere fata boni:
Nam quæcunq; decent operosam munera pubem,
Promptus ad hæc totis uiribus ipse fuit.
Concordes placidis duxit cum fratribus annos,
Comis, & innocuæ sobrietatis amans.
Candida simplicitas, animusq; modestus in ipso,
Atq; decus uitæ labe carentis erat.

Ornabant

Ornabant iuuenem probitas, gestusq; uenusti,
Larga manus, sermo parcus, aperta fides.
Quin seros lætis tegisset floribus annos,
Si mors ingenijs parceret atra bonis.
Deditus à uiridi pulchris fuit artibus æuo,
Nec pignus studij cœpit inane sui.
Ausoniam facili didicit conamine linguam,
Et Græcas cupida mente petiuit opes.
Fœlici coluit dulces ardore Camœnas,
Cantans ad uigilem carmina blandà chelyn.
Hoc nunc extincti fouet ossa cutemq; sepulchrum,
Dum redeant summo splendidiora die.
Tunc rectè meritoq; suum cognomen habebit,
Æternis uernans floribus ante Deum.
Nam corrodentis toto quia tempore morbi
In solo posuit spemq; fidemq; Deo.
Et Christi nixus meritis, exordia uitæ
Hausit, in ætherea quæ datur arce pijs:
Ipsius euasit terrenis libera uinclis
Mens, in cœlestes estq; recepta domos.
Innocuos inter manes ubi nobilis ipsam
Non marcessibili flore corona tegit.

FINIS.

Henricus Mollerus
Hessus.

Decanus

ANNO 1557.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, HENRI-cus Paxmannus. S. D.

IN hodierna narratione Euangelica propo-nuntur consolationes, quas in tantis uitæ hu-manæ confusionibus quotidie cogitari necesse est. Proponitur enim assecuratio, quæ affirmat uerè à filio Dei colligi æternam Ecclesiam uoce Euangelij. Firmissima igitur assensione statuamus, & esse aliquam Dei Ecclesiam, & quidem hanc, quæ uocem Euangelij sine corruptelis amplectitur: & nos in eam includamus, & tanquam ad aram in periculis fugiamus, sicut Dauid dulcissimè precatur Psal. 20: **Abscondas me Domine in tabernaculo ad altare tuum.**

Cùm autem eadem narratio Euangelica ostendat magnam multitudinem esse, quæ nec recipit nec retinet Euangelij uocem, monet ne abstrahamur à cura discendi & retinendi Euangelij. Insidiantur pijs Diaboli: ualdè mouentur animi & multitudine: dulcè est etiam ceu liberum uagari, & ludere opinionibus, ut lusit ingeniorum petulantia in Philosophia. Sed filius Dei inquit: βλέπετε πῶς ἀκούετε, *Sitis intenti, & considerate quomodo audiatis, Matthæi 25. Lucæ 19.* **Habenti dabitur.** Hæc

Hæc duo igitur coniungamus, diligentiam in discendo, & ardentem precationem, ut Deus mentes & pectora nostra gubernet, & nos sibi templa faciat, sua luce nos doceat filium Dei λόγον, & accendat nos spiritu suo sancto. Non captemus auram popularem Sophismatum præstigijs et Sycophantica, sed modestè discamus recta & probata ueris iudicijs in Ecclesia, & sæpè nos hac uoce commonefaciamus de nostro officio, & de Dei auxilio, Psal. 56. Commenda Deo uiam tuã, & spera in eum, & ipse faciet. Ita erunt studia nostra nobis & Ecclesiæ salutaria, & hæc militia nostra Deo grata erit, & ab eo inhabitur, & defendetur contra furores diabolorum, Tyrannorum, & Sycophantarum. Adiuuat autem Deus laborantes.

Non desit igitur nostra sedulitas, sicut rectè inquit Basilius: Οὐδὲ γὰρ ἡ περὶ τὰ καλὰ τῶν ἀνθρώπων ἐγχείρησις δίχα τῆς ἄνωθεν εὐοδείας τελεωθήσεται: οὐδὲ ἡ ἄνωθεν χάρις τοῖς μὴ σπουδάζουσι παραγένοιτο ἄν.

Pertinet autem ad studia discentium exploratio, propter quam & publica testimonia tribuuntur. Ideo & nos hunc ueterem morem retinemus, & comperimus hæc examina multorum studijs profuisse.

ANNO 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HOdiernus dies reuocat nobis in memoriam obitum ſancti uiri, domini Doctoris Martini Lutheri, qui cùm ante annos undecim in patria placidè diſceſſiſſet, diuinitus auocatus eſt, ne ſpectator eſſet illius funeſti belli, quod paulò poſt ipſius mortem in Germania excitatum, triſtes mutationes multis in locis attulit, & uictori animum addidit, ut conaretur etiam in religione ſancire concordiam diſſentientium Eccleſiarum, propoſito infœlici ſcripto, quod nouis & deplorandis diſtractionibus cauſam præbuit, quarum nulla ſanatio huc uſq; inueniri potuit. Et ex illo bello alia noua incendia tanq̃ ex negligenter reſtincto igne extiterunt, quæ duriter adflixerunt Germaniam.

Horum malorum ſeriem & occaſionem cogitantes, exuſcitemus nos ipſos ad timorem Dei, & ad ſeriam inuocationem, ardenter petentes, ut Deus fideles Doctores in Eccleſijs & Scholis tueatur, ac ſeruet incolumes, & uulnera publica in politijs & Eccleſijs ipſe ſanet, & piam concordiam reſtituat. Fortaſsis horrida tempeſtas iſta hodierni diei aliquid in poſterum ſignificat. Et ſunt alia ſigna euidentiora, quæ uenturas clades publicas

publicas prænunciant, ante quarum irruptionem qui piè obdormiunt, fœlices omninò iudicandi sunt.

Euocata autem est ex hac miserrima uita hodie hora quarta matutina, pia matrona CLARA, uidua honesti uiri Laurentij Gesneri, nati in Francia, quæ filia fuit honesti ciuis in hoc oppido, Andreæ Eberhart, nati ex nobili familia Lusaciensi, ex qua adhuc aliqui in Regio oppido LVCCA honores summos gerunt. Ea cùm pietatis studiosa esset, & assidua in audiendo uerbo Dei, & benefica erga pauperes, inter alia diuinæ clementiæ signa etiam hoc consecuta est beneficium à Deo, ut uidua adhuc uideret filios suos duos ex honestis familijs coniuges adeptos, & tres filias, quas ad pietatem & uirtutis studium diligenter educauerat, optimis conditionibus elocatas. Ob hanc fœlicitatem gratias Deo agens æquo animo ex hac uita ad æternam Ecclesiam decessit. Ei fũnus fiet cras hora duodecima.

Hortamur igitur Scholasticos, ut ante ædes Gesneri conueniant, & cum suam uitam, tum Ecclesiam uniuersam, & scholam hanc pijs precibus Deo commendent, & orent, ut præmonstratas tot prodigijs pœnas publicas clementer auertat. Die 18. Februarij. Anno 1557.

ANNO 1557.

IN IMAGINEM CLARISSIMI VIRI, DOCTORIS GREGORIJ Pontani, qui fuit Cancellarius trium Electorum Saxoniæ, & discessit ex hac uita, 20. die Februarij, Anno 1557.

Gregorij faciem Pontani hæc monstrat imago,
Consilio præstans qui fuit, atq; fide.
Huius erat nostro facundia tempore, quanta
Olim seu Pylij siue Periclis erat.
Sed melior causa est hæc, quam Pontanus agebat,
De gnato solitus dicere uera DEI.
Nam quia credebat se lotum sanguine Christi,
Iustifica coluit te DEVS alme fide.
Nec uirtutum umbras habuit, sed pectora rexit
Ipse sibi uiuens assimilata λόγῳ.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Melchior Fasolt.

NIhil dubium est CITHIM, ut ex Prophetarum scriptis intelligi potest, stirpem esse Macedonum. Et uicini illis fuerunt πλήσσοντες, quod idem significat, quod Cithim, id est, percussores. Celebrantur autem ab Homero utriq;, & κήτειοι & παίωνες. Itaq; propter antiquitatis uirtutem his gentibus honos debetur.

Tota

Tota etiam Europa, genti Pæoniæ gratitudinem debet, quæ nobis diu murus fuit contra Tartaros & Turcos, quos multi sapientes, fortes, & sancti uiri, profuso suo sanguine à nobis depulerunt. Nunc uicißim eis opitulari deberemus. Sed fata urgent reliquam Europam. Interea tamen priuatam gratitudinem ostendamus erga honestos homines gentis Pæoniæ.

Heri ex hac uita euocatus est adolescens honestus Gregorius Cikaensis, natus non procul à Cassouia. Cùm autem longa Phthisi paulatim consumptus sit, adsidua se & lectione & inuocatione Dei ad mortem præparauit, ac sæpè sese, & patriæ Ecclesias Deo commendauit. Et semper antea mores casti & pij fuerunt. Et studia ad propagationem doctrinæ de Deo instituerat. Etsi igitur optandum erat Ecclesiæ causa, ut spacia uitæ longiora ei Deus præbuisset; tamen Deo obtemperemus, & ueram consolationem consideremus. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora quarta paululum supra ædes honestißimi uiri, Domini Consulis huius oppidi, Christophori Kelneri, ad pias funeris ceremonias conueniant, & ibi singuli Deo sese, & patriam, et Ecclesiam commendent. Die 10. Martij, 1557.

ANNO 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Melchior Faſolt.

CRas erunt Idus Martij, quo die ante annos 1599. interfectus eſt Iulius Cæſar acceptis uulneribus tribus & uiginti in ſenatu, ab ijs, quos partim ſeruauerat, partim ampliſſimis honoribus & opibus ornauerat.

Etſi exempla humanæ infirmitatis aßiduè multa cernimus, tamen inſignia ſæpè mente aſſpicienda ſunt. Iulium non munijt potentia, non autoritas, non magnitudo rerum geſtarum, non beneficentia, non admiratio ſapientiæ & uirtutis, non conſideratio calamitatum publicarum, quæ eius necem ſecuturæ erant. Erat unicus pacis cuſtos, & inſtaurator imperij, & ſine crudelitate regebat rempublicam, non ut Sylla aut Marius graſſabatur, & tamen odijs opprimitur. Et quinquennio ante penè triſtiore modo interfectus erat Pompeius. Et toto bello ciuili, quàm multi principes & alij fortißimi uiri mutua laniena interfecti ſunt?

Talia exempla cogitantes, agnoſcamus noſtram infirmitatem, & non contemnamus periculà, ut Cyclops inquit, ſe rupibus ſuis munitum eſſe contra Iouis fulmina.

Diſcã-

Discamus autem & quæ Deus præsidia dederit hominibus, contra tam multa & horribilia pericula.

Sese patefecit Deus, & misit filium, ut induens massam nostri generis, nos suæ massæ insertos gestet, & seruet.

Addidit & uocem Euangelij, quæ inferimur filio, qui inquit Iohan. 10. Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Et inquit ipse, Beatos esse, qui hanc sapientiam didicerunt, quam etsi Deus publicè omnibus patefecit, tamen plurimi reges, & mundi gubernatores semper, & spreuerunt, & spernunt. Nos ueram esse scimus, quare eam amplectamur, & discrimen *inter uasa iræ, & uasa misericordiæ consideremus, & ad filium Dei confugiamus, ac petamus, ut nos faciat uasa misericordiæ, gestet nos in manibus suis, non sinat nos opprimi tragicis malis, protegat nos, ne tetris erroribus mentes occupentur, ne uastationibus Turcicis, ne ciuilibis bellis Ecclesiæ deleantur. Communes uerò ærumnas generis humani, morbos & mortem ita feramus, ut sciamus inuocantes filium Dei fore ciues Ecclesiæ cœlestis, Ephe, in qua Deus erit omnia in omnibus beatis, & nobis sese, suam lucem, & læticiam communicabit.*

Quare etiamsi non tenemus imperia, ut Iulius aut Pompeius, tamen maiora bona tenemus, quia à filio Dei protegimur, & ducimur ad Ecclesiæ cœlestis societatem. Hæc summa bona agnoscamus. Sic fuit ad mortem paratus adolescens honestus & eruditus, Michael Schröder, honestißimi uiri Senatoris Hamburgensis filius, qui cùm studiosè didicisset doctrinam de filio Dei, aßiduè se ei & ante morbum, & nunc morbi tempore commendauit, uera eum fide inuocans, & petens cœlestis Ecclesiæ consuetudinem, in qua coràm cerneret fontes doctrinæ, cuius hactenus riuulos hauserat. Cumq; sit in hoc numero, de quo scriptum est: **Beati mortui, qui in Domino moriuntur,** *hac uera consolatione pij parentes dolorem leniant, quem mors filij eis adferet, qui & rectè didicit doctrinam de Deo, & placidè ad lucem & lætitiam cœlestem euocatus est, in qua iam fruitur coràm sapientia Dei, qua ut fruantur omnes pij ardentibus uotis optant, sicut Paulus inquit: Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

Hortamur autem scholasticos, ut ad pias funeris Ceremonias hodie hora quarta ante ædes honesti ciuis Furenschilds conueniant, ubi sese & Ecclesiam uera inuocatione Deo commendent. Sequitur annus periculosus, ut hæ horridæ tempesta-

tes

tes iam minantur famem, & morbos. Ideo simus modestiores, & à Deo mitigationem pœnarum petamus. Pridiè Idus Martij. 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS *Melchior Fasolt.*

IN sola Ecclesia Dei patefacta est causa, cur genus humanum morti & ingentibus calamitatibus subiectum sit. Et diserte scriptum est in Iob: **Numerus mensium nostrorum penes Deum est.** *Ne casu nasci & extingui nos putemus. Obediamus igitur uoluntati Dei, sicut scriptum est:* **Humiliamini sub potenti manu Dei.** *Est consolatio proposita per filium Dei, longè posita extra sapientiam creaturarum, quòd pij certò accedunt ad dulcissimam cœlestis Ecclesiæ consuetudinem, in qua Deus erit omnia in omnibus. Hanc mirandam lucem & intueamur, & expetamus, & nos ad eam præparemus, ut ibi intuentes Deum fontem sapientiæ discamus, cuius iam riuuli nobis traduntur. Sed tamen dat Deus multis longiora uitæ spacia, ut societas generis humani*

mini conseruetur, & alij alijs seruiant, & multi peti longiora uitæ spacia, ut agnoscamus ipsum uitæ, sapientiæ & omnium bonorum datorem esse. Hæc cogitanda sunt in his communibus miserijs, & tam crebris funeribus. Cumq; heri ex hac Academia in cœlestem euocatus sit, adolescens honestus & eruditus, cuius indoles egregia fuit, Paulus Stutz Noribergensis, hortamur scholasticos, ut ad pias funeris Ceremonias hodie hora duodecima prope ædes uiri honesti Conradi Neidelij compactoris conueniant, ubi singuli & Ecclesiam, & suam uitam Deo commendent pia precatione. Parentes uerò adolescentis hac consolatione leniant mœrorem, quòd adolescens & doctrinam Ecclesiæ rectè nouit, & pietatem animi semper uera inuocatione Dei in agnitione & fiducia filij Dei, & honesta morum gubernatione declarauit. Et nunc in morbo quotidie confessionem & inuocationem filij Dei repetiuit. Quare non dubitamus eum in numero illorum esse, de quibus scriptum est Apoc. 14: **Beati mortui qui in Domino moriuntur.** Cumq; fuerit nondum contaminatus talibus sordibus, quales sunt in prophanis, qui sunt grandiores, fuit inter illos adhuc, de quibus dicitur Matth. 18: **Non est uoluntas patris ut pereat unus de par-**

uulis

uulis istis. Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiæ suæ, ut bona ingenia plurima & seruet & gubernet, ut prodesse Ecclesiæ, & communi societati possint, & ipsum celebrent. Anno 1557. Die 20. Martij, quo die filius Dei ante annos 1525. urbem Ierosolymam uelut triumphans ingressus est, & palmis & oleis, & carminibus adolescentum exceptus est, de quibus Dominus inquit Psal. 8. Matth. 21: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti tibi laudem. Horum in numero ut et nos rectè celebremus Deum, ipse clementer nos doceat & adiuuet.

VICERECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Honestißimus uir erat Georgius Rhau Typographus, qui exemplum erat innocentiæ, & integritatis, cuius industria in edendis utilibus scriptis Ecclesiæ, & Prudentia in consilijs dandis huic ciuitati laudabiliter seruijt.

Is ante nouem annos Calculi doloribus extinctus est, quibus cùm multos annos esset sæuißimè excarnificatus, tamen tanta patientia acerbißimos cruciatus tulit, ut nullus fremitus aut uox

pio

pio & constanti uiro indigna ex ipso toto tempore morbi audirctur. Reliquit autem filiolam Margaritam, quæ per propagationem morbum illum, quasi hæreditarium à patre accepit, & à morte patris ad hoc tempus usq; tantos cruciatus à calculo pertulit, ut omnibus aspicientibus ex commiseratione dolorem, & lacrymas moueret. Atq; in illis ipsis sæuissimis doloribus nulla alia uox ex ea audita est, nisi confessio peccati, inuocatio filij Dei, & petitio clementis liberationis. Si quod interuallum uacuum cruciatibus morbus dederat, hoc tempus uniuersum consumebat lectione scriptorum sacrorum.

Cumq; esset ingeniosissima, aptè excerpebat in hac ipsa puellari ætate (uix enim erat duodecimum annum egressa) eas sententias, quæ consolationem adflictis conscientijs, & auxilium oppressis calamitate promittunt, quibus dictis cùm aliàs in maximis doloribus sese sustentauit, tum heri in agone mortis, cum admiratione astantis mœstissimæ matris, & aliorum, sese ercxit & confirmauit, & suam animam Christo redemptori suo assidua inuocatione commendauit. Ea sepelietur hodie hora duodecima.

Hortamur igitur Scholasticos, ut funeris ceremoniam sua præsentia ornent, & hoc officio leniant

leniant matris honestißimæ viduæ ingentem dolorem, & considerata miserrimæ conditione humanæ naturæ post corruptionem tot sæuis morborum tormentis obnoxiæ, singuli suam vitam & incolumitatem piis precibus Deo commendent, & valetudine bona, quæ singulare Dei beneficium est, & ingratis hominibus tot ægritudinum generibus eripi potest, rectè utantur, nec ipsi sibi balutione & alijs inordinatis viuendi modis ultrò morbos accersant, qui alioqui, ut Hesiodus ait:

Nocte, dieq; homines infestant spontè silentes,
Vocem etenim sapiens exemit Iupiter illis.

Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιμ ἐφ' ἡμέρῃ, ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ,
Αὐτόμαλοι φοιτῶσι κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι,
σιγῇ, ἐπεὶ φωνὴμ ἔξειλετο μητιέτα Ζεύς.

Conueniant autem scholastici propè auditorium Iureconsultorum. Die 23. Martij. 1557.

Vicerector

ANNO 1557.

VICERECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HAc nocte decessit modestus iuuenis, Iohannes Falco, natus honestissimo patre Senatore in oppido Marchiæ Garleben, qui cùm ante annum huc profectus, cœpisset studijs animum seriò intendere, in autumno morbum contraxit, quo lentè uires corporis absumente, contabuit.

Toto autem morbi tempore ostendit se paratum fore ad migrationem ex hac ærumnosa uita in alteram illam cœlestem Academiam, ut ibi coràm cognosceret ea, quæ ex uerbo Dei, cuius fuit studiosus auditor, in Ecclesia patriæ & hac Schola didicerat. Inprimis autem suam pietatem in postremo agone declarauit, ubi cùm sciret iam tempus adesse, quod aliquoties optarat: Vt dissolueretur, & esset cum Christo, ardenti precatione suam animam Deo commendauit, & se ueris consolationibus petitis ex uerbo Dei erexit. Ei funus fiet hodie hora quarta.

Petimus igitur, ut Scholastici in platea Cuprea conueniant, & sua frequentia testentur, se gratulari suo commilitoni placidam euocationem ex hac militia, & Deum orent, ut aliquibus bonis ingenijs uitam proroget, ut doctrina cœlestis, & artes huic uitæ & Ecclesiæ necessariæ, conseruari & pro-

& propagari poßint. Sue etiam ualetudinis ra-
tionem habeant, & uitent exceßus omnes, & in-
tempeßiuam ingurgitationem, cùm uideant hanc
aëris aßperitatem & intemperiem multos alioqui
morbos gignere. Die 23. Martij. 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Melchior Faßolt.

VRbs eßt Celticæ pulcherrima Aurelia cum
alijs multis rebus celebrata, tum uerò At-
tilæ Hunnorum regis obßidione, cuius hor-
ribilis impetus cùm funditus deleuißet maximas
Vrbes in Belgico & in Celtica, ad eam Vrbem
primùm repreßus eßt. Fuerat pro Vrbe Aurelia
deprecator Senex Epiſcopus Anianus, ſed ſpreta
eius deprecatione Attila tentata oppugnatione ur-
bem capere & delere conatus eßt. Ibi cùm in mu-
ro ſtans Anianus precationen diceret inſpectanti-
bus hoßtibus & ciuibus, ſubitò tonitrua orta &
fulmina de cœlo miſſa multos hoßtes in foßis & in
ſcalis interficiunt, & Attilam conſternatum
auertunt, qua occaſione Aetius Dux cùm uideret
diſſipari exercitum Attilæ, ſubitò adortus palan-
tes & trepidos, magnam multitudinem trucidauit.
Fugit igitur Attila cum reliquijs, ac infœlicem ob-

ſidionem deſeruit. Ita propter Aniani & aliorum piorum preces urbs Aurelia diuimitus ſeruata eſt, & pulſus Tyrannus, quem nulli exercitus antea uaſtantem Germaniam & Galliam reprimere potuerant, cùm quidem trecenta millia hominum ſecum traheret. In ea urbe Aurelia natus fuit Andreas Maierius, & ibi inter doctiſſimos homines latinam & Græcam linguam didicit. Poſtea Luteciæ Philoſophica ſtudia adiunxit, & cùm audiret & conſideraret genus doctrinæ quod ibi Theologi & docent & propugnant, tamen quia linguæ græcæ & Ebreæ non erat rudis, fontes quærebat. Cumq; uideret interpretationes Sorbonicas diſſidere à fontibus, quærere ſincerius doctrinæ genus cœpit, de quo poſtea multa Aureliæ cum uiro clariſſimo Iacobo à Zizeuuiz, qui nobilitatem generis ſapientia, uirtute, & eruditione ornat, & nunc Illuſtriſſimi Ducis Pomeraniæ Cancellarius eſt, conferens, piè ueritatem amplexus eſt. Ac patronum hunc uirum Nobilem & beneficum Zizeuuicium nactus diſceſſit ab Idolorum cultibus, & in Germaniam uenit. Poſtea cùm ſpecimen eruditionis & modeſtiæ oſtendiſſet, Illuſtriſſimus Princeps Dux Pomeraniæ Philippus noluit ab eo filios erudiri, inter quos maximus natu linguam Latinam & Eccleſiæ doctrinam ita didicit, ut rectè loqui & ſcribere latinam orationem poſſit. Tandem cùm militiam illam docendi in aula

propter

propter ualetudinem reliquisset, in Academiam nostram redijt. Sed huc morbi initia attulit, male adfectum Epar, quod cùm restitui non potuerit, hodie mane sæpe repetita Inuocatione filij Dei placide decessit. Sæpe morbi tempore de beneficijs filij Dei multa piè commemorans, & sese confirmans dicebat, ut noctu iter facientes lætantur cernentes mane auroram: Sic se lætari spe illius clarissimæ lucis in cœlesti Academia, in qua hanc sapientiam de Deo, cuius in hac uita discimus elementa, intuens Deum coràm plenius percepturus esset, & auide consuetudinem Dei & Filij & totius agminis cœlestis optabat. Sicut Paulus desiderium ostendit inquiens: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Sæpè etiam uenturas dissensiones Ecclesiæ deplorabat. In Vere sequentis anni in Aprili rursus duæ Eclipses erunt, sed maximè terribilis, obscuratio Solis, cùm in nona domo uicini erunt Sol, Luna, Saturnus, & Mars. Hic positus ingentes confusiones Imperijs & Ecclesiæ minitatur. Sæpe igitur & gemitibus & uotis petebat à filio Dei mitigationem publicarum calamitatum. Deinde & se ipsum filio Dei commendabat. Non dubitamus igitur hunc Andream in numero esse illorum, de quibus scriptum est, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Plena piorum officiorum uita in aula & deinceps fuit, Nec ei quicquam eruditis & pijs sermonibus

dulcius erat, & sæpè amicos de rebus maximis grauissimè seu commonefecit seu erudijt. Concordiam in nostris Ecclesijs non solùm amabat, sed etiam suo loco arte tuebatur, ferebat iniurias, nec de omnibus negotijs pugnandum esse iudicabat, & sæpe Versus Nazanzeni recitabat, de his qui dissidia accendunt, ut sibi potentiam quærant:

τάυτα μὴν οισι φίλον, καὶ κερκώπων κράτος εἴη,
ἄυταρ ἐγὼ χρισὸν πλήσομαι ἀτρεμέων.

Et illud:

ἀλλήλοισι χέρες τε καὶ ὄυατα, καὶ ποδες ἐσμὸν.

TAli & amico & commilitone orbati non possumus non dolere. Oramus autem filium Dei, custodem Ecclesiæ suæ, & ut calamitates publicas & priuatas leniat, & ut nos gubernet, & multis bonis ingenijs det longa uitæ spacia propter communem utilitatem.

Nunc uerò hortamur scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora quarta conueniant, ubi singuli uitam suam & Ecclesiam, & hospitia Ecclesiæ Deo commendent. Die secundo Aprilis. Anno 1557.

Theologiæ

THEOLOGIAE STV= DIOSIS S. D.

CVm hoc tempore filius Dei proſtratus co= ram æterno patre, profuſiſſimis lacrymis deprecaretur pœnam pro peccatis totius mundi luendam, ſentiens horrendam iram Dei in ſe effuſam, exudat denſas guttas ſanguinis decur= rentes in terram. In hoc triſtiſſimo agone filij Dei luctantis cum morte, diſcipuli ſecuri dormiunt, nec luctu et mœrore Chriſti, nec ſuis malis afficiuntur.

O miſeras hominum mentes, ô pectora cœca,
Qualibus in tenebris uitæ quantiſq; periclis
Degitur hoc ævi, quodcunq; eſt.

Hunc ſtuporem ut excutiat diſcipulis Chri= ſtus, ter repetita uoce inquit: **Vigilate, & ora= te, ne incidatis in tentationem.** *Hæc ad nos quoq;, qui in fece ſeculorum & in ſummis pe= riculis ſecuriſſimi ſumus, & altum ſomnum in utranq; aurem dormimus, dici credamus. Excu= tiamus ueternum, & pudeat nos tanti ſtuporis, ag= noſcamus peccata noſtra, & horrendam iram Dei aduerſus peccata, & filium pro nobis peccatum fecit, & proſtrati coram æterno patre per filium Pontificem pro nobis oblatum pœnas deprecemur. Simul etiam cogitatione ineffabilis miſericordiæ*

& bonitatis erga nos, fidem excuſcitemus, & ei grati ſimus, ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν.

Vt igitur cum tota Eccleſia angelorum & hominum memoriam ſacroſanctæ paßionis, & mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti hoc tempore celebremus, hodie hora ſecunda enarrationem Pſalmi 22. ordiemur. 12. Aprilis. 1557.

Georgius Maior. D.

DECVS HONESTAE MATRONÆ.

QVam grauiter pictam pulcra ſub imagine cer-
Fœmina ſum, cœtum fœmineumq; noto. (nis.
Fama ſuper rutilum cuius celeberrima Olympum.
Extendit ſplendens laude nitente caput.
Cuius & in laudes quondam ſapientia uatis
Ebræis numeris ingenioſa fuit.
Cur ita? nam munus ſuluo precioſius auro,
Numinis æterni mittor ab arce data.
Illius obſeruo uera pietate fideq;
Iuſſa, putans atrox hæc uiolaſſe nefas.
Illius arbitrio committo negotia, ſolo
Pendet ab hoc ſulcro ſpes animoſa mihi.
Sic tamen, ut fungens matronæ munere recto,
Ocia non uitæ deſidioſa traham.

Sedula

Sedula sed ueris animi uirtutibus ornem
Et genus, & totam quam rego fida, domum.
Hinc caro semper studeo placuisse marito,
Turtureo seruit cui cor amore meum.
Cuius in optatum gremium depono dolores,
Cuius in optato gaudia figo sinu.
Lætor & amplexu sobolis dulcisq; piæq;,
Quam σοργῇς facio participem esse meæ.
Sanguine nam proprio non tantũ hanc nutrio, par-
Vacca uelut τίτθοις lacte fluente fouet. (tum
Vbera sed quoniam mihi sunt cum pectore iuncta,
Illius ut possit fortior esse calor:
In Sobolem σοργὴν transfundo, mutuus unde
In matres natis extat & ardet amor.
Huic quoq; me soboli fateor debere politas
Morum culturas, ingenijq; decus.
Ipsaq; cùm manibus tenuissima stamina ducam,
Velamenta paro non minus apta mihi.
Publica ne currens loca per, sine tegmine, forsan
Præcepti Pauli non memor esse queam:
Quo uetat ante uiros, sine peplo incedere sexum
Fœmineum, est mulier gloria namq; uiri.
Has propter dotes non cristas tollo, superbum
Non animum faciunt maxima dona mihi.
Sed cineres tango, quos continet urceus, atq;
Sum memor humanæ conditionis homo.

Quid Sophia eſt hominũ niſi commendatio mortis?
Omnibus hæc tandem eſt una terenda uia.
Quis neget ergo mihi deberi præmia laudis?
Quæ radijs uinco ſidera clara poli.
Rex Salomon dicit, me coniugis eſſe coronam.
Iudice quo numq̃ ſcommata ficta moror.
At fœlix, nimium fœlix, cui contigit uxor
Talis, ut eſt uerſu commemorata modò.
Coniuge uir tali diuinitus auctus habebit
Propitium ſemper per pia uota Deum.

Iohannes Hofferus
Coburgenſis,
Menſe Aprili. 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS
Melchior Faſolt.

CHriſte Dei fili, cœleſtis imago parentis,
Qui ſimul æternũ cum patre numẽ habes:
Tu noſtros facili miſeratus corde dolores,
Veniſti populi ſpeſq; ſaluſq; tui.
Credimus, & noſtræ manet hæc fiducia menti,
Tu quòd ab æterno ſis patre miſſus homo,
Victima pro noſtro caderes ut crimine ſolus,
Saluatorq; eſſes unicus ante Deum:

Hocq;

Hocq; tibi tanto canimus pro munere grates,
In laudesq; sumus turba parata tuas.
Cum patre te efferimus non quali dignus honore es,
Sed qualem titubans reddere lingua potest.
Christe redis magnus post diruta Tartara victor,
Sub pedibusq; premis quicquid auernus habet.
Vtq; alij statuunt victis hostilibus armis
Victores, laudis digna trophæa suæ:
Moxq; triumphantes gestarum insignia rerum
Ostendunt, claro conspicienda loco.
Incedunt alacres, & ouantia iubila soluunt,
Gestarum rerum signa triumphus habet:
Sic postquàm mortis rupisti uincla, triumphas,
Inq; hilari pompa conspiciendus ades.
Eq; lacu uiuos in quo non est aqua ducis,
Fœderis effuso sanguine Christe tui.
Inueheris curru radijs flammantibus altè,
Victorem hæc tantum quantus es ipse decent.
Anteuolat currum pars non paucissima cœli,
Angelicis turmis undiq; feruet iter.
Nec segnes adsunt: Portant insignia secum,
Ex pugna manibus quæ rapuêre prius.
Illa crucem gestat, gestat pars altera clauos,
Tertia malleolis pars onerata subit.
Ista gerit spinis fluidamq; cruore coronam,
Sunt quoq; qui secum sæua flagella gerunt.

Antè alia effulget crux, hîc χειρόγραφα pendent,
Quæ iustæ legis scripta fuere minis.
Vltrices miseris ut semper Erimnyes essent,
Horribili urgentes pectora nostra fuga.
Nunc ergo ad ueniæ fontem qui tendis, & optas
Placato rursus posse placere DEO:
Huc oculos, huc uerte tuos cum pectore sensus,
Hac melius mentem non ratio ulla iuuat.
Hîc tua de summo pendentia crimina ligno
Aspice, peccati uis labefacta tui est.
Irrita credenti uolitant chirographa, postquam
Sanguine gnati Dei facta litura tuo est.
Hinc trahitur series hostilis, & agmen eorum,
Quos domuit Christus ui superante DEVS.
Viribus inualidus Satanas, glaucaq; cuculla
Insignis, frendet dentibus, ore fremit:
Sed frustra pugnat, uincliscq; tenacibus hæret,
Ac sua, fœdatus puluere, damna gemit.
Indè cauernosum Mortis fœdumq; cadauer,
Antè triumphantis cogitur ire pedes,
Cuspideq; amissa nequicquam imbellia iactat
Tela manu, atq; ictus uulnera nulla facit.
Vadit & hæc inter facies turpissima Papæ,
Et rasis Monachis omnia mixta ruunt.
Has Christus uictor curru sublimis ab alto,
Hostiles acies uiq; minisq; premit.

Præcedunt

Præcedunt Christum, sanctißima turba, Prophetæ,
Et currum placidè celsa per astra trahunt.
Ipse sed in curru spolijs ornatus opimis,
Victoris uictor munera Christus obit:
Iussa dat ut crescat doctorum Ecclesia uoce,
Atq; bonis partis uult pia membra frui.
Mittit & æthereo sacrum de uertice flamen,
Quo duce firmatum pectora robur habent.
Turba patrum sequitur stygijs erepta tenebris,
Et multi, tenuit quos gemebunda palus.
Omnibus unanimis laudes uox concinit, omnes
Vota Deo soluunt, iubila læta sonant.
Hæc pia mens celebret dum lætum Pascha recurrit,
Hauriat & stabili gaudia uera fide.
Concipiatq; preces, pectusq; excscitet ardor,
Vt ueniat uero gloria digna DEO.
Et quia per uerbum sibi Christus colligit agmen,
Qui patris omnipotens uictor in arce sedet.
Quisq; ministerij sacrum testetur amorem,
Doctoriq; suo iusta didactra ferat:
Quisq; manu casta castas apportet ad aras
Dona, ministerio sic tribuatur honos,
Exemploq; pio reliquis reuerentia crescat,
Crescat & hac morum cum probitate fides.

In Paschate Anni 1557. quod est a primo Paschate, quod Israelitæ exituri ex Aegypto celebrarunt, Pascha 3066.

Iohannes Ricardus, Mansfeldensis.

Rector

ANNO 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SEdet filius Dei ad dextram æterni patris dans dona hominibus. Inter ea dona Paulus ipse numerat, & doctores, & doctrinam Ecclesiæ necessariam. Quòd igitur dat nobis filius Dei doctrinæ lucem, & texit hactenus hunc cœtum, grati autorem horum ingentium beneficiorum celebremus, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πάτρος. Res ostendit nos à filio Dei protegi & iuuari, cum hactenus nos delere non potuerint fanatici homines, & alij inimici, qui acerbitatem odiorum non leuiter declarant.

Oramus autem ipsum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit: **Ego sum uitis, uos palmites,** Vt nos sibi palmites faciat, & sit ipse perpetuò Rector huius Academiæ, quia certum est, non posse mentes cernere ac retinere lucem ueritatis, nisi ipso iuuante, sicut inquit: Sine me nihil potestis facere. Velle autem eum opitulari inuocantibus ipsum, grauissima adseueratione adfirmat, cùm inquit: **Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati**

onerati estis, & ego reficiam uos. Et λόγ@ apud Salomonem inquit: Delectatio mea cum filijs hominum.

Cùm autem uelit pacem in societate ciuili sic tribuere, ut homines exerceant iudicia & pœnas, uult & eligi magistratus, & armat eos autoritate, & adiuuat. Horum labor cùm non sit leuis, bono consilio constitutum est, ut eum plures inter se partiantur, & certæ uices sint.

Cras igitur Deo iuuante Rector Academiæ nouus eligetur, ad cuius renunciationem ut conueniatis manè hora septima, præcipimus. Volumus etiam, ut pia uota coniungatis, ut Deus *semper inter nos sibi æternam Ecclesiam colligat, accendat in cordibus nostris studium ueræ doctrinæ, & inuocationem uerã, & gubernet & protegat nos,*
Amen.

Pridie Calend. Maij.
Anno 1557.

Rectoratus

ANNO 1557.

RECTORATVS NOBILIS AC GENEROSI DOMINI DAVIDIS VNGNAD,

Baronis in Sonneck, & Frauenburg &c. Cuius Vicerector Reuerendus uir, Pastor Ecclesiæ VVitebergensis, Magister Paulus Eberus, à die Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, usq; ad diem sancti Lucæ Euangelistæ fuit, Anno 1557.

ORATIO EIVSDEM RECTORIS, IN QVA QVOD ELECtus sit, suam excusat puritiam, & in hoc munere adiuuari se petit à Præceptoribus, illisq; gratias agit, quòd eum dignum suo Magistratu iudicarint, & in Rectorem elegerint.

ORnatissimi uiri, Præceptores charissimi: Ita præter spem ista uestra mihi petitio oblata est, ut rei nouitate turbatus, uix inueniam, quid respondeam. Virorum grauissimorum, & prudentissimorum consilium improbare, aut reprehendere non debeo, quos ut parentes meritò ueneror. Dissimulare tamen non possum, me consider-

consiſderantem meæ ætatis imbecillitatem, & rerum omnium imperitiam, mirari quid uos moueri,ut hoc tempore munus Rectoris puero committeretis, Quod quidem quàm rectè & utiliter fiat, uestrum erit perpendere.

Ego cùm adueniens in hanc ſcholam, eius gubernatoribus obedientiam promiſerim,puto mei officij eſſe,non defugere id,quod à me tanto ſtudio exigitur. Quare etſi me plānè ineptū eſſe ad hanc functionē intelligo,et ad eius declinationem multa uerè,et iuſtè prætexere poſſem:tamen ne ſuperbus,aut contumax iudicer : quod fauſtum ſit ac fœlix, uestræ uoluntati obtemperabo,fretus bonitate ueſtra, mihiq; certò perſuadens , uos, & candido de me iudicio hunc Rectoris titulum & officium ad me detuliſſe,& in hac gubernatione cùm me,tùm eum, quem mihi ſocium huius adminiſtrationis adiungetis, ueſtro conſilio, præſentia, opera & autoritate benigne adiuturos eſſe.

Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti toto pectore oro, ut per hoc ſemeſtre tranquillitatem his regionibus concedat, & hanc ſcholam, noſq; omnes clementer gubernet, protegat & conſeruet. DIXI. Prima Maij Anno 1557.

Orionis

ORionis appellationem factam esse multi scripserunt ab ὄυζον, propter pluuias tempestates, ut de occasu eius Vergilius inquit:

Sæuus ubi hybernis Orion conditur undis.

Ego existimo ab ὥζα, potius factum esse, quia conspicuas distinctiones facit inter anni ὥζας, Aestatem & Hyemem. Sed undecunq; est adpellatio, narrat uetustas Orionem fuisse Regem in Euboea, auditorem Atlantis, qui cùm Dianam, id est, Lunam amaret, à Scorpio necatus sit. Etsi ea quæ de Scorpio dicuntur, accommodari ad positus in cœlo possunt (occidit enim Orîon ascendente Scorpio) tamen & hoc significatum est à sapientibus, qui hanc narrationem tradiderunt, amantibus Lunam, id est, considerantibus motus & effectiones stellarum, inimicos esse uirulentos homines, qui doctrinam diuinitus monstratam uituperant, & studiosos oderunt, & contra eos accendunt odia in aulis, & in populo, & adolescentiam deterrent, ut nec doctrinam de Anno, nec Arithmeticam, nec Geometriam, nec Cosmographica discant. Has artes omnes diuinitus & ostensas & comprobatas in contemptum adducunt isti Scorpij, cum Astrologiam damnant, qui quidem late spargunt suum uirus, dominantur in aulis, & apud indoctam

indoctam multitudinem, & facile perficiunt, ut iuuentus artes, quæ non sunt in honore, negligat. Honos enim alit artes, seu ut Græcè dictum est, Ζωὰ δὲ τὰ πράγματα χρείοσονα ποιῆ. Sed bonæ mentes contra Scorpios illos muniant se præceptis & testimonijs diuinis. Vult Deus anni rationem notam esse, & semper huius doctrinæ possessio penes Ecclesiam fuit. Scire enim necesse est, quibus temporibus doctrina Ecclesiæ & patefacta primùm & postea propagata sit, sicut recte inquit Tertullianus: Primum quodq; uerissimum est. Iam Numerorum doctrina fons est ordinis in uniuersa sapientia omnium creaturarum, & utilitates in uita manifestæ sunt. Est & necessaria Cosmographia, ut sciamus ubi semper Ecclesia fuerit, & ut historiæ intelligantur. Ac uetustas tanti fecit eam doctrinam, ut Aegyptij in templis posuerint Tabulas Cosmographicas omnibus spectandas, sicut in Argonautico carmine scriptum est. Etsi autem necesse est discrimen intelligi inter Arithmeticen, Geometriam, doctrinam de motibus cœlestibus, & μαθηματικὴν de stellarum effectibus, tamen sæpè hoc diximus, excellentissimam esse μαθηματικὴν per sese Arithmeticam, Geometriam, & doctrinam de motibus, quia testimonia sunt de Deo maximè illustria. Hæ doctrinæ ostendunt, hanc naturam non casu ex Democriti atomis confluxisse,

sed uerè mentem quæ est fons sapientiæ & ordinis, architectatricem esse. Hæc μαντικὴ plena sapientiæ longe anteferenda est uaticinijs de tempestatibus annorum, siccitate & humiditate, de corporum humanorum crasi: quanquàm & hæ præmonitiones Physicæ rectè consideratæ prosunt hominum uitæ. Sed de his alio loco copiosius dicitur. Nos hoc præcipue agimus, ut ad fontes doctrinarum diuinitus traditos bona ingenia inuitemus, ad Arithmeticen, Geometriam, & doctrinam de motibus. Et est uirtus, ueritatem inquirere, amare, & propugnare, nec metuere aut Scorpios aut ullos uirulentos ueritatis hostes. Sapienter feramus multorum & ineptias & contumelias in hoc genere doctrinarum, cùm uideamus longè atrociores contumelias in Ecclesia ferendas esse. Nec ueritatis studium abijciamus, nec dubitemus filium Dei sedentem ad dextram æterni Patris, dantem dona hominibus, seruaturum esse & Ecclesiæ doctrinam apud eos, qui inuocant eum, & Euangelium piè discunt, & alias artes honestas, quæ sunt ornamenta Ecclesiæ. Hac confirmati sententia amemus fontes doctrinarum. Arithmeticam, Sphæricа & Cosmographica scitis repeti à uiro doctissimo Magistro Sebastiano. Ego repetam libros aliquot Euclidis, & ut spero Deo iuuante, ea perspicuitate demonstrationes illustrabo, ut studiosi

sentire

sentire possint se proficere, & usum cernant. Tribuam Euclidi quatuor dies in septimana, ut citò procedere, & seriem propositionum meminisse possint. Vnum diem in septimana tribuam dulcissimæ lectioni eius libri Procli, in quo eleganter enarrat Quadripartitum Ptolemæi. Volumus autem scholasticos discere fontes doctrinarum, & petituris testimonia publica præcipimus, ut audiant lectiones publicas, in quibus fontes ostenduntur. Comperimus enim multos inutiliter ex lacunis doctrinam insinceram haurire, qui sciant multo utilius esse artium initia ordine ex fundamentis extructa discere. Calendis Maij. Anno 1557.

Caspar Peucerus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS DAVID

Vngnad, Baro in Sonneck, &c.

IN hac ultima & languida senecta mundi Deus singulari beneficio collocauit Ecclesiam in urbes Aristocraticas Germaniæ, ut habeat hospitia tutiora, si aut Turcicis armis, aut bellis ciuilibus fiant uastationes locorum, quæ non sunt munita. Hoc Dei beneficium grati agnoscamus, & sapientiam honestorum gubernatorum celebremus,

qui ad Ecclesias, ut semper fecit pia uetustas, adiungunt cœtus docentium & discentium literas, ut in multas regiones propagari doctrina posßit. Simul autem fit, ut & ciuium filij melius eruditantur.

Scitis autem LVBECAM cum alia ornamenta ciuilia habere omnia, tum uerò & Ecclesiam rectè constitutam, & studia literarum. Hoc decus maius est, quàm ædificiorum splendor, quem CAROLVS QVARTVS Imperator laudauit, qui solitus est dicere, se lætari, q. duas urbes splendidißimas haberet in Imperij limitibus, alteram in Italia Romam, alteram in extrema ora Germaniæ Lubecam. Rectè igitur nomen habet Lubecæ, quod significat coronam, cùm uerè sit decus & corona urbium Imperij Germanici.

In ea urbe natus fuit ex honestis parentibus adolescens SIMON DVRE, quem Deus eximia ingenij bonitate ornauerat. Et erant in eo uirtutes non solùm à natura inchoatæ, sed etiam accensæ à filio Dei uoce Euangelij, & spiritu Sancto. Studiosè enim sinceram Ecclesiæ doctrinam didicerat, cuius confessionem sæpè antea, & nunc in agone repetiuit, & se filio Dei ardenti inuocatione commendauit. Orauit etiam Deum, ut parentes & familiam clementer seruaret. Nominatim

natim iußit parentibus agi gratias pro omnibus beneficijs, & eis ſalutem dici.

Formauerat autem ipſius ingenium uir doctißimus, PETRVS VINCENTIVS, qui & indolem & mores eius laudat, iamq; tantum profecerat, ut latinum carmen laude dignum ſcriberet. Cùm autem huc attulerit morbi initium, hac nocte in cœleſtem Academiam euocatus eſt. Fuiſſe enim eum in illo numero non dubitamus, de quo ſcriptum eſt: Non eſt uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis iſtis. Etſi autem ipſi gratulanda eſt migratio in illam æternam Eccleſiam, ubi nihil eſt errorum & diſſidiorum, ſed Deus coràm in luce clariſſima cernitur: tamen nos dolere pium eſt, & propter parentum luctum, & propterea, quia bonis ingenijs propter Eccleſiam optanda eſt longæuitas.

Oramus autem Deum, ut parentum mœſticiam leniat, qui hoc cogitent, certò iam filium frui conſpectu & lætitia Dei, & futurum eſſe aliquanto poſt, ut ibi læti filium rurſus complectantur in cœtu Patrum, Prophetarum & Apoſtolorum, audientem dulciſſimos eorum ſermones. Certißimum eſt enim, homines non tantum ad huius breuis uitæ ingentes ærumnas conditos eſſe.

Adhortamur autem Scholaſticos, ut hodie hora duodecima ad pias funeris Ceremonias ante

ædes collegij ueteris conueniant, & ut ſinguli ibi ſuam uitam, & Eccleſiam, & patriam Deo pijs precibus commendent. Petant etiam, ut Deus multa bona ingenia ſeruet Eccleſiæ, & nos omnes faciat uaſa miſericordiæ, & organa ſalutaria noſtris animabus, & alijs.

Te fili Dei Domine Ieſu Chriſte, crucifixe pro nobis, & reſuſcitate, cuſtos Eccleſiæ, oramus, ut nos gubernes & protegas, Amen.

Anno 1557. die Maij ſeptimo, quo die Ottho primus Imperator, cuius fuit excellens uirtus, mortuus eſt ante annos quingentos octoginta tres.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS DAVID

Vngnad, Baro in Sonnek, &c.

SCitis Inclytam urbem Hamburgam & publicè & priuatim ualdè beneficam eſſe erga Eccleſias, & erga pauperes Scholaſticos. Cui ut uicißim benefaciat Deus toto pectore precamur. In ea urbe ciuis eſt HENRICVS VVIDMAN, *cuius eximia eſt prudentia & uirtus, quare et nunc ibi Prætor eſt. Hic uir aliquot annos dedit in Academia ſumptus, honeſto & ingenioſo homini* HERMANNO ANGELO *Schawenburgenſi, qui cùm & ingenio ualeret, & Deum*

tum recte inuocaret, doctrinam Ecclesiæ studioſè didicit, & adiunxit alias artes, quæ docentes adiuuant. Iamq; idoneus erat ad publicum docendi munus. Sed ex hac militia Deus eum euocauit. Et quidem audimus eum habuisse corpus δυνάμει σύνεσον. Cumq; recens febri conflictatus sit, naturam imbecillem uicit morbus.

Vt autem quotidiè Deo & sese & Ecclesiam pijs uotis commendauit, ita & nunc morbi tempore sæpè & confessionem suam repetiuit, & Deum precatus est, ut seruet Ecclesiam, & faciat, ut unum sit in ipso. Se quoq; lætatus est uocari ad fontem sapientiæ in Academiam cœlestem, & in hanc transferri se ardenter orauit.

Hortamur igitur Scholasticos, ut ad pias funeris Ceremonias hodie hora duodecima conueniant, non procul ab ædibus uiri honesti & eruditi, Magistri Martini Simonis, & singuli sese & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent. Petant etiam, ut Deus multis bonis ingenijs tribuat spacia uitæ longiora propter Ecclesiæ utilitatem, quia scriptum est: Non mortui laudabunt te Domine, uidelicet, in munere docendi. Quàm pulcher Senatus fuit Ecclesiæ, consessus SEM, ABRAHAM, LOTH, Regis ABIMELECH, & multorum senum, qui testimonia diuina & uiderant ipsi, & recitabant iunioribus?

ANNO 1557.

Sic multis pijs & doctis longa ſenectus optanda eſt. Die 17. Maij. Anno 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Dauid Vngnad Baro &c.

EST *in aula Principum Hennebergenſium, uir excellens eruditione, prudentia, eloquentia, & uirtute,* SEBASTIANVS GLASER, *natus in urbe Illuſtriſſimorum Ducum Saxoniæ Eisfelt, qui in Hennebergenſi regione præcipua conſilia gubernat, & reipublicæ, Deo iuuante, utiliter ſeruit in tuendis Eccleſijs, & in politica adminiſtratione.*

Eſt autem uitæ gradus honeſtiſſimus, prodeſſe Eccleſijs & ciuili ſocietati. Quare tales uiri & diligendi, & honore adficiendi ſunt. Eſt autem & hæc in eo uirtus digna laude, quòd fratrem erudiri curauit. Nam & per ſeſe Deo grata eſt σοφγὴ *erga fratrem, & magnum in uita mumentum eſt fraterna coniunctio, ut Cyrus monet inquiens :* ἑαυτοῦ κήδεται ὁ προνοῶν ἀδελφοῦ. *Sed hunc adoleſcentem Caſparum Glaſer bona cum ſpe ingreſſum in optima ſtudia Deus euocauit ex hac Academia in cœleſtem, ubi iam fontibus ſapientiæ illius fruitur, cuius riuulos in hac uita*

uita haurimus. Erat ingenium doctrinarum ca-
pax, & mores pij & sancti fuerunt. Contabuit
longa Phthisi, & quotidiè sese filio Dei ardentibus
uotis commendauit, & sæpè questus est, se ualde
dolere propter parentum luctum, ac iussit & pa-
rentibus & fratri gratias agi pro omnibus bene-
ficijs.

Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora duodecima ad pias funeris Ceremonias conueniant, in uico qui ab ære Cyprio nomen habet: Et sese & Ecclesiã singuli Deo pijs precibus commendent, & petant multis bonis ingenijs propter Ecclesiam concedi spacia uitæ longiora. Die 19. Maij, 1557.

MAGISTER SEBASTIANVS THEODORICVS VVinsemius.

PLATO ait, ei qui homo futurus sit, Arithmeticæ cognitionem perneccssariam esse. Ratio enim quæ hominem constituit & absoluit, tantam habet cum numerorum noticijs cognationem, ut qui ijs destituitur, etiam ratione uti non queat. Nam conuenientia & cognata inter se componere, contraria uerò & pugnantia diuellere, Aliud item ex alio ratiocinari & elicere,

quæ rationis noſtræ actiones ſunt, nemo poterit, qui numerare non nouit.

Sola enim ARITHMETICA *multa componere, eademq; rurſum certa uia diuidere, & aliud ex alio colligere docet. Quare utiliter iuuentuti diſcenda proponitur.*

Cùm autem paulò ante uulgaris Arithmeticæ *præcepta à* Gemma Friſio *edita, abſoluerim, nunc* Deo *iuuante, regulæ illius, quæ* ALGEBRA *ſeu Coſſa dicitur, principia, à Magiſtro Caſparo edita, Logiſticæq; minutiarum* Phyſicalium *adiuncta prælegam, Cuius cognitio eo ſtudioſis gratior eſſe debet, quòd in tota numerorum doctrina ea nihil extat abſolutius, nihilq; perfectius. Nec ullum exemplum* Arithmeticum *excogitari poteſt, quod à perito huius regulæ explicari ſine negotio non poſſit. Adiungam autem Sphæricorum elementorum explicationem, & tribuam ſicut antea factum eſt priores duos ſeptimanæ dies Coſſæ, poſteriores uerò Sphæricis Elementis, quæ ad proximam diem* Veneris, *Coſſam uerò ultima Maij, Chriſto auſpice, inchoabo.*
Die 23. Maij. 1557.

PETITIO ELEMOSYNAE.

SCitis multos pios Paſtores, recte docentes, cum familijs expulſos eſſe ex limitibus Boiemiæ,

iemis, qua in re hoc quoq; dolorem omnibus auge-re debet, quòd laudata Boiemorum natio, quæ olim & sapienter ac piè errores Pontificis taxauit, & fortiter armis defendit Ecclesias rectè docentes, nunc uidet gementibus multis pijs exerceri hanc asperitatem à paucis, qui ueritatem manifestam, quod scimus, contra conscientiam suam oppug-nant.

Magno autem cum dolore hunc Senem Ni-colaum, patrem quinq; filiorum & duarum filia-rum, audiuimus inter cæteros in hac senecta, et cum misera familia ex limite Boiemico pulsum esse. Quare oramus omnes, qui aliquid ei largiri pos-sunt, ut aliquid ad uiaticum ipsius conferant. Cer-tissimum est Deum propter hæc beneficia pœnas publicas & priuatas mitigare. Et hanc fidem in hac beneficentia exerceamus. Datæ Calendis Iunij. 1557.

Philippus Melanthon.

IN HECVBAM EVRIPIDIS.

HEcubam Euripidis, Deo iuuante, incipiam interpretari prima Iunij hora septima, in qua sapiens Poëta rerum humanarum fra-gilitatem pingit, & simul quantum ab homine

Ethnico

Ethnico atq; Philosopho fieri potuit, docet, Quomodo mutatio fortunæ, & res aduersæ ferendæ sint, & quòd animi magnitudo ac patientia optimum sit remedium miseriarum, quibus plena est uita humana. Suppeditant nobis sacræ literæ in Ecclesia Christi longè efficaciorem medicinam, & consolationem firmiorem, quæ ostendunt uerum leuamen dolorum in rebus aduersis.

Attamen & hæc cognoscere operæ precium est, præsertim à tali artifice descripta, quem omnes posteriorum temporum uiri præstantibus ingenijs prædíti fecerunt maximi, cuius singulos uersus, singula oracula esse, dixit Cicero. Igitur scholasticos non pigebit operæ, quam in hoc scriptore cognoscendo ponent, cuius incredibilem sapientiam, multifariam doctrinam, & eloquentiæ uim omnis posteritas tantoperè admirata est. In huius enim scriptis uerè lucet illa sapientia & doctrina, propter quam Græcia præ cæteris nationibus adeò celebratur.

Precor Deum, ut studia nostra, & totius uitæ nostræ curriculum regat ac gubernet ad æterni nominis sui gloriam: & ut pacem nobis ac tranquillitatem, ad has operas scholasticas, Ecclesiæ atq; reipublicæ utiles & necessarias, clementer lar-

ter largiatur, per Christum redemptorem nostrum, Amen.

Vitus Ortel
VVinsemius. D.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS DAVID Vngnad Baro in Sonneck, &c.

QVotidiana recitatio Symboli commonefacere nos debet, ut grati cogitemus ingentia beneficia Dei, quæ præstat nobis in creatione nostri, in missione filij, & in donatione spiritus sancti, & uitæ æternæ. Tota enim hæc doctrina ordine in Symbolo comprehensa est, ac simul ardenti precatione petendum est, ut & uitæ nostræ opituletur Deus creator, & nos propter filium clementer recipiat, & spiritu suo Sancto gubernet. Hæc in quotidiana inuocatione cogitanda sunt, & tota doctrina de patefactionibus diuinis mente intuenda est.

Sit autem ardentior inuocatio his diebus, cùm in Ecclesia proponitur doctrina de patefactionibus in promulgatione Legis, & in missione spiritus Sancti. Ingens beneficium est, quòd Lex tam illustri testimonio inter Sexcenta millia uirorum cœlesti uoce tradita est, ut uerè sciamus qualis sit

Deus

Deus, & qui cultus ei placeant, & quòd ad hoc conditi ſimus, ut fiamus conformes legi: & quidem tradita eſt lex manu mediatoris, quod uetuſtas de filio intellexit, qui alloquitur populum, & conſtitutus eſt mediator, ut per eum Legi ſatisfiat, & per eum Lex in nobis reſtituatur. Ampliſſima ſapientia eſt in hac tota promulgatione, quæ quidem non tantùm ad illa tempora, aut ad illam multitudinem pertinuit, ſed ad totum genus humanum, & ad omnia tempora pertinet.

Et furores Antinomorum ſimiles Cyclopum furoribus execrandi ſunt, qui legem Dei contemnunt, & nihilo magis ratam eſſe putant, quàm Laconicas leges de ferreo nummo, & ne raderet Lacedemonia μύσαρα. Abſit à nobis illa prophanitas, & diſcamus quid ſit Lex Dei, & quis ſit eius uſus. Deinde & doctrinam adiungamus de filio mediatore, & de ſpiritu Sancto. Conuertamur ad Deum, petamus, ſicut in dulciſſima promiſſione dicitur: Effundam ſuper domum Dauid ſpiritum gratiæ, & precum.

Te igitur æterne Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, creator cœli & terræ & hominum, cum filio tuo coæterno Domino noſtro Ieſu Chriſto, & ſpiritu Sancto, ſapiens, uerax, bone, iuſte,

ne, iuste, Iudex, misericors, ne cunctis ad propitiare filium Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, & per eum nos iustifices, & regas nos spiritu tuo Sancto, colligas inter nos, seruas & regas Ecclesiam.

Cùm autem spiritus Sanctus non nisi doctrinæ cogitatione in corda hominum effundatur, vult Deus ministerium Euangelij honore affici. Quare præcipimus omnibus scholasticis, ut significationem reuerentiæ erga ministros Euangelij ostendant, & eas singuli mutuo ad Aram adferant. Hic mos honesti exempli causa retinetur, ut omnes commonefiant de reuerentia debita rectè docentibus. Anno 1557. In Pentecoste, quæ est ab exitu Israelitarum ex Ægypto Pentecoste 3066.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Dauid Baro in Soneck, &c.

ERgo redit fausti lux quinquagesima signi,
Qua celebrent omnes munera magna Dei.
Si spectes retrò, numerúsq; et tempora seruas,
Quæ distincta suis sunt numeranda locis:

Hæc decies quinta est, si producatur ab illa
Qua uicit mortem filius ipse Dei.
Gaudia iam totum sancti celebrate per orbem,
Quo uos cumq; statu terra locusq; tenet.
Hæc repetita dies leuium haud miracula rerum
Proponit festo conspicienda suo.
Sunt hîc diuinum numen monstrantia signa,
Non habet hæc unum bina sed una dies.
Hæc ego dum referens puerili carmine pingo,
Tu rege conatus Spiritus alme meos.
Cùm ueteris linquens stagnantia flumina Niki
Gens quæ de Iudæ nomine nomen habet,
Iam mare per rubrum gressus inferret apertos,
Et staret, marmor ceu solet, unda freti.
Per deserta situ loca plebs transire coacta,
Contigerat montis culmina Sina tui.
Multa fuit perpessa, sitim perpessa famemq;,
Luxq; nouis decies quinta nitebat equis.
Nec mora uibrantur quassata cacumina Sinæ,
Viscеribus tellus ingemuitq; suis.
Crebra micant summo demissa tonitrua cœlo,
Caligo monti contegit alta caput.
Hæc inter, fremitus latè clangorq; tubarum
Auditur, qualem classica dira sonant.
Aduentusq; Dei fumantia culmina Sinæ,
Atq; incompertæ signa dedere rei:

Stat

Stat populus circũ, tremebundaq́; membra pererrat
Frigus, & in castris cuncta timore stupent.
Hîc Deus ardenti legem promulgat in igne,
Iussaq́; Sinaica rupe tremente sonat.
Legifero uati tabulis ea scripta duabus
Tradit, & æternum pondus habere iubet.
Hæc promulgatæ tunc magnificentia legis
Ipsius ante Deum gloria tanta fuit.
Non igitur uox hæc est fabula uana putanda,
Non leuis est iusti uindicis ira Dei.
Ac lex æternæ cùm sit sapientia mentis,
Norma uoluntatis iusticiæq́; Dei:
Sic immota, Deus uelut est immotus, & ipsa est,
Et nos condemnat perpetuoq́; ligat.
Illaq́; testantur stimuliq́; & flagra dolorum,
Cùm lex euigilans fulmina sæua iacit.
Accusatq́; reos, ingentesq́; aggerat iras,
Nunciat & pœnas iudiciumq́; Dei.
Cognita nam nobis inscriptaq́; mentibus hæret,
Insita ceu prima conditione fuit.
Cur autem repetit Deus aut? cur uoce nouoq́;
Mandato instaurat cognita mente prius?
Mens hominum cœca caligine mersa laborat,
Atq́; obscuratæ semina lucis alit.
Amisit lucem, lucis modò semina restant,
Illaq́; stat facili corruitura mora.

Hîc opus arte fuit, noua ne ſcintilla periret,
Æternum tenebris excuteretq; Deum.
Præterea uoluit nos omnes ſcire Creator,
Hoc noſtrum cœli lumen ab arce trahi,
Hunc radium lucis diuino è fonte micare,
Aeterni qualis lucida flamma Dei eſt.
Plus igitur ualeat cum mentibus indita noſtris
Noticia hæc uerbo ſit patefacta nouo.
Hæc ueteri nobis proponit imagine feſtum,
Quod patria Iudæ gens celebrauit humo.
Nos his admoniti gratam teſtantia mentem
Fundamus ſummo iubila grata Deo.
Quòd ſeſe pleno patefecit numine nobis,
Ne iaceat tenebris mens tumulata ſuis.
Sed ſciat eſſe Deum, cultumq; & cætera præſtet,
Quæ ſibi uult tribui mens ueneranda Dei.
Nunc maiora canam, uires mihi ſuffice numen,
Numen ab æterno flammula caſta Deo.
Te ſimul atq; tuum referam uenerabile donum,
Ecce tibi laudes hoc meditatur opus.
Chriſtiadum celebret cur gens hæc feſta quotannis,
Et qui ſit cultus, quæ ſit origo canam.
Gloria magna fuit cùm tradita fulmina legis
Quaſſarunt ſcopulos, cordaq; dura ſimul.
Gloria ſed maior quando noua gratia cœlo
Miſſa, ſerenata luce coruſca fuit.

Nuncis

Nuncia quæ quondam legales protulit iras,
Est eadem ueniæ nuncia facta dies.
Paschatos à festo lux quinquagesima mundo
Venerat, Eois sol erat ortus aquis.
Discipuli unanimi coniuncti pectoris æstu
Conueniunt, ipsi turba probata Deo,
Spe pleni expectant donum, precibusq; requirunt,
Quod monstret certã per fera damna uiam.
Quo duce conatus errantis flectere mundi,
Perq; eius possint fortiter ire minas.
Dumq; manent taciti sub eadem sede morantes,
Atq; animo uoluunt uerba sacrata Dei:
Ecce repentino tremuit concussa fragore
Tota domus, sonitus flaminis instar erat
Non secus atq; alis agitatus in aëre uentus
Ingentem strepitum per loca mota facit.
Sic oritur magnus per tecta sonantia flatus,
Occupat & totam mobilitate domum.
Nec mora discipulis uibratur in ore trisulca
Lingua, micans ueluti uiuida flamma micat.
Occupat hinc omnes Deus æthere missus ab alto,
Qui patris & nati est pectoris unus amor.
Discipulis uerò flammis exæstuat intus
Pectus, & ignito corda calore uigent.
Hinc festum celebrant, seri ut meminisse nepotes
Hoc possint, fecit quod pius autor opus.

Nos igitur morem iam nunc ſeruamus eundem,
Et grates memori dicimus ore Deo.
Vtq; ea uiſibili tunc ſunt data munera ſigno,
Quotidie dantur ſic ea dona pijs.
Namq; miniſterio ſacri cùm nuncia Chriſti
Vox ſonat, & menti deuius error abit:
Filius accelerat ſimul, inflectitq; docendo,
Et noſtris uiuit mentibus ipſe λόγος.
Tunc & ab amborum communis flammula corde,
A Patre & à gnato funditur acer amor.
Spiritus ille ſacro ſubiens præcordia flatu,
Viuificis flammis illa repente fouet,
Exhilarat, monet, inſtigat, calcaria præſens
Addit, & interius nubila cœca fugat.
Quæ prætenta prius nos immerſere tenebris,
Atq; hebetauerunt pectoris omne decus.
Quin & confirmat, mentemq; excuſcitat ipſam,
Audeat ut uocem tollere ad aſtra ſuam,
Atq; uocare Deum, ſeq; huic committere ſoli,
Et certam dubijs poſcere rebus opem.
Deniq; ut in nobis incendia talia flagrent,
Qualis inexhauſto eſt Spiritus ipſe bono.
Non ſecus ac ſummum cùm Sol perluſtrat Olympũ,
Ac ſtringit radijs inferiora ſuis,
Virtutem effundit, gemina & ratione iuuandis
Vtilis eſt rebus, munera bina gerit:

Impertit

Impertit lucem, uiuo uegetatq; calore,
Quo succis crescunt omnia fota suis:
Sic quoq; Spiritibus nostris miscetur & ipse
Spiritus, æterni flammula pura Dei.
Altaq; mox peragrans cerebri laquearia nostri,
Luce noua accensum cor fluitare facit.
Iudicet ut uerè quæ sit sententia recta,
Quæ placeant summo displiceantq; Deo.
Hinc & lætitia fouet exultantia corda,
Et motus norma conueniente ciet,
Hæc operante intus diuino flamine fiunt,
Spiritus hæc miris perficit ipse modis.
Cum sacer effusus nos flectit, & arte gubernat,
Et sedem in nostro pectore castus habet,
Conferat huc aliquis mundo quodcunq; probatur?
Aut precij magnum quod ratione sui est.
Omnia nil quicq̃ sunt, nec bene digna uocari,
Collata ad tanti munera magna boni.
Consociat sese nobis Deus omnia præstans,
Quid maius quàm se quod dare possit habet?
Ergo Deo grati curas ponamus inanes,
Atq; agnoscamus talia dona fide.
Gratia iam cœlo signis melioribus orta
Splendet, & interius gaudia mentis alit.
Non fragor horrendus, non hîc sunt fulmina legis,
Omnia sed placidi signa fauoris habent.

Spiritus in nobis confirmat & omnia ſanat,
Pellit & horrores terrificaſq; minas.
Ah Deus hic nobis ſemper ſac Spiritus adſit,
Pectora quì uerè purificata regat.
Atq; fide accendat te ſolum ut cernere poßint,
Eijciant ſordes hocq; iuuante ſuas.
Humanæ mentes nimia caligine preſſæ
Cæcutiunt, firmæ nil rationis habent.
Hoc duce deſertæ tenebris merguntur, & altâ
Nocte iacent preſſæ, lumina nulla uident.
Hæc igitur nobis adſit lux optima uitæ,
Præuiaq; incedens per mala monſtret iter.
Sic tibi ſeruati poſt hæc diſpendia uitæ,
Viuemus uultum ſuauiter ante tuum.
At quia per uocem doctrinæ hæc munera dantur.
Spiritus & ſanctus corda renata ſubit:
Quiſq; miniſterij ſanctum declaret amorem,
Doctoriq; ſuo iuſta didactra ferat.
Et caſta dextra ſua munera portet ad aram,
Exemplo reliquos eruditq; pio.

In Pentecoſte Anni 1557. quæ eſt ab exitu Iſraëlitarum Pentecoſte 5066.

Iohannes Ricardus
Mansfeldenſis.

Hebraico

HEBRAICAE LINGVAE STVDIOSIS SALVTEM.

COgnitionem linguæ Ebreæ & Græcæ neceſſariam eſſe Eccleſiæ Dei omnes ſcitis. Et hodierni feſti hiſtoria monet, ſingulare donum eſſe, quo Deus ornat Eccleſiam, noticiam Linguarum. Etſi autem aliàs plures aliàs pauciores fuerunt in Eccleſia, qui linguas norunt, Ebræam & Græcam, tamen ſemper aliqui fuerunt, ut poſſent fontes conſuli, de quibus dictum eſt: Benedicite Domino de fontibus Iſrael, Ideo in Academijs lectores linguarum eſſe debent.

Cumq; mihi publica autoritate mandatum ſit, ut Ebræam Grammaticen tradam, lætor me uocatum eſſe ad laborem, quem neceſſarium eſſe Eccleſiæ fateri omnes coguntur. Scholaſtici etiam hanc linguam propter Eccleſiam libenter diſcant. Inchoabo igitur Deo iuuante meam prælectionem die Lunæ poſt Dominicam Trinitatis, ut nominamus, ac biduum Grammaticæ tribuam, alterum biduum Prouerbijs Salomonis, ut exempla regularum oſtendantur. Scitis autem eius libelli eximiam ſuauitatem eſſe, nec in ulla gente Gnomas extare dulciores.

Hæc publicè significo, ut maiori frequentia conueniant auditores, præsertim cùm Principis sine ipsorũ sumptu, hæc prælecturus sim. Oro autẽ filium Dei λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίῳ πάτρῳ, ut me quoq; gubernet, & utilia Ecclesiæ studia tueatur. Decreui autem de consilio Præceptorum nostrorum prælegere Grammaticam Sebastiani Munsteri, quæ Elementa huius linguæ discere uolentibus propter ordinem & perspicuitatem plurimum prodesse potest.

Iohannes Bugenhagen Iunior.

IN ORATIONEM DE MOSTHENIS.

Cicero ait, in oratione Demosthenis περὶ στεφάνου tantam esse eloquentiam, quantam inclusa in animos, idea requirat. Fortassis hæc prædicatio immodica est. Sed uerè Plinius dixit, canonem & normam dicendi esse eam orationem: Certe utilissimum est eam sæpè legere, & considerare formam & consilia.

Ideò propter adolescentes rursus eam cum Deo iuuante interpretari incipiam. Causa est splendida, an rectè fecerit, quòd bellum suasit. Aristoteles Demadem reprehendit in Rethoricis, qui dixerat,

qui dixerat πολιτείαν Demosthenis fuisse causam malorum, quæ secuta sunt. Fallaciam inquit esse Aristoteles ex non causa, ut causa, ὃ ἅμετὰ τοῦτο ἀλλὰ διὰ τοῦτο, illa acciderint.

Philippus Melanthon.

PAVLVS EBERVS OMNIBVS LECTVRIS S. D.

DEI beneficio uixi in hac Academia annos quinq; & uiginti, in qua Deus me clementer seruauit in magna temporum uarietate, & mihi inter doctos & pios ueræ doctrinæ semina, & alia multa bona tribuit. Hæc beneficia me à Deo accepisse grato pectore commemoro, & sæpe repeto uocem Iacob: מִבְּלִי הַחֲסָדִים וּמִכָּל הָאֱמֶת אֲשֶׁר עָשִׂיתָ אֶת עַבְדֶּךָ. Minor sum cunctis miserationibus tuis: Et ueris gemitibus filium Dei Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, crucifixum pro nobis & resuscitatum, custodem & caput Ecclesiæ suæ oro, ut semper in his regionibus Ecclesiam colligat, & protegat eius hospitia, & semper has Academias regat, & efficiat, ut omnes unum in ipso simus. Scitis autem, me hactenus mediocri sedulitate docuisse & linguas, & artium initia. Et nunc propter imbecillitatem corporis, & animi mei, in ijsdem studijs, quæ minus adferunt cu-

rarum, periculorum, & certaminum, conſenesce re malim, præſertim cùm tanta rabies ſit ingenio rum: tamen ut Illuſtriſſimi Principis & Senatus Academiæ uoluntati obtemperarem, magnæ & graues cauſæ fuerunt, qui mihi locum reuerendi uiri Doctoris Forſteri tradiderunt. Significo igitur, me, DEO iuuante, enarraturum eſſe Eſaiam, & Iohannis Euangelium. Et oro filium Dei, ut nos omnes doceat & gubernet. Profiteor me ciuem eſſe ueræ Eccleſiæ Dei, cuius & partem eſſe hanc noſtram Eccleſiam, non dubito. Quare non diſcedam à confeßione noſtra, nec gignam nous dogmata, nec rixas inutiles ſeram: ſed, Deo iuuante, ſine corruptelis repetam doctrinam diuinitus traditam, iuxta fontes, id eſt, libros Prophe ticos & Apoſtolicos. Vos etiam memîneritis, uelle Deum, eſſe Miniſterium docendi, & uoce Euangelij, & non aliter, colligi æternam Eccleſiam. Propterea doctrinæ ſtudia amemus: Nec deterreamur furoribus Stenkefeldianis, qui abijciunt externam uocem. Et quàm ſit impudens Sophiſtica illorum Enthuſiaſtarum, adparet ex hoc argumento, quod iam recens ſcripſit quidam Nebulo inter illos: Vnus eſt mediator Dei & hominum, Chriſtus: Ergò uox doctrinæ non eſt medium, quo Deus eſt efficax. Talibus præſtigijs ludere, pentulantis eſt digna odio. Cùm inquit Paulus:

Vnus

Vnus est mediator, loquitur de mediatore propiciationis, seu placante iram Dei, non loquitur de modo cognitionis, quo ille ipse mediator agnoscendus est. Nos simplicem ueritatem amemus, & fideliter [illegible] *tueamur uocem doctrinæ. Lectionem & cogitationem necessariam esse, sæpissimè adfirmant perspicua dicta in scriptis Propheticis et Apostolicis, ut Paulus inquit: Sis assiduus & attentus in lectione. Et Esaias nos deducit ad scriptam doctrinam, inquiēs: Ad legem & testimonium, Non erit matutina lux abijcienti hanc normam. Quæ .n. certitudo esse potest, remota lectione Prophetica et Apostolica? Recte Basilius in definitione Fidei postulat, ut sit certitudo, et deducit nos ad doctrinam diuinitus traditam. Hæc est enim apud Basilium dulcis definitio:* πίστις ἐστὶ συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας τῶν κηρυχθέντων θεοῦ χάριτι. *Fides est firmiter adsentiri auditis in ueritatis certitudine eorum, quæ Dei gratia prædicata sunt. Vult firmam assensionem esse, & de ijs, quæ Deus immensa bonitate patefecit uoce filij Dei, Prophetarum & Apostolorū, uult mentes nostras habere* συγκατάθεσιν, *id est, approbationem seu adsensionem, &* πληροφορίαν, *id est, certitudinem. Hæc fit, cùm lectione et cogitatione doctrinæ filius Dei corda confirmat. Quàm perniciosæ insidiæ sunt, abducere homines*

à lectione

à lectione & à cogitatione doctrinæ, ad somnia de Stoica necessitate, qua fingunt mentes rapi sine lectione & sine cogitatione? Semper Ecclesiam hæc duo genera hostium oppugnarunt: Prophani, qui quærunt concinnitatem, & articulos fidei transformant in imaginationes blandientes rationi, ut περὶ λόγου fecerunt Samosatenus, Mahometus, Seruetus, Thammerus, & de multis materijs alij multi. Alterum genus hostium est Enthusiasticum, quod falsò iactat adflatus, abijcit ministerium Euangelij, laborem audiendi, legendi, cogitandi uocem doctrinæ. Tales fuerunt Manichæi, & multi præstigiatores alij, & nostro tempore Anabaptistæ, quales fuerunt in urbe VVestualica, qui falso iactarunt, se ad regnum constituendum diuinitus uocatos esse. Et nunc iste Nebulo, qui defensionem edidit Stenckefeldij ficto alieno nomine, scribere audet, nos non esse Ecclesiam, quia magna multitudo sit inter nostros inhoneste uiuentium. Ille uerò cum nomen profiteri non ausit, ostendat, cuius Ecclesiæ ciuis sit ipse. Vult Deus conspici Ecclesiam, uult audiri uocem Euangelij, & rectè docentes prodire, habere & ostendere pios cœtus: non uult esse Lucifugus. Cur igitur scriptor ille nomen non adscripsit? Nos obtemperemus uoci diuinæ. Firmissimè statuamus æternam Ecclesiam uoce Euangelij colligi, & fili-

um

um Dei uerè efficacem esse cogitatione externæ uocis, sicut scriptum est: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Doceat & confirmet etiam pios usus, in quotidiana inuocatione. Sed de his tantis rebus crebras commonefactiones auditis. Hæc breuiter nunc recitaui, ut impudentiam Sophisticæ Stenckefeldianæ cognoscere tis in argumento, quod extat in libro uenenatissimo, scripto à quodam Anonymo. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos gubernet. Prælectionem auspicabor Deo iuuante, Die 21. Iunij, hora tertia. Dominica Trinitatis.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS MEDIcæ Iacobus Milichius, artis Medicæ Doctor.

VOluit Deus conditor huius pulcherrimi operis, Mundi, hoc totum & mirandum ædificium, Cœlum, sidera, motuum leges, Elementa, genus humanum, res nascentes in terra & in aqua, miranda uarietate, theatrum esse non solum in quo hæc corpora obuia sensibus aspicerentur, sed multo magis, in quo ipse totius machinæ artifex agnosceretur: uult considerari, quis & qualis sit, uult hæc opera de sese testimonia esse, non

eo tam-

eo tantùm, ut in hac breui & mortali uita, fugacissima uoluptate fruamur, sed multo magis, ut ipsa sese Diuinitas nobis communicet, & in tota æternitate, sit Deus omnia in omnibus beatis. Sic enim communicat se Deus, cùm considerantur & creatio & restitutio generis humani, per filium. Itaq; primum propter gloriam Dei rerum naturam aspiciamus, & conditorem celebremus, & ei gratias agamus. Postea utilitates inde grati sumamus, quas Deus in nutritione, & medicatione nobis proposuit. Quantulacunq; autem reliqua est doctrina & de natura corporum mundi, & de utilitatibus in Nutritione & Medicatione, comprehensa est in scriptis Medicorum. Quare & propter gloriam Dei, & propter nostram utilitatem, ueneremur doctrinam Medicorum, & grati ingentibus beneficijs fruamur. Cùm igitur cras duobus clarissimis uiris eruditione & uirtute præstantibus, Magistro Henrico Paxmanno Burguuerensi, & Magistro Iohanni Goebelio Cygneo, publicum testimonium eruditionis & uirtutis tribuendum sit, petimus ut omnes in hac Academia ad renunciationem testimonij, in qua honestissimo gradu Doctorum artis Medicæ bi duo uiri ornabantur, conueniant. Magister Henricus Paxmannus iam annos octo in hac Academia multorum studia adiuuit, docuit Philosophiæ initia, & Latinam

& Græcam

& Græcam linguam. Goebelius in Inclyta Cygnea, quæ semper singulari beneuolentia & liberalitate discentibus opem tulit, fideliter & Deo iuuante fœliciter ægrotis ciuibus medetur. Quare & propter doctrinæ amorem, & propter hos honestos & doctos uiros libenter conuenire nos decet, præsertim cùm sciatis scriptum esse: Honora Medicum, Deus enim & remedia condidit, & regit Medicum. Vtinam Dei beneficijs reuerenter uteremur, sicut ipse præcepit. Et expresse scriptum est in Siracide, καὶ ἰατρῷ δὸς τόπον, καὶ γὰρ αὐτὸν ὁ κύριος ἔκτισε, καὶ μὴ ἀποστάτω σου, ὁ γὰρ αὐτοῦ χρεία.

Die Iunij sedecimo,
Anni 1557.

CASPARVS CRVCI-
GER S. D.

AGnosco fateorq; me decentis
Egressum propè terminos, pudoris
Suscepisse meis onus lacertis
Longè maius, in explicatione
Libri, quem Cicero senex Athenis
Musis & sapientiæ uacanti
Gnato miserat, aureum uolumen,

Et cete

Et ceu μνημόσυνον paterni amoris,
Docte, suauiter, optimeq; scriptum,
De uirtutis & ordinis decori
Norma, conuenientibusq; metis.

Quapropter doleo uel eruditi
Haud me munere posse uel diserti
Fungi interpretis, ut decebat hac in
Autores Academia latinos
Iussu Gymnasij inclyti legentem.
Verùm qua ratione nunc soluto
Currens sine Carina per profundum
Versis flectat iter citata uelis,
Ac portus repetat procul relictos?
Dum uenti mare concitant iniqui,
Dum fluctu freta turbido minantur.
Si uix ergo receptui canendo
Id uitare periculum licebit
Pugnantes quod adire non recusant:
Constat decoris minus uideri
Quiduis ferrè periculi cientem
Ferro prælia, quàm gradum referre
Moliriue fugam periculosè.

Meum CRAS igitur, Deo iuuante
Ad pensum reuocabo me institutum
Ceptæ munus & explicationes.
Valete.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS DAVID Vngnad, Baro in Sonneck, &c.

ADolescens natus in oppido Francico Rotenburg in ripa Tubari, Iohannes VValtman, cuius fuit bona indoles, extinctus est dyssenteria inter piam confessionem & precationem ad filium Dei. Hortamur autem Scholasticos, non solùm ut ad funus conueniant, ante Nosocomium Academiæ, quod fiet hora quarta: sed multo magis, ut in ratione victus sint diligentiores & circumspectiores, quia & aër, & uina huius anni, quæ non rectè efferbuerunt, & fructus non percocti, propterea quia æstas frigidior est, multas adferent dyssenterias, præsertim ijs, qui crudita-tes sibi accersent malo victu, aut ordine cibi & somni neglecto. Ita præcipit Deus curam ualetudinis tuendæ, ut nominatim scriptum sit, Honorem habendum esse corpori. Vbi non sine causa tali uerbo usus est Paulus. Ideò enim honos corpori debetur, quia Deus facit nostra membra domicilia et organa sua. Lucet in mente λόγος, & ostendit Patrem, & Spiritus sanctus permiscet se tuis spiritibus, qui nascuntur in corde, & accendit inuocationem & dilectionem. Precamur itaq; Deum ſonem uite, ut ipse & protegat nostra corpora, &

faciat, ut ſemper ipſius templa ſint, in quibus uerè luceat & celebretur. Vult autem & nos cauere, ne ipſi barbarie uitæ, aut uictus, perniciem nobis attrahamus. Datæ die Iunij 18. Anno 1557.

GEORGIVS MAIOR
THEOLOGIÆ STVDIOSIS
S. D.

DVlciſſima promiſſio & conſolatio eſt, quam filius Dei nobis conſiderandam proponit, cùm inquit: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Eccleſia enim eſt cœtus, qui filium Dei redemptorem, Mediatorem, & ſaluatorem ſuum agnoſcit, & eum uerè diligit, ideò eius doctrinæ fidelis cuſtos eſt, eam diſcit, fide ſincera & bona conſcientia retinet, & alijs incorruptam tradit, quem cœtum uoce filij ſui collectum, et amantem filij, æternus pater rurſus complectitur, & in hoc cœtu, ut in ſede & templo ſuo habitant æternus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & ideò ibi habitant, ut hunc cœtum ſanctificent, eius preces & gemitus exaudiant, eum contra Diabolorum & Tyrannorum furores defendant, ſeruent, & ſaluent, ut omnes unum ſint: & ſicuti

& sicuti pater in filio est, & filius in patre: ita & ipsi per Spiritum sanctum in patre & filio unum sint, quæ uerè admiranda κοινωνία, est, ad quam uocamur.

Non sunt igitur Ecclesia Dei, Mahometistæ, & alij, qui filium Dei oderunt, & eius doctrinam per Prophetas & Apostolos traditam aspernantur & abijciunt. Quoniam igitur hæc Ecclesia & Schola, cuius nos ciues sumus, fidelis custos & interpres est doctrinæ filij Dei, & incorruptam multis alijs Ecclesijs communicat, lætemur nos eius esse membra, & certò statuamus, nos ab æterno Patre propter filium Dominum nostrum Iesum Christum uerè diligi, & in hoc cœtu habitare Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & habitaturum esse, quamdiu hæc Ecclesia & Schola doctrinam filij Dei seruabit, & sonabit. Quæ promissio & docendi & discendi curam in nobis omnibus accendere debet.

Postremo quia hactenus pro uocatione & mensura nostra ordine Pauli Epistolas enarrauimus, iam eius enarrationem, quæ ad Galatas scripta est, Deo iuuante, 25. Iunij inchoabimus, quæ inter cæteras tanquàm gemma illustris & preciosa lucet, & quasi compendium Epistolæ ad Romanos est.

Valete.

ANNO 1557.

CLARISSIMO POETAE M. HENRICO MOLLERO

Hesso, VVitteberga in Sueciam abeunti

S. P. D.

IOHANNES SCHOSSERVS

Poêta Laureatus.

Dũ procul à nobis longinqua per æquora uectum,
Suecica Parrhasio regna ſub axe petis
O Mollere ſacris Vates cariſsime Muſis,
O decus, & Clariæ fama perennis aquæ:
Ipſe tibi meritò prolixis uerſibus optem,
Aſpiret uelis ut leuis aura tuis.
Forſan & in tumidæ iactato fluctibus undæ
Carmina Schoſſeri cernere dulce foret.
At quia te Muſæ comitantur, & inter eundum
Aurea uirgineo pollice plectra mouent,
Demulcentq; tuas iucundis uocibus aures:
Carmina lætitiæ nil tibi noſtra dabunt.
Nec tamen idcirco noſtrum dediſcere nomen
Te quia complectar ſemper amore, uelis.
Phœbe pater uatum, qui mundum lumine comples,
Molleri dubias tu moderare uias.
Tu radijs illi minitantes diſcute nymbos,
Ne noceat uati ſæua procella tuo.
Sic emenſus iter cũm rurſus adiuerit Albim,
Ornabunt aram ſerta roſæq; tuam.

Melchior

MELCHIOR SAVRVS CYGNÆVS EIDEM MOLlero S. P. D.

FAma nouenarum celebris Mollere sororum,
Artis & ingenij munere clare tui.
Altera meßis adest socij iunctura fauoris,
Quo nos Leucorea nexuit urbe duos.
Qua clari docto pendemus ab ore Philippi,
Vni grata Deo quæ Philomela canit.
Ornat & has artes, per quas Ecclesia crescit,
Pulchrius est quarum cognitione nihil.
Illa canit medios inter Philomela sophistas,
Et graue pro Christi nomine gestat onus.
Cuius ad unius sua dirigit omnia laudem
Acta, senem Deus hunc det superesse diu.
Sed uocat è socio te nunc sors aspera cœtu,
Linquis & Albimæ docta Lycæa scholæ.
Atq; ferenda tibi sunt tædia longa uiarum,
Et maris, & terræ multa pericla subis.
Ergo Deum precor ut iam te comitetur euntem,
Faxit & ut redeas nunc benè sicut abis.
Omnis erit sine quo sociæ mora longa cohorti,
Quam tibi fraterno iunxit amore Deus.
Cuius terrarum fueris ubicunq; recentem
Noticiam memori mente tenere uelis.

Pro te ſollicita ſemper quæ uoce rogabit,
Te Deus incolumem ſeruet ut inter iter.
Non tibi Leucorei ſint agmina clara Lycæi,
Poſtremò arctoi urſa nec arua ſoli.
Hinc bona te ducant, ſed et huc bona fata reducant,
Aduerſiq; tuum nil remoretur iter.
Balthica felici ſuperes precor æquora uento,
Contingas gelidæ Suecica rura plagæ.
Sis mare tranquillum, clarum uehit illa Poctam
Nauis, adeſt illi quem canit ipſe Deus.
Nam quòd adhuc reſtat Neptuni nomen in orbe,
Hoc illi meruit nobile Vatis opus.
Ergo hunc optatum ſinito contingere portum.
Da uoti compos fiat ut ipſe ſui.
Ille tuum docto laudabit carmine munus,
Et tibi perpetuo tempore gratus erit.
Hunc Vatem nobis præſtantes reddite Sueci,
Vt procul ex ueſtro nil ferat orbe mali.
I nuno, propoſitum Chriſto duce perfice curſum,
Hinc tecum Muſæ quas ueneraris eant.
Dulce ſodalicium, tua quod poſt terga relinquis,
Optat ut eueniant omnia fauſta tibi.
Iungimus ergo tuæ pro conſuetudine dextræ
Dextras, quæ ſpondent omnia fida tibi:.
Hæc & amicorum ſunt ultima uota tuorum,
Sis memor illorum ſis ubicunq;. Vale.

Studioſis

STVDIOSIS ARTIVM DICENDI AVDITORIBVS in Academia VVitebergensi, S. D.

QVale decus cœlo præstat Phœbeia lampas
Quando coruscanti luce serena micat,
Mitescunt uenti & circum formosior æther
Inferiora iuuat corpora mille modis:
Tale decus, si parua licet componere magnis,
Eloquium humanis cœtibus esse solet.
Mollescunt animi, simul ac facundia rebus
Turbatis aliquam sedula præstat opem.
Hoc igitur tantum qua uenit origine munus?
Quo sine uis animi semisepulta iacet.
Ipsa gubernatrix rerum sapientia, si non
Sermonis pateat munere, luce caret.
Mens æterna Deus fabricatrix scilicet orbis
Humani generis quando creabat opus
Fudit in hos artus diuinæ semina mentis,
Semina quæ speculum sint & imago Dei.
Hinc sapiens hominum genus est, agnoscitur autor
Qui mundi totum nobile fecit opus.
Artibus hinc uarijs sua lux, sua constat origo
Igne animis nostris irradiata Dei.
Fulget in humanis praui & discrimen honesti,
Mentibus & uirtus insita calcar habet.

Sed bona tanta ſuo ne cultu & honore carerent
Vox animo iuncta eſt articulata comes.
Dedaleæ fecit plectrum mirabile linguæ
Ceu largitus erat cætera cuncta, Deus.
Quo melius cœtus hominum coaleſcere iußi
Senſa animi inter ſe ſignificata darent.
Vnanimiq; Deum celebrarent uoce parentem
Illius adſueti facta ſtupenda loqui.
Hanc habuit cauſam facundæ fabrica linguæ,
Eloquij eſt finis dicere grata Deo.
Qualia cum ſobolem primi docuere parentes
De mundo ſoliti dicere deq; Deo.
Hei mihi cur ueteris poſt triſtia crimina culpæ
Lingua malo adflatum Dæmone uirus habet?
Vt blaſphema Deo tentet maledicere, nuper
THAMMERI rabies ceu furioſa fuit.
Et ſunt poſt & erunt Cacodæmonis organa multi
Turpiter adſueti deſeruiſſe Deum.
Quos laudis plectrū̃ in rabidos conuertere morſus
Et linguas furijs proſtituiſſe iuuat,
Iſta Deo ſtudijſq; pijs maledicere turba
Non etiam extremum deſinet ante diem.
Quos ſua pœna manet ſummo deflebilis æuo,
Cum Chriſtus uindex ante tribunal erit.
At nos qui uerbi ueſtigia ſacra ſecuti
Filius æterni quod tulit arce patris.

Quomodocunq; licet uel balbutire ſtudemus
Aeterni laudes & benefacta Dei.
Ceu Chriſto Solymas aſinis equitante per arceis
Turba Deo, carmen parua canebat ouans
Sic grata ad cœlum fundamus carmina mente,
Fine Deum dempto carmina noſtra ſonent.
Hunc habeat finem doctæ facundia linguæ,
Vt ſtudeat ſummo dicere grata Deo.
Dicere grata Deo communiq; apta ſaluti
Aõnij ſemper ſit ſcopus iſte chori.
Scilicet hoc artes ſtudio diſcamus honeſtas
Vt ſua præſtetur gloria iuſta Deo.
Ergo mihi quando pars eſt commiſſa docendi
Principis arbitrio de procerumq; ſchole,
Agnoſco inualidas ad pondera publica uires
Et ne me uereor deprimat iſtud onus.
Ingenij ſpacijs ita me circumdedit arctis
Naturæ & Muſæ conditor ipſe Deus.
Sed non imperium quia detrectare licebat,
Subijcio arbitrio me ſchola ſancta tuo.
Ergo quod fœlix uobis fauſtumq; precamur
Auſpice conabor dicere pauca Deo
De ſtudijs quæ poſt iuſſus tibi docta iuuentus
Qua potero ſumma ſedulitate legam.
Qui λόγ& æterni uiuenſq; parentis imago es
O Chriſte eloquij fons & origo pij,

ANNO 1557.

Tu rege conatus, rege pectora, dirige linguas,
Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS DAVID

Vngnad, Baro in Sonneck, &c.

Collegium Canonicorum initio constitutum est in hoc oppido à Duce Saxoniæ, Rodolpho, qui duxit exercitum in Galliam ad defensionem Galliæ contra Regem Anglicum Eduardum, tempore Imperatoris Caroli quarti, circiter annum Christi M. CCC. & quinquagesimum. Sunt igitur anni ferè ducenti ab initio Collegij in hac urbe constituti.

Eo tempore salutarem ἀμνησίαν & Pontifex & Imperator Carolus sanxerunt. Pontifex fulmen Anathematis contra multos ediderat, qui Ludouicum Bauarum secuti fuerant. Carolus ediderat & suam proscriptionem, contra Principes & populos Ludouico addictos. Ita mutua condonatione & ἀμνησίᾳ tunc restituta est pax & concordia Germaniæ. Et fuit Caroli quarti gubernatio salutaris Germaniæ. Ita sæpè leni-

enda

enda est acerbitas summi iuris mutua condonatione & ἐπιεικείᾳ, sicut crastina lectio Euangelij docet: Remittite, & remittetur uobis.

Fuit autem in hoc Collegio senex cantor annos 43. amplexus Euangelij puritatem, uir honestus & pius GEORGIVS DONATVS Torgensis. Is heri placidè in ultima senecta, cùm quidem & se & Ecclesiam quotidie pia confessione & inuocatione filio Dei commendare solitus sit, ex uita decessit.

Hortamur igitur Scholasticos, ut hodie hora quarta ad pias funeris ceremonias ante arcem conueniant, & singuli suam uitam & Ecclesiam Deo commendent. Die 10. Iulij. 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS DAVID

Vngnad Balo &c.

MOniti sumus specie Guielmi Nesenij, uiri excellentis ingenio, & uirtute, qui hîc in Albi mortuus est, obuersata cuidam aliquoties, & deplorante humanam infirmitatem, ut adolescentibus significemus, ut uitent pericula in flumine.

Cogitent

Cogitent igitur, quanta scelera sint, sibi accersere interitum, & destruere proprium corpus, summa arte factum à Deo, & adferre parentibus ingentem dolorem, & animæ in subita consternatione tantum addere periculi, ut & ipsa uix ab æterno exitio eripiatur. Hæc mala sæpè multumq; cogitantes, uitent occasiones, ut dicitur: **Vitare peccata, est uitare occasiones peccatorum.** Et scriptum est: Qui amat periculum, peribit in eo. Ideò seuerè prohibemus omnes natationes in Albi, quia sæpè magno cum dolore tristes earum euentus esse comperimus. Nec putent adolescentes, se non peccare, si spreta nostra autoritate, ludos illos infaustos tentent.

Præterea cùm Illustrißimus Princeps, dux Saxoniæ Elector AVGVSTVS uelit reficiaggerem & murum, in ea parte ubi ruinæ factæ sunt: seuerè mandamus ne operas scholastici impediant. Iniusticia est damnum dare alijs, & barbarica uiolatio est Iuris hospitij, Principi, qui studijs & uobis hospitium præbet, petulanter nocere.

Prohibemus & hortorum populationes, & Bombardarum & aliorum armorum gestationem, & in pagis belluationes. Deniq; cogitate scholas debere esse præcipuum agmen Ecclesiæ, & in eis conspici debere iusticiam, & modestiam, non

debere

debere esse Cycloplum aut Bachi exercitus. Si quos illa barbaries delectat, procul à nobis discedant, nec aut senibus augeant dolores, aut cœtum piorum adolescentum, qui Deum rectè inuocat, lædant malis exemplis. Nec nobis deerit auxilium publicorum Magistratuum, quos legum custodes esse Deus uoluit. Oramus autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου ἀϊδίς πατρός, caput Ecclesiæ, perficiens omnia in omnibus, ut hanc Ecclesiam & Academiam clementer protegat, & gubernet.

Die 11. Iulij. 1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS DAVID

Vngnad, Baro in Sonnek, &c.

IN sola Ecclesia traditur doctrina de causis mortis, & ingentium calamitatum generis humani, & de efficacibus remedijs. Philosophia obstupescit intuens has tantas miserias, quarum nec causas nec remedia nouit.

Quare doctrinam Ecclesiæ cogitemus, & sciamus Euangelium esse margaritum, non solùm quia doctrina uerior est, sed quia hac gemma filius Dei est efficax contra uenena, uidelicet contra peccatum,

peccatum & mortem. In hac cogitatione & filio DEI gratias agamus, & petamus, ut nobis opem ferat, sicut inquit: Ego sum uitis, uos palmites. Ac præcipuè in funeribus sciamus nos de nostris ærumnis, & de filio Dei commonefieri.

Cùm autem heri ex huius uitæ ærumnis ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem euocata sit honesta matrona MARGARITA, coniunx uiri honesti Aegidij Lehneri, hortamur uos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta ante Aegidij ædes conueniatis. Patersamilias ciuis est honestus, & officiosus erga scholasticos, & familiæ œconomicos labores magnos sustinet, quos rexit ipsa matersamilias, quæ quidem & assiduitatem ægrotantibus uerè maternam præstitit, & talis fuit, qualem Paulus describit: Saluatur mulier per filiorum generationem, quæ manet in fide, dilectione, castitate, & modestia. His uirtutibus ornata nunc etiam in morbo fidem & tolerantiam egregiam ostendit, & sese & suos quotidiana inuocatione filio Dei, Domino nostro Iesu Christo commendauit. Fuit igitur & in pectore eius Margarito, id est, Euangelio efficax filius Dei, quem precamur, ut nos gubernet & seruet. Die 15. Iulij. Anno 1557.

Nicolaus

NICOLAVS SELNECCE-
RVS SVIS AVDITORIBVS
S. D.

CHriſte faue, uires nobis rediere ſecundæ,
Dilatum rurſus ſuſcipiemus opus.
Corripit ipſe ſuos, & metas continet intra,
Inijcit ipſe ſuis frena paterna Deus.
Re deſperata uires roburq; miniſtrat,
Fœlix qui didicit fidere poſſe Deo.
Chriſte faue, manibus reddatur Epiſtola noſtris,
Romanos Paulus qua celebrante docet.

RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS DAVID
Vngnad, Baro in Sonneck, &c.

DEcreuimus hodie hora duodecima, Deo iuuante, in auditorio maximo recitare leges Academiæ, ad quas audiendas ut conueniant ſcholaſtici, mandamus. Bonæ naturæ omnes amant honeſtas leges, primum propter Deum, Deinde propter communem uitæ neceſsitatem. Et ſcimus multos eſſe in noſtro cœtu, qui & ingenijs bonis à Deo ornati ſunt, & ſunt domicilia & templa Dei. Hi cùm ſciant, legem eſſe ſapientiam Dei, & politicum ordinem uerè eſſe opus Dei, & in his tantis rebus certiſsima teſtimonia de Deo,

& de

& de præsentia Dei in genere humano ostendi, libenter & audiunt leges, & eis obtemperant. Si qui alij contemnunt leges,& politicum ordinem, Deo pœnas dabunt.

Sed nos mediocria ingenia hortamur, ne Cyclopum illorum exemplis se corrumpi sinant. Sed potius doctrinam de legibus & politico ordine traditam in cap. 13. Epistolæ scriptæ ad Romanos, discant, & sæpè cogitent, ut se ad legum, & politici ordinis reuerentiam adsuefaciant. Hanc intelligent uerè sapientiam esse non illam Cyclopicam,de qua Poëta dicit: οὐδὲ κύκλωπες δῖοι ἀιγιόχου ἀλέγουσιν. Nos autem ueris gemitibus oramus filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum,crucifixum pro nobis, & resuscitatum,sedentem ad dextram æterni patris, ut colligat æternam Ecclesiam, & Academiam in hac urbe clementer gubernet,& seruet. Die 18.Iulij.1557.

ORATIO MEMORITER PRONVNCIATA ANTE RECI-tationem legum scholasticarum, à Magnifico Domino Rectore, Dauide Vngnad, Barone in Sonneck & Frauenburg, 18. Iulij, Anno 1557.

DEcet nos adolescentes nosse & sæpè intueri mente adolescentiam Cyri, & exempla prima

prime ætatis nobilißimi Principis, quem Deus optima indole instruxerat, ut ad maximi imperij constitutionem eum præpararet. Sunt enim descriptæ quædam illius exempla, ut nobis ad uirtutem commonefactiones essent. Sepè autem recitari auditis historiam de Cyri iudicio, propter quod adolescens narrat matri, se plagas accepisse. Id nunc repetam, quia & ipse ea narratione ualde delector, & uobis omnibus dulcißimam esse existimo.

Erat, inquit, procerior adolescens qui breuem tunicam habebat. Is alteri adolescenti breuiori, conueniente ad modum corporis illius. Defert autem ad Cyrum iudicem in agmine puerili hanc causam, is, cui longior tunica erepta erat. Hîc pronunciat Cyrus iustũ esse, quenq; tenere uestem suo corpori congruentem. Mouetur enim commoditate, quam in usu uestium fore cogitabat. Postea cùm Magistro iudicium, & causam sententiæ, ut mos erat, exponeret, reiecta hac sententia inquit Magister, Lege iudicandum esse, non ex commoditate, quam quisq; priuatim cogitet: τὸ νόμιμον δίκαιον ἔιναι, ac Cyro plagas dat, ut discant & ipse & cæteri, Legem debere iudicij normam esse, non priuatas imaginationes.

Hæc narratio, quia de exercitijs puerilibus loqui uidetur, dulcior est nostræ ætati. Sed re ipsa

commonefactio est de Legum autoritate, quam sapiens uetustas maximam esse uoluit. Ac Ethnicos quidem ratio & utilitas mouerunt, ut uitam & mores hominum legibus regi uellent, non priuatis opinionibus aut cupiditatibus. Qualis enim confusio in uita esset, si suas opiniones aut cupiditates singuli potentes sequerentur, nec essent freni cupiditatum honestæ leges?

Nos moueant non tantùm ratio & utilitas, sed multò magis Deus ipse. Quantum bonum est, quòd Deus hanc suam sapientiam, scilicet leges, nobis patefecit, quæ testantur esse Deum, & docent qualis sit? Vult Deus homines ijs legibus regi & frenari, quas sua uoce tradidit, non tantùm ut inter nos pax sit, sed primum ut commonefacti hac ipsa sapientia, agnoscamus esse Deum conditorem, & cogitemus qualis sit, uidelicet sapiens, uerax, bonus, beneficus, iustus, castus, misericors, uindex scelerum. Et ne hanc legem putemus esse fabulam, hominum astutia excogitatam, ipse Deus custos & executor suæ uocis adest generi humano, rapit ad pœnas omnes sceleratos, etiam cùm Magistratuum & iudiciorum authoritas eluditur, sicut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Omnis anima polluta incestis libidinibus euometur ex terra. Hæ non sunt inanes minæ, sed exempla pœnarum

omnibus

omnibus ætatibus conſpiciuntur. Vult igitur Deus lege nos doceri, genus humanum non caſu natum eſſe, & Deum reuera adeſſe hominum ſocietati, & ſcelerum uindicem eſſe. Deinde uult eam prodeſſe nobis ad communem pacem.

Hæc conſilia Dei conſiderentur, ac non ſolùm timeamus, ſed etiam amemus & ueneremur leges, & totum politicum ordinem.

Rurſus uerò non ſolùm picturas Cyclopum & Centaurorum intueamur, quibus ſignificati ſunt populi legum inimici: ſed etiam excremur Antinomos noſtri temporis, qui legum & diſciplinæ contemptum in Eccleſiam adferunt. Scripſit nuper quidem Antronius, ſummam artem Chriſtianorum eſſe, neſcire legem. Rectius erat dicere: Summam Cyclopum artem eſſe, neſcire legem. Qualis furor eſt, de ſapientia Dei, quam ſemper Deus immenſa bonitate in Eccleſia conſpici ac intelligi uoluit dicere. Summam artem eſſe, hanc neſcire? Ideò ne Deus in rupe Sinai inter tanta miracula, in cœtu ſexcentorum millium uirorum, terribili uoce Legem edidit in manu mediatoris, ut nunc impudentiſſimus tribunus plebis eam deleat, & iubeat neſcire Legem?

Sed dices, hanc hyperbolen poſſe mitigari bella interpretatione.

Si alia eſt ſententia, cur impropria & ambigua ſpargis in populum? cui hæc dicuntur,

non ut quæratur interpretatio, sed ut furentibus blandiaris, & frenos cupiditatum laxes, & plausus captes, & tibi dominationem & tyrannidem in uulgo quæras. Non obscurum est, quò isti tribunicij clamores spectent. Vetera hæc artificia sunt:

Spargere uoces
In uulgum ambiguas, odijs ac addere flammas.

Longè uerius dicitur: In sola Ecclesia Dei rectè intelligi & magnifieri legem.

Vos igitur cum ciues sitis Ecclesiæ, discite & amate legem diuinitus traditam.

Mementote etiam ea, quæ sæpè auditis, quomodo disciplina & inchoata obedientia Deo placeant. Cogitate discrimen Euangelij & politici ordinis, & neruum illum uobis proponite: Necesse est obedire, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideò leges de disciplina & de tranquillitate uestra honestissimè conditas, attentè audite. Lege statuta.

POST RECITATIONEM LEGVM.

His legibus, quæ iam lectæ sunt, ut obtemperetis, præcipimus ea authoritate, quam scitis

scitis diuinitus attributã esse legibus. Aliæ sunt ipsa uox Decalogi, quarum Deus immediatè author est: Aliæ sunt additæ optimo consilio piorũ principum. Præcipit autem Deus utrisq; obedire, & uindex est petulantiæ et contumaciæ in utroq; legum gradu. Vt igitur obtemperetis, moueamini primùm cogitatione sapientiæ & uoluntatis Dei, qui est fons & defensor iusticiæ: Deinde communi tranquillitate, quam propter conseruationem societatis humanæ tueri debemus: Tertiò propria utilitate. Est enim immota ueritas diuinitus tradita: Non erit benè impio. Parcite etiam Ecclesiæ, cui cùm necessaria sit doctrina, scholæ conseruandæ sunt. Ac debebat post gradum Ministrorum Euangelij, agmen scholasticum flos & decus esse Ecclesiæ. Et est flos præcipuus, pij senes Doctores, & pij adolescentes, quales multos in hoc nostro cœtu esse non dubito. Ac utinam non essent admixti alij efferi, qui Cyclopica immanitate Deum, Leges, Ecclesiam, honestam societatem, & omnia uirtutum officis contemnunt. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum IESVM Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου πατρὸς, sedentem ad dextram æterni patris, ut det dona hominibus, ut semper Ecclesiam sibi in his regionibus colligat, & gubernet ac protegat hanc Academiam, & in ea uos adolescen-

tes Deum rectè inuocantes, ut semper sit hæc Academia talis cœtus, in quo regnet & uerè adsit filius Dei, sicut scriptum est: Vbicunq; sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Pia schola sine ulla dubitatione est templum Dei, & congruat ad dictum: Domus mea, domus orationis uocabitur. Vos quoq; pij adolescentes quotidianis uotis petite, ut Deus uos & totam Ecclesiam gubernet, etiamsi multi admixti sunt, quorum uoluntates non sunt piæ, tamen Deus exaudiet piorum gemitus, & eos seruabit, & ut nos seruet & gubernet, propter Filij sui gloriam, toto cumpectore oro.

DIXI.

ORATIO DE LEGIBVS.

QVo sæpius & quo plura de Legibus deq; humanæ uitæ gubernatione cogito, & causas tum in doctrina cœlesti, tum in Philosophia traditas ipse mecum reputo, qui fiat, ut maxima pars hominum cœca, & uarijs ardens cupiditatibus, nec legum uoci, nec atrocißimorum suppliciorũ metu coherceri poßit, eo difficilius mihi est de legibus dicere. Deplorare magis communem generis humani imbecillitatem uelim, quàm multa de bonitate legum disserere inter adolescentes, quorum

quorum ætas nondum intelligere & amare has res diuinas, noticiam Dei & iusticiæ, & ordinem uitæ à Deo impressum mentibus humanis, qui est effigies & imago mentis diuinæ, potest. Imo iuuentus non secus ac carcerem leges odit, quas existimat esse tristia & iniqua uincula naturæ ad uoluptatem conditæ. Nec solùm prima ætas, luxurians adhuc genuino succo & ignara humanarum miseriarum, & incauta, inimica est legibus: Sed etiam maxima pars grandiorum prospiciens pœnas contemptarum legum, sciens tamen indulget exitiosis cupiditatibus. Paris, Aegisthus, Sextus Tarquinius, Pausanias, Alcibiades, Marius, Catilina, & alij innumerabiles, dum libidini, ambitioni, cupiditati uindictæ morem gerunt, scientes accersunt sibi & alijs tristissimas calamitates. Si metu pœnarum & ingentium miseriarum, quæ certò comitantur delicta, non frenantur animi, quid legum uoce & laudatione proficere possumus? Nec noua est hæc querela. Semper homines sapientes doluerunt, uinci leges hominum petulantia & furoribus. Sed in hoc dolore consolemur nos mandato Dei. Etiamsi multi nec audiunt nec intelligunt nec metuunt leges, tamen earum uocem extare Deus inter homines uoluit. Ideo ab initio generis humani tradidit eas, et imperia constituit, ut leges, iudicia, pœnas, disciplinam, tuerentur. Obtempe-

uemus igitur Deo, & legum uocem & libros in populis circumferamus, nec deterreamur hominum contumacia, sed sciamus nostros labores parti hominum prodesse. Audierant uocem Dei sonantem ex monte Sina, sexcenta millia uirorum, quæ etsi magnæ parti eius multitudinis nihil profuit, tamen & tunc aliquorum mentes rexit, & reget semper aliquos ad omnem æternitatem. Nec frangamur animis, ut omnia doctrinæ & legum studia abijciamus, quia nulla sunt firma & perpetua imperia, nulle perpetuæ sedes doctrinæ. Olim in Ægypto et Phœnicia, postea in Asia & in Græcia fuerunt politiæ florentes, quæ fuerunt literarum & legum scholæ. Nunc ibi homines barbari sine iure uelut Cyclopes uagantur. Et metuendæ sunt similes uastationes in alijs gentibus. Etsi angi hoc metu sanos homines decet, tamen hac nos consolatione diuinitus propositæ sustentemus. In hac fragilitate hominum & breuitate uitæ res ipsa ostendit, humanis uiribus non posse retineri eundem imperiorum statum. Alexander magna uirtute inchoauit imperij formam, sed eo extincto qualis secuta est dilaceratio totius orbis terrarum? quàm diuturna bella? quæ leges & disciplinam in omnibus gentibus atrociter labefactarunt. Tales sunt subinde fatales pœnæ, & mutationes orbis terrarum, lugendæ quidem, sed tamen inter has confusiones sciamus Deum seruare Ecclesiam suam,

am ſuam, & aliquas politias iure & legibus conſti-
tutas, ut ſint hoſpitia Eccleſiæ Dei, literarum &
doctrinæ. Erunt ergò aliquæ reſpublicæ, ubi legum
uocem audient, diſcent, ſonabunt, colent aliqui non
pauci, etſi maior ſemper & fuit & eſt & erit Cy-
clopum multitudo, qui leges contemnunt. Vtrunq;
igitur modeſti homines, præſertim in ſchola, cogi-
tent, uidelicet Dei mandatum eſſe, ut legum uocem
cuſtodiamus, diſcamus, doceamus, proferamus in pri
uatis & publicis conſilijs: Et Deum ſemper aliquas
politias ſeruaturum eſſe, quæ doctrinæ domicilia
erunt. Nos igitur bona cum ſpe noſtrum officium
faciamus, nec legum ſtudia abijciamus, etiamſi ſu-
perbè ac furenter eas contemnunt non ſolùm Turci,
ſed etiam alij tyranni, & uulgi pars maxima toto
orbe terrarum.

Hæc præfatus ſum ad confirmandos animos aliquorum, qui leuius ſentiunt de legibus, propterea quòd non ſatis frenare hominum au-
daciam poſſunt, aut mutatis imperijs alicubi delentur. Etſi hæc ita fiunt, tamen ſciamus leges Dei uocem eſſe, nec prorſus deleri poſſe, etiamſi diabolus, qui eſt author diſſipationum, ſubinde ho-
mines furioſos impellit, ut ſicut Gygantes aggeſtis montibus cœlum ferro perfodere conati ſunt, ita ipſi graſſentur aduerſus Deum & Leges.

Postquàm hæc præfatus sum ad omnes, nunc alloquar tantùm studiosos & modestos, & petam ab eis officium Deo debitum, & ipsis salutare. Propter Deum uos studiosi & modesti auditores oro atq; obtestor, ut cùm homo ad imaginem Dei conditus sit, cogitetis, quanto bono ornatus sit homo, & quid sit illa imago, & quantum malum, quanta miseria sit, imaginem illam uel corrumpere uel delere. De hac imagine, quia fons est legum nostrarum & iuris, pauca adijciam. Vtrunq; uoluit Deus, cùm suam imaginem in hominem transfudit, uidelicet ut homo agnosceret Archetypum, & se Archetypo subiectum esse debere sciret. Ac ut agnosceretur Deus, lumen humanis mentibus insitum est, in quo ut in speculo nostra corpora, sic Deus aliquo modo cernitur, quòd sit, qualis sit eius uoluntas, & quòd congruere nostram uoluntatem ad hunc archetypum oporteat.

Cogitate quæso, quantæ hæ res sint. Deus uult nostras mentes tanquàm specula esse, in quibus ipse conspiciatur. Vult nos tanquàm libros esse, in quibus suam sapientiam digitis suis scripsit, docuit nos quid sit Deus, uidelicet mens æterna & immensa, & qualis sit, uidelicet sapiens, uerax, amans castitatem & iusticiam, id est, æqualitatem, tribuens æqualia æqualibus sine acceptatione personarum,

narum, bona bonis, mala malis, liberrimè agens, benefica, diligens homines, ut conditor, ac præsertim illud opus diligit, quod uoluit esse suam effigiem, & flagitans ut nostra mens & uoluntas congruat cum sua mente & uoluntate. Hanc admirandam sapientiam, legimus & discimus in ipsa consideratione humanæ mentis. Nec ulla hominum aut angelorum eloquentia tanta est, quæ satis dicere possit, quantum sit hoc decus, quòd Deus hoc tanto munere & tanta luce, similitudine & societate suæ mentis, nos ornauit.

Sed proh dolor non aspicimus hanc imaginem, nec contemnimus tantùm, sed etiam obruimus cœno & stercoribus. Fulget in mente noticia insita à Deo, quòd sit Deus, rectè facientes approbans & defendens, contrà uerò sceleratos puniens. At Epicurei pugnantes cum hac ipsa luce, furenter disputant, nullam esse prouidentiam. Lux diuina docet, non esse rapiendam alterius coniugem, sed Paris, Ægisthus, & alij multi rapiunt. Docet lux eadem diuina, non mouenda esse bella ciuilia, rapiendæ dominationis causa, sine ordine legum, et Deum uelle, ut legitimos magistratus ueneremur, simus pacis custodes, non inflati appetamus sublimes gradus sine uocatione, sed amemus humilia. At Marius, Catilina, Antonius, Borgias, & alij innumerabiles, elati ambitione, bella ipsis & multis genti-

bus

bus exitialia mouerunt. Ita conculcatur imago Dei à maxima parte hominum.

Sed ſtudioſi ac modeſti ſeſe ipſi aſpiciant, ac admoniti hac Dei imagine Deum quærant, & conſiderent uerè diligi humanum genus à Deo conditore, & amante ac fouente humilia, ac uiciſſim à nobis poſtulari, ut noſtra uita ad hanc imaginem congruat.

Deinde & illud reputent, hanc legum doctrinam, quam profitemur, ex hac imagine Dei deſcriptam eſſe, & noſtros libros enarrationem eſſe diuinæ imaginis. Quod qui agnoſcent, ut res eſt, uenerari leges tanquam ſapientiæ Dei æternæ riuulum incipient.

Eſt igitur fons iuris noſtri, ut dixi, imago illa Dei. Sed accedere oportet ſapientum gubernatorum conſilium, qui Deo mentes eorum gubernante ſagaciter illam in natura hominis lucem cernunt. Idq; etiam Dei opus eſt, mentes gubernatorum regere, ut uera & iuſta deprehendant, ſicut Salomon inquit: Diuinant labia regis, id eſt, Deo gubernante cernunt & eligunt uera & iuſta. Itaq; leges imperiorum, congruentes cum imagine Dei inſita humanis mentibus, reuera ſunt ſententiæ diuinæ, & explicatio legis Dei. Quod cùm uerißimum ſit, excitemus animos noſtros ad amorem & reuerentiam legum.

Hæc in præsentia ad commonefaciendos studiosos & modestos breuiter dixi, quæ scio sæpè in hac schola repeti. Deum oro, ut ipse nos adiuuet & regat, ut uita nostra congruat ad legem, quæ est sapientia Dei, & omnes actiones nostræ nobis & toti generi humano sint salutares.

DIXI.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI BARTHOLEmæus Calkreuter Crossensis.

QVi λόγος æterni uiuensq; parentis imago es,
Christe, pij custos agminis atq; caput.
Nostra tibi meritas referunt iam pectora laudes,
Oraq; idem sensu conueniente sonant.
Tu quòd uicturum semper tibi colligis agmen,
Cui regni impertis munera summa tui,
Dicimus & grates quòd maiestate relicta,
Cœlesti nobis nuncius arce uenis.
Et nostram assumis mirando fœdere carnem,
Vt places iram uictima grata Dei.
Eq; patris gremio decreta arcana reueles,
Quæ seruant nostrũ quod manet omne genus.
His sine non horam lapsus potuisset Adamus
Viuere, nec uultum sustinuisse Dei.
Sed tu Saluator legati munere missus,
Consilio profers nuncia dicta nouo.

Sic

Sic & non aliter cœtum tibi colligis ipſe,
Cùm ſacri uerbi dogmata pura ſonant.
Tunc dociles animos luctanti in pectore flectis,
Et uires addens in tua iuſſa trahis.
Aßimilaſq; tibi fundens ſpirabile numen,
Quod mentes ſenſu lætificante fouet.
Nec uox doctrinæ uentura ad ſecula mundi
Seruari, nīſi te Chriſte iuuante, poteſt.
Ergo ut diſcentes ſerues tua dicta precamur,
Et λόγος in nobis uiuus adeſſe uelis.

Sic miranda tuæ ſeruaſti ſemina gentis,
Quando Paleſtinus bella timebat ager.
Zacharias uixit, Lamyri cùm ſæua tyrannis
Immani ſceleri miſcuit omne nefas.
Ter decies hic mille uiros crudeliter enſe
Perdidit, ex Abrahæ poſteritate ſatos.
Nec tamen hac animus potuit ratione tyranni
Expleri, creſcit ſanguinis atra ſitis.
Hoc ſcelus atroci ſcelere auget, & omnia reddit
Plena metus, uires uis inimica capit.
Eloquar an ſileam? cœcis concluſa cauernis,
Gens captiua famis fertq; doletq; moram.
Hinc mactatorum carnem conſumere fratrum
Cogitur, & ſtomachum ſic ſaturare ſuum.
Hîc aliquis mergit ſua flens in uiſcera, fratris
Viſcera, cui ſummo iunctus amore fuit.

Tum

Tunc fuit Ebrææ facies triſtiſſima terræ,
Vicinisq; ſimul fabula ſpreta locis.
Sed tamen hos inter motus furiasq; potentum,
Omnia cùm fatis ingemuêre ſuis,
Abiades ſacra natus de gente ſacerdos,
Cum paruis tectis tutus ab hoſte fuit.
Incolumesq; ſacri cunæ manſere Iohannis,
Qui primus Chriſto preco futurus erat.
Quin & caſta parens Chriſti, montana pererrans,
Libera ab inſidijs continuauit iter.
Sic quoq; parua Deus ſibi nunc examina ſeruat,
Ne mundi pereant exanimata malis.
Vtq; adſis nobis hoc tempore Chriſte rogamus,
Et regno ſerues inſita membra tuo.
Vis autem noſtram ne frangat inertia mentem,
Officij memorem quemlibet eſſe ſui.
Fortiter & iuſſos nos uis urgere labores,
(Vtq; decet) ſtudijs inuigilare bonis.
Hac ſpe nos fretos iam nulla pericula terrent,
Sed ſumus auxilio turba animoſa tuo.
Et facimus noſtros conſueto more labores,
Vt doctrina ſuum poſſit habere decus.
Si fuerint igitur quos non ſubijſſe pigebit
Cenſuram, ſua dent nomina more ſcholæ.
Non labor his deerit noſter nec amica uoluntas,
Semper & ingenijs officioſa bonis.

Iohannes Ricardus.

Decanus

ANNO 1557.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS MEDICÆ,

Iacobus Milichius, Doctor artis Medicæ.

ET corporibus opitulatur ars medica, & confirmat adsensionem de Deo, & de prouidentia in animis hominum consideratio fabricationis humanorum corporum, & remediorum efficacia. Nam aspiciens mirandam artem in nostris corporibus fateri cogitur hunc mundum non casu ex Democriti atomis extitisse. Quærit igitur opificem, & discit, qualis sit, quomodo uelit regi homines, & quomodo sese nobis communicet? Videt & in efficacia remediorum præsentiam Dei. Quare sapiens uetustas coniunxit hæc studia, Theologicum, & Medicum: Fueruntq; ijdem Prophetæ, & Ecclesiæ Doctores & Medici. Nohæ Vinum monstratum est, Abrahæ Balsamum, & medicatus est Ezechiæ Esaias. Fuit & in hac Academia primus Lector theologicus MELLERSTADIVS. Amabat & doctrinam medicam, & multa remedia norat, Reuerendus uir D. MARTINVS LVTHERVS, Fuitq; filio hortator, ut huic doctrinæ sese dederet. Cogitantes igitur de utilitate, & de dignitate artis, & de ueterum sapientia, & iudicijs, hoc studium amemus & ueneremur. Cumq; die Iulij 29. gradum

Doctorum

Doctorum in arte medica duobus clarissimis uiris, PAVLO LVTHERO, *Reuerendi uiri D. Martini Lutheri filio, &* SEVERINO *Göbel Regiomontano, Deo iuuante publicè decernere constituerimus, hortamur omnes Doctores, Magistros, & auditores, ut ad eam renunciationem gradus conueniant, & hoc officio iudicium de optimis artibus declarent, ac simul in illo publico congressu Deum fontem uitæ & sapientiæ orent, ut & uires corporibus tribuat, & doctrinas seruet. Vtrumq; enim Dei opus est, uitæ conseruatio, ut scriptum est: Ipse est uita tua, & longitudo dierum. Et sapientiæ conseruatio, sicut Daniel inquit: Deus dat sapientiam intelligentibus. Hæc dona à Deo æterno patre Domini nostri Iesu Christi, qui uerè conditor & custos est generis humani, tribui uobis omnibus precor. Datæ die Iacobi. Anno 1557.*

ORATIO, QVAM MAGNIFICVS D. RECTOR GENEROsus Baro *in Sonneck &c. Dauid Vngnad, ad Senatum Academiæ, & alios conuiuas suos, quos ad prandium inuitarat, die 28. Iulij habuit, cùm mortuo Illustri patre suo à fratre domum reuocaretur.*

CLarissimi Viri, eruditione & uirtute præstantes, Præceptores carissimi. Scio uos hor-

tari adolescentiam, ut Cyri historiam à Xenophonte scriptam, sæpe multumq; legamus, quam quidem narrat Cicero Scipionem semper in manibus habuisse. In ea historia legimus, disciplina Persica in iudicijs accusatos & punitos esse ingratos, & expreßè dicitur: Ingratitudinem esse maximã ductricem ad omnia turpia. Μεγίσλω ἤγεμόνα ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ. Cohorresco legens tantam uituperationem, ac Deum toto pectore oro, ut meum animum, linguam, & uoluntatem flectat ad ueram & perpetuam gratitudinem erga ipsum, & erga Dominum nostrum Iesum Christum, & erga homines benemeritos.

Ac nunc coram uobis testibus, celebro Deum æternum, patrem Domini nostri Iesu Christi pro hoc ingenti beneficio, quòd me ad agnitionem filij uocauit, & quidem quòd in hac uestra Ecclesia mihi semina necessariæ doctrinæ præbuit, quæ hîc maiore perspicuitate proponitur, quàm alibi. Deinde profiteor me uobis gratitudinem & omnia gratitudinis officia debere, pro uestro labore, & pro singulari erga me beneuolentia, quam cùm alijs rebus, tum uerò etiam hoc honorifico de me iudicio uestro declarastis, cùm me fungi magistratu uoluistis. Pro his omnibus beneficijs promitto

promitto me gratum fore in tota uita mea, & in tota æternitate. Quanquàm autem non est officiosum, si nulla grauis causa sit, discedere ex Academia gerentes magistratum, antequam legitimo tempore deponendus est, tamen uobis tristissima causa nota est, quæ me domum reuocat, quòd orbati carissimo patre de domesticis negotijs nos fratres deliberare coginur.

Excrucior itaq; multiplici dolore, quòd immatura morte pater à nobis auulsus est, quòd studia doctrinarum, in quæ bona cum spe ingressus sum, interrumpuntur, & domesticis difficultatibus conflictamur. Oro igitur ut mihi benignè concedatis, ut & nunc deponam Magistratum, si ad iustam tempus adesse non possem, & domum redeam. Id ut publicè peterem, iam uos ad prandium uocaui, quod uolo in hoc meo discessu simul esse fœdus mutuæ beneuolentiæ inter nos. Vosq; oro, ut beneuolentiam erga me uestram non finatis extingui.

Ego uicissim & Academiæ, & uobis perpetuam gratitudinem promitto, & filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα αἰδίου πατρὸς oro, ut nos omnes guber-

net & protegat, & regat labores docentium. Sicut inquit: Ego sum uitis, uos palmites. Sine me nihil potestis facere. *Hunc filium* Dei Dominum *nostrum* Iesum Christum *oro, ut semper nos sibi palmites faciat, & semper inter nos sibi æternam* Ecclesiam *colligat.* Dixi.

Die 28. Iulij.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia VVitebergensi, Bartholemæus Calkreuter Crossensis.

SÆpè & hortamur uos, & obtestamur, ut propter gloriam Dei, *& propter salutem uestram & Ecclesiæ, ametis exercitium quotidie recitandi Symboli Apostolici. Grata est* Deo *ipsa fidei professio, & uobis commonefactio est dulcissima de summis* Dei *beneficijs, de creatione, & assidua conseruatione naturæ, de redemptione hominum per filium, de auxilio spiritus Sancti, de collectione Ecclesiæ, & de miranda consuetudine Ecclesiæ in tota æternitate, in qua* Deus *erit omnia in omnibus. Est autem necessaria consolatio, in tantis confusionibus generis humani, scire filium* Dei *semper Ecclesiam collecturum esse uoce Euangelij, & uelle, ut doctrinam quam tradidit discamus,*

mus, sicut scriptum est, προσέσχε τῇ ἀναγνώσει, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ. Certissimum est igitur, necessaria esse doctrinæ studia, ac lætemur, quòd scimus hanc nostram militiam Deo placere, & petamus ab eo auxilium. Etsi autem optanda est maior disciplinæ seueritas, tamen in hac languida & delira mundi senecta quantum possumus, doctrinæ propagationi seruiamus, quod mediocri studio facimus. Necessaria est autem exploratio doctrinæ in discentibus, atq; utinam sæpè à singulis auditoribus reposcere traditam doctrinam possemus. Sed in hac disciplinæ laxatione fit hoc quoq;, ut multi fugiant examina. Laudandi igitur sunt, qui censuram nostram subeunt. Et cùm iam hora prima uocati sint ad publicum examen hi, qui gradum Magisterij Philosophici petunt, hortamur Collegas nostros & alios Magistros, ut ad hanc explorationem doctrinæ eorum, qui gradum petunt, conueniant. ὁμιλία ἔτεκε τέχνας, inquit Euripides. Ac profecto necessaria est sententiarum collatio. Quare honesti & docti uiri non desint huic labori. Nec dulcius quidquam uiris sapientibus esse potest collatione iudiciorum de Deo, & de operibus Dei, & illa æterna Academia, ad quam hæc nostra studia Tyrocinium esse Deus uoluit, eamq; ob causam ipse ea tuetur & regit, & ut perpetuò nos protegat oramus, Amen. Die 2. Au-

ANNO 1557.

VICERECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

VIdimus Reuerendum uirum Martinum Lutherum filia uirgine natu maxima mortua fundere magnum flumen lacrymarum, cùm quidem alioqui in morbis & periculis firmissimo animo esset. Sed σοφγαῖ, quæ in optimis naturis sunt eximiæ, lacrymas mouebant: Sicut & Clemens refutans Stoicorum deliramenta, qui docebant, cor debere esse sine ullo adfectu, narrat Petrum Apostolum lacrymasse, cùm uxor ad supplicium in confessione duceretur, & tamen eam ἐnter lacrymas confirmasse. Sunt σοφγαὶ & pars imaginis Dei in nobis, & sunt commonefactiones de amore Dei erga nos. Quare dolorem parentum, qui lugent amissa Sobole, non putemus infirmi animi signum esse, sed honesti, qui suorum desiderio adfici debet.

Euocata est autem ex hac mortali uita infantula MARGARIS, *filia* uiri Nobilis Georgij à Kunheym, & Margaritæ filiæ Reuerendi uiri D. Martini Lutheri. *Etsi autem parentes sunt in mœrore, tamen lenitur eis dolor hac uoce filij* Dei: Non est uoluntas æterni patris, ut pereat unus

unus de paruulis istis. *Cumq; infantam funeribus adesse nos deceat, ut testemur nos sentire, esse eos hæredes vitæ æternæ, hortamur Magistros & Scholasticos, ut hora duodecima conueniant ad huius infantulæ funus, & ibi singuli sese & Ecclesiam pia precatione Deo commendent.*
Datæ die 3. Augusti, Anno 1557.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACAdemia Vuitebergensi, Bartholemæus Calkreuter Crossensis.

EXtat Epicteti dictum, *quod notißimum sit omnibus, & sæpè cogitetur:* Εἰδέναι χρή, ὅτι οὐ ῥᾴδιον δόγμα παραγενέσθαι ἀνθρώπῳ, εἰ μὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ αὐτὰ καὶ λέγῃ τις, καὶ ἀκούῃ, καὶ ἅμα χρῶτο πρὸς τὸν βίον. *Id est: Sciendum est, quòd non facile sit homini comprehendere doctrinam aliquam, nisi quotidie eadem & dicat aliquis, & audiat, & simul in uita transferat ad usum.*

Hac grauißima sententia commonefacti sciunt & docentes & discentes eadem elementa necessariæ doctrinæ sæpè & uarijs modis repetenda

esse. Ideo in scholis exercitia instituta sunt lectionum, disputationum, Explorationis studiorum, ut uarijs modis inculcata & repetita doctrina discentibus familiarior fiat.

Et Plato inquit: πολλάκις δὲ λεγόμενα, καὶ ἀεὶ ἀκούμενα, μόλις ὥσπερ χρυσὸς ἐκκαθαίρεται μετὰ πολλῆς πραγματείας. Id est: Etiam cùm sæpè doctrina eadem repetitur, & semper auditur multis annis, uix tamen ut aurum perpurgatur, cum magnis exercitijs. Hæc scripsit Plato senex.

Ac nos quidem in docendo assiduè res easdem repetimus, etsi fastidium delicatis repetitio adfert. Vtinam uerò & à singulis auditoribus sæpè reposcere dictata possemus. Sed in hac laxatione disciplinæ id fieri non potest. Aliquam tamen occasionem explorandi studia iuuentutis præbet consuetudo decernendi gradus, quam propter hanc utilitatem retinuimus. Et prodesse explorationem studijs illi ipsi fatentur, qui sese ad eam præparant. Spernuntur hæc exercitia in hac barbarie temporum, & censuram docentium plurimi fugiunt. Hæc contumacia & studia languefacit, & nocet moribus. Quare illi qui hanc consuetudinem explorandi doctrinam conseruare student, rectè faciunt, qui quidem sciunt se multa utiliter moneri.

Cùm

Cùm autem sciatis Ecclesiæ Dei necessariam esse doctrinam, obtestamur omnes propter gloriam Dei, & salutem animarum, ut rectè discant fontes doctrinarum, ne postea stolidè & impudenter uociferentur de rebus ignotis, sicut ille de quo dicitur in ueteri uersu: ἄπαντα ἐρίζεις, πλὴν σωτηρίας ὀνδὲ ἕν.

Oramus autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum sedentem ad dexteram æterni patris, ut dona det hominibus, ut ipse nos clementer gubernet, & pia studia doctrinarum extingui non sinat. Regat etiam hos, quibus cras decernetur gradus Magisterij Philosophici, ad cuius renunciationem ut conueniatis petimus, & ut publicum sit testimonium, & ut precationem uestram nobiscum coniungatis. Datæ die 4. Augusti, Anno 1557.

STVDIOSIS ARTIVM DICENDI.

CVm multis de causis doctrina de fine hominis diligenter animo infigenda, & assidua cogitatione recolenda sit: tùm certè in explicatione Artium dicendi necessaria est. Deducit enim nos cogitatio de fine ad fontes artium inquirendos. Ideò enim Deus statim in prima creatione

nobis ſuæ imaginis ſocietatem communicauit, vt agnoſcentes eum qualis ſit, & aſpicientes naturam & opificium Dei, præcones eſſemus laudis diuinæ. Deinde in hac ciuilis uitæ conſuetudine alijs doctrinam de Deo, de natura rerum, de mirandis operibus diuinis impreßis in natura, de uirtute & eius cultura, impertiremus.

Hoc conſilio Deus transfudit in mentes humanas ſuæ lucis & ſapientiæ radios, ex quibus artium initia conſtituuntur, & ortus, connexiones ac progreßiones dijudicantur. Vt enim oculis noſtris indita ac communicata eſt uis quædam, uidelicet, præſtantißimus ille humor Cryſtallinus, in quo immediatè fit uiſio, quo obiecta cernimus, & colorum diſcrimina dijudicamus: Ita menti inſita lux eſt, ex qua artes extruuntur, & res quales ſunt intelliguntur. Ille aſpectus rerum antea ignotarum dicitur INTELLECTVS, qui ſanè imperfectus eſſet, niſi Deus addidiſſet linguæ & orationis beneficium, qua res à nobis intellectas tanq̃ in alterius mentem transfundimus, & noſtrarum mentium imagines alijs cernendas exhibemus. Sunt igitur artes dicendi, ac inprimis DIALECTICA ac RHETORICA, uelut lumen quoddam impreſſum naturæ, monſtrans uiam ac rationem res animo conceptas propriè, perſpicuè ac dextrè alijs exponendi.

Etſi

Etsi autem hoc naturale lumen omnibus hominibus commune est, quo ingenioſi etiam ſine arte multa ratiocinantur congruentia: tamen cùm, ut cæteræ noticiæ nobiſcum natæ, ita hoc lumen poſt lapſum primorum parentum ualdè obſcuratum ſit, & ipſi ingenioſi deſtituti arte in ratiocinando ſæpè aberrent, connexionum cauſas ignorent, & alij magis alij minus Eloquentiæ ſtudia naturali inclinatione adiuti arripiant: Deus immenſa bonitate excitatis Heroicis & excellentibus uiris artem naturali luce notam in certa præcepta retulit, quibus naturale lumen obſcuratum expoliretur & excoleretur. Ideo Albertus Durerus, noſtræ ætatis Apelles, dicere ſolitus eſt, Homines ingenioſos ſine arte ſimiles eſſe ſpeculo non expolito, quæ ſententia his uerſibus expoſita eſt:

Vt nulla è ſpeculis rudibus reſplendet Imago,
Ni ſint artificis ritè polita manu:
Ingenij ſic uſus erit non ullus acuti,
Doctrinæ ſi non eruditur ope.

Agnoſcentes igitur hoc diuinum beneficium, cuius magnitudinem cogitatione non ſatis aſſequi poſſumus, grati ſimus Deo, quòd excellentia ingenia regit et adiuuat: Deinde & Præceptori noſtro reuerenter colendo, qui de hac tota noſtra militia

& uni-

& uniuerſo choro ſcholaſtico præclarè meritus eſt, quòd in dicendi Artibus præcepta utiliſſima ac maximè neceſſaria adhibitis illuſtribus exemplis tradiderit.

Cùm igitur ex conſilio Reuerendi D. Præceptoris, uſitati libelli Rhetorices repetitionem inſtituerim, publicè illud ſignificandum duxi, ut ſi qui eſſent, quibus hic noſter labor uſui ac emolumento eſſet futurus, conuenirent ad hæc Scholaſtica exercitia, de quibus dulciſſimè ſcriptum eſt: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. De me ita uelim ſtudioſi iudicent, me operam daturum, ut mea fides ac diligentia bonis probetur. Vt autem utilitas horum exercitiorum conſpectior fiat, præmittam craſtino die hora ſexta in Medicorum collegio quædam de laudibus ac utilitatibus Eloquentiæ. VViteberge 5. Auguſti, qui eſt dies reuocati Ciceronis ab exilio, Anno urbis conditæ 697. Aetatis ſuæ, anno 50.

Petrus Sickius
Rentzburgenſis.

PHILIPPVS MELANTHON S. D.

HOdie non prælegam, quia cùm iam ſimus iter ingreſſuri, multi pauperes Scholaſtici literas flagitant. Oro autem filium Dei, Domi-

Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiæ suæ, qui dixit: Ego sum uitis, uos palmites, ut nos gubernet. Vos etiam propter Deum obtestor, ut nos ipsos & nos Deo pijs precibus commendetis, & modestia uestra Ecclesiam ornetis.
Die 14. Augusti. 1557.

CARMEN PHILIPPI MELANTHONIS SCRIPTVM IN itinere, ad Rectorem & Professores inclytæ Academiæ Marburgensis, die 23. Augusti, Anno 1557.

CVm redit Assyrijs Isaaci gnatus ab oris,
Vxores secum filiolosq; trahens,
Nec tantũ ignotas gentes et barbara corda,
Verũ etiam socerũ, fratris & arma timet.
Hunc λόγε gnate Dei tua dextera texit, opemq;
Luctanti, ut claudus uinceret ipse, tulit:
Sic iter ingressos nos ad certamina sæua
Plena futura odij, plena futura doli,
Protege gnate Dei, nos consilioq; guberna,
Hostilis rabies ne nocuisse queat.
Vt uerò Isacidæ concessit Amygdalus umbram,
Vrbis & exiguæ ius dedit hospitij:

Sic

Sic nos excipiat feſſos Academia ueſtra,
Quæ candore ſuo uincit Amygdalinum.
Non fertur caſu natura ſine ordine, ſed mens
Formatrix rebus ſignaq́; uimq́; dedit.
Fructus Amygdalinus foris eſt lanugine cinctus,
Dura magis ſub qua lignea clauſtra iacent.
Nucleus in medio ſuauis latet, atq́; ſalubris,
Qui cibus eſt nobis & medicina ſimul:
Prima ætas molli doctrinæ uoce regenda eſt,
Iucundiſq; typis: iſta putamen erunt.
Durior hinc cuſtos lex eſt, ſonteſq; trucidat,
Ac omnes homines iudicat eſſe reos.
Sed trepidis Euangelij uox grata medetur,
Hæc ſunt Iſacidæ ſignificata ſeni.
Ergo ſcholæ ſimilis credatur Amygdalus eſſe,
In qua doctrinæ uox ſonat una Dei.
Congruit hoc etiã, Vulpes quòd Amygdalæ amaræ
Guſtatæ ſubita morte necare ſolent:
Sic Schola flexiloquos extinguit caſta Sophiſtas,
Ars quibus Archilochi Vulpis et acta placent.
Veſtra igitur cùm ſit cuſtos Academia ueri,
Quærimus hîc umbras nos quoq́; Amygdali-
Sed iura hoſpitij date xenia, mitia uina, (næ.
Simtq́; unum in uero pectora noſtra Deo.

In Euri-

IN EVRIPIDIS TRA-
GOEDIAM CVI TITVLVS
Orestes.

AD diem Martis, Deo iuuante auſpicabimur interpretationem Tragœdiæ Euripidis, cui titulus eſt Oreſtes. Eam uetères inter præcipuè illuſtres huius ſcriptoris fabulas numerarunt. Et meo quidem iudicio, hæc ſi non primum certè ſecundum locum obtinebit. Tantum in ea ſalutaris doctrinæ eſt, tam uenuſtæ imagines, tam graues ſententiæ, tam deniq; multa & ſplendida orationis lumina, ut nulla facile huic palmam præripiat.

Pingitur autem CALVMNIA, & quanta eius ad nocendum potentia ſit oſtenditur. Oreſtes enim & Electra ſoror, & Pylades amicus, per calumniam circumuenti, iniquo iudicio condemnantur. Attamen cùm ad diſcutiendum id periculum uaria agitaſſent conſilia, tandem diuinitus liberantur. Nam calumnia ut aliquantiſper quidem errore audientium multum poteſt: Ita progreſſu temporis eius uires labefactatæ, tandem elidun-
tur, iuxta ſententiam Demoſthenis: Διαβολὴ καιρῷ μὲν ἰσχυρὰν ἐργάζεται τοῖς ἀκούσιν τὴν ὑπόληψιν· χρόνῳ δὲ πάντων ἀσθενεστέρα γίγνεται.

Pinguntur autem in hac fabula plura genera calumniæ. Nam iudicium ſeu concio deſcribitur,

in qua

in qua uariæ dicuntur ſententiæ, & ſit, quod ferè fieri ſolet: pars maior uincit meliorem.

Eſt uerò acta hæc fabula in medio æſtu belli Peloponneſiaci, cùm iam utriq; Athenienſes & Spartani, difficultatibus belli languefacti inducias facere pararent, quas deinde turbauit fax patriæ Alcibiades.

Incredibile eſt quanta cum utilitate hanc fabulam ſtudioſi cognituri ſint, in qua explicanda ego quidem, auxiliante Deo enitar, ut auditores neq; ſedulitatem, nec fidem in me diſiderent.

Deus nobis clementer adſit, & præceptores noſtros tueatur, pacemq; ac tranquillitatem ad operas noſtras ſcholaſticas, & hæc pulcherrima ſtudia colenda largiatur, per Chriſtum redemptorem noſtrum, Amen.

Vitus Ortel
Vuinſemius.

IN PRAELECTIONEM MATTHÆI EVANGELISTÆ.

REfert Gellius, Alexandrinam Bibliothecam à Ptolemæo Aegypti rege, cui Philadelpho nomen fuit, maximis ſumptibus apparatam, habuiſſe ſeptingenta millia uoluminum. Ego quoties & multitudinem uoluminum, & propenſio-

nem

nem optimi Regis ad pia studia, quam tùm in uersione sacræ scripturæ conficienda, tùm in hac Biblioteca instruenda considero, collatione seu potius ἀντιθέσει nostræ ætatis, plane obstupesco. Scribitur Ptolemæum quindecim talenta, hoc est, nouem millia aureorum seu coronatorum in librorum Sophoclis & Euripidis transcriptionem insumpsisse, quibus Bibliothecam instrueret. Profectò dolendum est, tantam copiam optimorum librorum tam miserè à militibus incensam perijsse, bello Alexandrino priore, circa annum mundi 3920. ante natum Christum 43. Et non dubium est, quin singulari iudicio optimos quosq; Ptolemæus conquiri & deligi curarit.

Nostra ætate D. Iohannes Iacobus Fugerus summa cum laude in Germania Augustæ Vindelicorum magnis sumptibus Bibliothecam instruit, cui uelut alterum Eratosthenem custodem & inspectorem præfecit uirum clarissimum D. Hieronymum Vuolfium, qui de illa sic scribit:

ἐμ βίβλοισι δ' ἐγὼ τόσσαισι καλίνδομαι ἀιεί,
ὅσσα ὁ ϖαμφαίνωμ ὐρανὸς ἄστρα ἔχει.
ἀχθόμενος τῇ μὲμ καρϖοὺς, τῇ δ' ἄνθε' ἐρευνῶμ,
τῇ μὲμ ἄρ' ἐυμαθίης ἕινεκα, τῇ δὲ χαρῆς.

Ἀντὶ μὲν δὴ πάντων αἱρεῖμαι βιβλιοθήκῃ,
φυκναξίῃ, εὐχῆς κρείττονα τῷδε φίλῳ.

Pio etiam ſtudio Ampliſſimus Senatus inclytæ Reipublicæ Vratislauicæ Bibliothecam inſtituit. Et optandum eſſet, plures Reſpublicas ad imitationem horum exemplorum accendi.

Agamus autem Deo gratias, quòd tamen aliquorum animos excuſcitat ad ſtudium conſeruationis & propagationis honeſtarum literarum, quæ ſine lectione utilium librorum in hac ingeniorum debilitate & ignauia frigent & pereunt. Oremus etiam Deum, ut animis Principum, & aliorum, penes quos eſt rerum poteſtas, amorem erga bonas literas inſtillet, ut aliqui ſint, ad quos hodie deſertæ, concultatæ & ſpretæ Muſæ refugium quantulumcunq; habere poſſint.

Faciamus quoq; nos ea, quæ officij noſtri ſunt, & libros optimorum autorum, qui Dei beneficio adhuc ſuperſunt, diligenter legamus, ne noſtra ſocordia prior & uix magno labore pulſa barbaries, Eccleſijs & Scholis obrepat denuò. In primis autem rationem Eccleſiæ habeamus, & in ſtudio doctrinæ cœleſtis ſimus circumſpecti, eligendo uidelicet eos libros, quorum authoritas non eſt dubia, ut ſunt libri Prophetici & Apoſtolici, & alij nonnulli, qui non diſſentiunt à Prophetarum &

rum & Apostolorum doctrina. Hos potißimùm cognoscamus, progrediendo postea ad alia quædam, quæ illis cognitis dextro iudicio legi possunt.

Eo consilio, pio & utili, grammaticam Euangelicæ historiæ à Matthæo scriptæ enarrationem pro mediocritate mea instituam, dum nunc spacium, tempus, & otium nobis uacat, absentibus Præceptoribus nostris, quibus ut iter faustum, & reditus incolumis contingat, sedulò Deum orare debemus. Hortor autem studioſos, ut diligenter fontes doctrinæ cœlestis cognoscere studeant, quæ ex Matthæo quoq; hauriendi sunt: & magis ad lectionem & piam precationem sese adsuefaciant, quàm ad cauillationes disputationum. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus seruet & gubernet Ecclesias in Germania, & alibi, & faciat ut semper in ipso unum simus. 11. Calend. Septembris, Anno Christi supra sesquimillesimum quinquagesimo septimo.

Nicolaus Selneccerus.

EPITAPHIVM CONIVGIS MELCHIORIS FABRI SOLDI.

Corpus Apolloniæ cubat hoc mortale sepulchro,
Quæ fata Gunterodæ sanguine gentis erat:

Nuptaq́; non humili celebratis laude maritis,
Ante tibi Cruciger, deinde Faſolde tibi.
Caſta Deo ſtuduit uera pietate probari,
Exemplum ſtuduit coniugis eſſe bonæ:
Sedula, frugalis, uerax, moderata, benigna,
Deſidiæ, litis, luxuriæq; fugax.
Quatuor hæc natas, tria maſcula pignora lecti,
Te peperit Cruciger, facta parente, parens.

Teq́; Faſolde duas peperit genitore puellas:
Militiæ nouies fida miniſtra ſuæ.
Imbuit & ſobolem pietatis lacte tenellam,
Vnde fides animis affluit, unde ſalus.
Tres natæ puer unus adhuc monimenta prioris
Coniugij uiuunt de bonitate Dei:
Párua ſuperſtes adhuc blanditur & una Faſoldo,
Legitimi pignus filia dulce thori.
Hanc reliquam ſobolem, tibi Chriſte, piumq́; maritũ
Commendans precibus iam moritura pijs,
Commendans animam fugientem, exordia uitæ
Hauſit, non dubia ſpeq́; fideq́; nouæ.
Ergo redemptoris gremio ſuſceptus Ieſu,
Viuit Apolloniæ Spiritus ante Deum:
Lætaturq́; ſciens fore rurſus ut excita Chriſtus
Iungat & exuuijs ueſtiat oſſa ſuis.

Obijt anno 1557.
28. Septembris.

Epitaphium

EPITAPHIVM FILIO-
LÆ FASOLDI.

INfantis Catharinulæ parentes,
Apollonia Melchior Fasoldus,
Dulcis filiolæ tenella membra,
Leni morte soluta, condidere,
Hoc ut tecta quiescerent sepulchro,
Donec uoce resuscitata Christi,
Supremum uenientis ad Triumphum,
Vitæ lætitia beatioris,
Claro & contuitu Deo fruantur.
Requiescunt in spe resurrectionis & uitæ
æternæ.

Obijt anno 1557. 30. Ianuarij,
ætatis 49. Septimana.

VICERECTOR ACADE-
MIÆ VVITEBERGENSIS IA-
cobus Milichius, artis medicæ
Doctor. S. D.

VTinam Scholastici hoc dictum, NOSCE TEIPSVM, *sæpè ac diligenter consi-derent, quod ut quamplurimis hominibus in conspectu esset, literis aureis in templo Delphi-co scriptum fuisse dicitur. Ait autem* MENAN-

DER, hoc esse Nosse seipsum, cùm nostram functionem intelligimus, & id unum, quod nobis agendum est, agimus, cuius hi sunt uersiculi:

Τὸ γνῶθι σαυτόν ἐστιν, Αὐτὰ πράγματα ἴδησα σαυτῷ, καὶ τί σοι ποιητέον.

Et Plato eos qui aliena agunt perinde ait facere, ut si quis manibus calceos, & pedibus aureos annulos induat.

Sciunt autem Scholastici, se ad hoc diuinitus destinatos, & à suis huc missos esse, Primum ut doctrinam de Deo discant, deinde & aliarum artium, quæ huic uitæ & gubernationi necessariæ sunt, cognitione se instruant, ac parent, & hoc unum, atq; unicè agant, ut Ecclesiæ Christi, ac reipublicæ usui esse possint.

Dicuntur autem aliqui per Syluas ac saltus Illustrissimi Principis Saxoniæ Electoris oberrare, qui Bombardis uolucres petunt, Idq; ad Principem delatum est sermonibus eorum, quibus custodia saltuum ac syluarum demandata est. Quare Princeps peculiare mandatum hac de re huc misit, quo seriò ac seuerè hoc prohibet, & præfectis mandat, ut delinquentes captos uinctosq; Dresdam mittant. Nos igitur hoc scholasticis hîc publicè significamus, ne quis se erroris aut ignorantiæ excusatione tueatur.

tur. Et seriò ac seuerè prohibemus, ne scholastici in syluis uolucres syluestres bombardis petant.

Debet autem mouere unumquemq; primùm authoritas Principis, adeò de omnibus nobis beneméritis. Deinde proprij periculi consideratio, ut obediat, nam haud dubiè grauiter & seuerè punientur deprehensi. Persequantur et urgeant scholastici hîc tutò & utiliter potius studia sua, propter quæ huc missi sunt, quàm in Syluis cum tanto periculo et iactura temporis ac studiorum, feras aues. Nos nostro officio functi hoc publicè hîc significandum duximus, Continebit autem bonos & bene educatos uerecundia, & honesti officij ratio, ut obediant.

In contumaces uerò & inobedientes Principi quoq; consilium, quo coherceantur, non deerit. Neq; postea proderit eis cùm inclamabunt priuilegia & immunitates. Hæc enim concessa sunt honestis, probis & studiosis, non contumacibus, & frenos immodicè suis cupiditatibus laxantibus. Et prodest hos procul à scholis & cœtu scholatico abesse, ne contagio suo reliquos probos inficiant. Itaq; hîc publicè significamus, omnes qui hoc modo deprehensi fuerint, exclusos à Priuilegijs, nobisconcessis, fore.

Cumq; his diebus Rustici trans Albim consensu sui magistratus instituent ludos, in quibus certabunt sagittis ad signum uolucris palo sustenu

ſæ, ac ex uicinis oppidis & pagis plures alij conue-
nient, hortamur ſcholaſticos, ut non egrediantur,
ac concedant Ruſticis ut ſuos ludos ſuo more tran-
ſigant, neq; ludos ſua præſentia interturbent, quos
poſt grauiſſimos labores meſſis inſtituunt, & con-
cedant illis, ut poſt exhauſtos labores pauliſper
interſpirent. Scitis frequentiam & largiores po-
tationes pleriſq; animum addere, ut dicant uel fa-
ciant, quæ non conuenit. Itaq; ut occaſiones rixa-
rum uitentur, ſeuerè prohibemus ne ſcholaſtici
egrediantur. Quod ſi quidam contumaciter con-
tra Academiæ edicta egreſſi fuerint, atq; ſi quid
ſecus quàm uolunt, acciderit, hi ſciant, quòd nul-
lam habituri ſint ab Academia defenſionem, ſed
magiſtratui ciuili in perpetuum relegati traden-
tur. Datæ die 4. Calend. Septembris, Anno
1557.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Lectori S. D.

PRecamur æternum Deum, qui Pater eſt Do-
mini & Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, ut
publica mala, & priuatas miſerias noſtras
leniat, Spiritu ſancto ſuo in Eccleſia docentibus &
cæteris gubernatoribus clementer adſit, diſſidia
doctrinæ atq; has horrendas Eccleſiarum lacera-
tiones

tiones ſanet, ac pœnas mitiget, per Chriſtum filium ſuum, Amen.

Multa enim ſigna nobis rurſum mutationem aliquam imminere prænunciant, Furit Satanas odio filij Dei & generis humani, contra manifeſtam Chriſti & Apoſtolorum doctrinam in aduerſarijs Euangelij. Nec minore conatu inter noſtrarum quoq; Eccleſiarum doctores diſſidia ſerit. Impendent undecunq; pericula, uaſtitas, & diſſipatio Eccleſijs & Scholis pijs. Neq; ullo ex loco ſpes auxilij allucet, quàm à te uno, fili Dei, Ieſu Chriſte, ancora & portus ſalutis noſtræ in his procellis.

Accedit uerò & hoc ſignum mutationis imminentis, nequaq̃ indignum obſeruatione piorum, quòd Deus interea ouiculas ſuas in ſtabulum & cubiculum ſuum colligit, & ne harum triſtiſſimarum turbarum ſpectaculo crucientur, in aliam ſedem atq; uitam eas transfert, ſicut & pia ac ſancta Matrona CATHARINA Reuerendi Præceptoris noſtri D. PHILIPPI MELANTHONIS coniunx, ex huius uitæ mortalis miſerijs ſuperiore nocte diuinitus euocata eſt. Quæ cùm ſaluificam Euangelij de filio Dei doctrinam reſtè atq; exactè teneret, & ueræ fide, caſtitate, ac uitæ ſanctimonia eundem filium Dei coleret, ab eoq; ardentibus uotis, aſſidua precatione, gemituq;

imenarrabili propagationem piæ atq; puræ doctri-
næ, & de ea consensum docentium peteret: Neq;
quicq̃ in uita sua magis cupidè aut maiore cum
uoluptate faceret, quàm ut multis egentibus Scho-
lasticis & alijs benefaceret, confecto in hac sanc-
timonia & innocentia uitæ suæ curriculo, tan-
dem tranquillum & placidißimum ex hac uita
exitum à Deo consecuta est, relinquens in hac
Ecclesia & Schola triste sui desiderium. Fuit
enim domus eius commune adflictorum & egen-
tium profugium, manus eius inexhaustum pau-
perum promptuarium. Hic exercitus Christi,
hi satellites filij Dei, in foribus huius domus iugi-
ter conspiciebantur, qui eam sæpè cum gemitu
& lacrymis requirent. Nam quod de Dorcade
Ioppæa in Actis Apostolorum legitur, id de hac
Matrona uerè affirmare possumus. Neminem il-
la egentem indonatum dimittere solebat, nulli ad-
flicto ope sua deesse. Hæc illi uoluptas unica, hæc
uita erat. Prædita fuit & alijs, nostro seculo
raris, ac plane Heroicis uirtutibus, quæ hîc comme-
morari non possunt, inter quas dulcißima eluce-
bat Philostorgia, pulcherrimum Matronæ decus
atq; ornamentum.

Declarauit uerò præcipuè in hoc ultimo
actu uitæ grauitatem suam animiq; magnitudinem.
Nullum enim impatientiæ signum toto morbi tem-

pore

pore adparuit, rari gemitus, uociferatio præterquam in inuocatione filij Dei plane nulla, sermo rarus, uoces tamen subinde testes animi obedientis Deo, & certa spe erga filium Dei subnixi. Denique omnia signa indicabant, eam animo ad mortem esse æquissimo & paratissimo. Sic occurrit hæc sancta Matrona amplexui Iesu Christi Redemptoris sui uocantis, cupida mori, ut esset cum Christo filio Dei.

Nobis uerò etsi doctrina Ecclesiæ Christi rectè institutis de æterna fœlicitate huius Matronæ spes haudquaquam dubia proposita est, tamen luctus & mœroris causæ graues & multæ sunt, quarum commemorationem partim temporis breuitas, partim ipse luctus dolorq; intercludit.

Hortamur igitur & per Deum obsecramus omnes huius Scholæ nostræ alumnos ac Scholasticos, ut seriò & ardentibus uotis Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi precentur, ut reuerendo Præceptori nostro, non tantùm de nobis & de hac Ecclesia atq; Schola, uerùm de omnibus pijs sanctisq; Ecclesijs & Scholis optimè merito, dolorem quem haud dubiè ex hoc tristissimo casu maximum accepturus est, leniat, illumq; & in hoc & alijs omnibus aduersis casibus ac procellis Spiritus sancti sui uirtute corroboret, tueatur, atq;

atq; conseruet, & miserrimæ atq; hoc tempore afflictißimæ Ecclesiæ suæ ipse defensor, propugnator atq; conseruator adsit, sicut promisit: Ego ero uobiscum usq; ad consummationem seculi, per Emmanuelem nostrum Iesum Christum filium Dei.

Quia uerò hodie hora duodecima pia hæc & sancta Matrona Tabitha nostra sepelietur, tantùm hoc significandum duximus, nihil adhortatione aut mandato opus fore putantes. Neminem enim ita inhumanum aut ferreum esse existimamus, qui non sponte sua hoc pietatis officium ei præsturus sit, ut funus unà comitetur ac deducat, & pijs ad Deum precibus Ecclesiæ doctrinam, salutem optimi Præceptoris, atq; totius familiæ ipsius commendet. In Christo fœliciter ualete.

12. Octobris, Anno 1557.

Epitaphium

EPITAPHIVM SANCTAE ET PIÆ MATRONÆ CATHARInæ, coniugis Reuerendi uiri D. Philippi Melanthonis, Præceptoris noſtri obſeruandi, quæ 11. Octobris, Anno 1557. ex hac uita euocata eſt:

Scriptum à

IOHANNE SCHOSSERO POETA L.

Hoc matrona tegor poſt ultima fata ſepulchro,
Quæ uario pridem nomine clara fui.
Me pater Albinas generauit Conſul ad undas,
Qui de Crapporum ſtemmate natus erat.
Ille mihi primo tradens documenta ſub æuo,
Formauit mores qualibet arte meos.
Infuditq; mihi ueræ pietatis amorem,
Regula quæ uitæ totius una foret.
Iam prope contigeram ſexti primordia luſtri,
Cùm peterem primò connubiale decus.
Vt peterem, laudes & uita modeſta PHILIPPI,
Augebant animi uota pudica mei.
Hic nuper noſtram tum uenerat hoſpes in urbem,
Proſpiciens ſtudijs docta iuuenta tuis.
Inter & Albiacas, fato ducente, puellas,
Me ſibi conſortem legerat ipſe tori.

Sponte

Sponte ſecuta fui, quò numina ſancta trahebant,
Ac ſubij thalamum docte Philippe tuum.
Hinc mihi cura fuit ſacri cognoſcere uerbi
Dogmata, quæ ueræ dona ſalutis habent.
Ac didici, quicquid uenturæ nomine uitæ,
Dedita Chriſte tibi pectora noſſe decet.
Ocia ſi qua domus tribuit mihi cura regendæ,
Impendi ſacris tempus id omne libris.
Doctaq́; cum primis Ieſſæi carmina Vatis,
Iamdudum memori condita mente tuli.
His diuturna meæ ſuperaui tœdia uitæ,
Solamen cunctis illa fuere malis.
Sæpè meus coniunx Synodos acceſſit, at ipſa
Leniui precibus numina læſa, domi.
Cùm mihi præſentem licuit ſpectare maritum,
Coniunctim noſtræ non ſiluêre preces.
Res inuiſa mihi uentoſa ſuperbia, faſtus,
Nec mimus & formæ ſplendida cura, fuit.
Candida ſimplicitas, & uirtus neſcia fuci,
Eſt magis arbitrio ſemper amata meo.
Non unq̃ ſubijt pauper mihi Lazarus ædes,
Quin mea plõranti dextera ferret opem.
Forſan & amiſſam triſti me uoce requiret,
Quem premet afflictæ ſors miſeranda domus.
Pectore conſtanti fido coniuncta marito,
Sum quater ex illo facta parente parens.

Proge-

Progenuiq; duos natos, totidemq; puellas,
Dante Deo casti pignora casta tori.
Instillare quibus dulci cum lacte solebam
Semina uirtutum noticiamq; Dei.
Natus adhuc uiuit genitoris nomine dictus,
Cum superis alter gaudia læta tenet.
Quæ coniuncta fuit præstanti nata SABINO,
Hæc etiam cœli regna beata colit.
At supereſt PEVCERE tibi data fœdere lecti,
Non nisi tam claro nubere digna uiro.
Transegi multos cum coniuge molliter annos,
Gnate Dei uitam te moderante meam.
Ille sed ut Rheni uitreas accesserat undas,
Grande gerens humeris Relligionis onus:
Occubui, corpusq; dedi mortale sepulchro:
Viuit, conspectu mens fruiturq; Dei.
Ante thronum Christi, dilecti coniugis artus,
Rursus & amplectar pignora cara tori.

EPITAPHIVM CATHARINÆ CONIVGIS PHILIPPI Melanthonis.

PRoximus hic tumulus Catharinæ contegit ossa,
Quæ Crappo quondam consule nata fuit.
Coniugio casto fuerat quæ nupta Philippo,
Ex scriptis cuius nomina nota manent.

Virtutes

Virtutes habuit donatas numine Christi,
Matronæ Paulus quas docet esse decus.
Hîc absente uiro sepeliuit filia corpus,
Viuit conspectu mens fruiturq; Dei.

Obijt 11. Octobris,
Anno 1557.

EPITAPHIVM IOHANNIS MINISTRI D. PHILIPPI.

IOhannes patrij Nicri discessit ab undis,
Huc accersitus uoce Philippe tua.
Quem comes exilij iuuit precibusq; fideq;,
Nam uerè gnato credidit ille Dei:
Ipsius hîc dominus sepeliuit corpus inane,
Viuit conspectu mens fruiturq; Dei.

Decessit 3. Aprilis,
Anno 1553.

LITERAE A PROFESSORIBVS ACADEMIÆ VVITEBERgensis, ad Reuerendum uirum D. Philippum Melanthonem Præceptorem missæ, ad consolandum eum, postq̃ eo absente eius coniunx mortua esset.

ETsi iam uos in itinere esse sperabamus, & Dominum Ioachimum Camerarium uobis redeuntibus

redeuntibus occurſurum, tamen animis acquieſcere non potuimus, quin nuncium hunc ad te mittendum eſſe ſtatueremus. Oramus autem ut ſollicitudini noſtræ ignoſcas. Quædam etiam etſi non iucunda, attamen neceſſaria tibi ſignificanda duximus. Nam optima & pientiſſima Catharina coniunx die 27. Septembris poſt meridiem ægrotare cœpit: Inuaſit eam morbus cum horrore, uomitu crebro, cum nauſea & faſtidio cibi perpetuo, neq; obſcura calculi indicia initiò aderant. Poſt aliquot dies acceßit & nocturno tempore paroxiſmus febrilis cum Lipothymia ex debilitate & motu uteri, neq; tamen ſingulis, ſed alternis noctibus ferè grauius laborabat, cibi nihil admittebat, ideo medicina omnino illi præberi non potuit, foris quæ potuerunt, applicata ſunt. Vinum tamen interdum, idq; ſatis moderatè, ſumpſit, & ferè ſtatim uomitu rurſum reiecit. Pulſus uſq; ad ultimos quatuor dies ſemper mediocris fuit. Quarto ante mortem die manifeſtè concidere cœpit. Cùm enim uentriculus cibum non admitteret, neq; corpus aleretur, tandem undecimo Octobris hora tertia ante lucem, cùm molliter obdormire cœpiſſet poſt Lipothymiam, quaſi morbo conſumpta in Chriſto obdormiuit, ita placide, ut uix à circumſtantibus animaduerti poſſet.

Fuit haud dubiè præſcia mortis ſuæ. Nam

pridie antequã laborare cœpit, ad cœnam Domini acceßit, & primo ſtatim die, cùm in lecto ſe componeret, Deum, ut ſibi patientiam clementer largiretur, precata eſt, neq; irrita fuit ea precatio. Per omne enim morbi tempus, nullum impatientiæ ſignum præbuit, & deinceps aliquoties ſignificauit, ſe animo ad mortem æquiſſimo & paratiſſimo eſſe. In hac igitur obedientia erga Deum & inuocatione crebra filij Dei, illa fœliciter ex hac miſera mortali uita diſceßit, non ſuis tantùm, ſed nobis omnibus mœrorem & triſte deſiderium relinquens.

Accedit hoc quoq; ad mœrorem noſtrum, quòd te ſupra triſtiſſima certamina, quæ ſuſtines, haud dubie magnum dolorem ex optimæ coniugis interitu accepturum non dubitamus. Quare de tua ualetudine & ſalute ualde ſolliciti ſumus. Etſi enim ſanctiſſimo uerbo diuino ita te inſtructum & confirmatum eſſe ſcimus, ut ex illo fonte facile firma & efficacia remedia contra quemuis dolorem petere poßis, tamen cùm tua φιλοσοφία nobis nota ſit, non leuiter angimur. Et cùm ipſi proprio mœrore oppreßi ad te conſolandum parùm idonei ſimus, precamur æternum Deum patrem Emanuelis noſtri, ut tibi ipſe conſolator adſit ſpiritu Sancto ſuo, te erigat & confirmet, ut & triſtiſſima

stissima onera, quæ pro Ecclesia Domini sustines, & hunc quoq; dolorem, quem ex domestico luctu capis, facile ferre & superare possis. Id faciat præstetq; nobis ac tibi Christus filius Dei redemptor noster, Amen.

Deinde Deum per Christum quoq; oramus, ut te & cæteros Dominos & amicos nostros salvos & incolumes quàm primum ad nos reducat. Ac te oramus amanter, ut non deseras nos, atq; hanc, si te destituta sit, uerè miseram Ecclesiam, & Scholam. Miserrimè enim nobiscum & cum hac schola & Ecclesia ageretur, si tu ab sses. Iam penè tertia pars scholasticorum dilapsa est. Hinc apparet si diutius abfuturus esses, quæ nastiras & solitudo mox sequutura esset. Eluxit autem ex hac Ecclesia & schola prima lux purioris doctrinæ de Deo & Christo, quod fateri coguntur etiam noui Antagonistæ nostri, etsi inuidia rumpantur. Quare speramus te non relicturum esse hunc locum. Locus enim uastus, & nos destituti plane orphani futuri essemus. Enitemur uicissim eo quo decet studio, ut omnis obseruantiæ & gratitudinis nostræ officia erga te ac tuos compareant. Christus nostri misereatur, teq; salvum & incolumem tueatur & conseruet, & quàm primum ad nos reducat, Amen. Vuitebergæ, 13. Octobris, Anno 1557.

ANNO 1557.

MAGNIFICO RECTORI ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, & eius Senatui, uiris Reuerendis & clariſſimis, Præceptoribus & Collegis ſuis, Philippus Melanthon S. D.

MAgnifice Domine Rector, & Reuerendi uiri ac clariſſimi domini Doctores, & collegæ cariſſimi. Multa, ut fit, in dolore de morte uxoris meæ ærumnoſæ mulieris in utramq; partem cogito. Et quanq; multas cauſas humanas colligo, quæ lenire dolorem debent, uidelicet, quòd ſenectus non multos annos ei additura erat: quòd paulatim ſæuicia morborum, quibus obnoxia fuit, maior futura erat: quòd me præterpto in maioribus miſerijs uixiſſet, fortaſsis & nouorum exiliorum comes fuiſſet, tamen στοργαὶ erga ipſam, & erga filias, tanta ui ſubinde erumpunt, ut penè opprimar dolore. Nam & ipſi ſemper optaui, ut diutius dulciſsima filiarum conſuetudine frueretur, & filias habere matrem reſtricem multum referebat. Sed refero me ad conſiderationem ſententiæ diuinitus traditæ: **Subditus eſto Deo, & ora eum,** quem quidem toto pectore precor, ut & Eccleſiam ſeruet & gubernet, & noſtras familias in ea geſtet, ut

Paſtor

Pastor teneros agnos in gremio gerit. Quòd autem & ante mortem uxori meæ in consolatione & medicatione assiduitatem præstitistis, & postea nuncium ad me misistis, agnosco erga me perpetuam beneuolentiam uestram, & gratiam uobis habeo. Nec alibi malim uiuere, si longior mihi uita conceditur, quàm uobiscum, quorum uirtutem, candorem, & fidem facio plurimi. Et Academiam benemeritam diligo, quam Deus hactenus aduersus impia arma & aduersus rabiem Sycophantarum clementer texit, Quem quidem oro, ut semper eam gubernet & protegat. Bene & fœliciter ualete. Pridie Calend: Nouembris. Heidelbergæ, Anno 1557.

IN LIBELLVM DE ANIMA.

CVm senatui Academiæ huius placuerit me accersere, cui deinceps committeretur doctrina Physices, cooptato in Collegium sacra docentium Domino Paulo Ebero, qui cum summa laude sua, & discipulorum fructu, hunc locum multis annis tenuit, uir clarissimus, & de pietatis, & optimarum artium studijs optimè meritus: Secutus sum humanissimam inuitationem, & fretus Deo, & ostensione affectionis optimæ erga me, pietate, uirtute & doctrina præstantissi-

morum uirorum, huc me contuli, eamq; rem laudatissimæ Academiæ huic, & mihi, & omnibus amantibus huius, bene fœliciterq; euenire precor. De sententia autem eorum, qui doctrinam publicam constituunt, ordiar functionem muneris mei ab explicatione libri de ANIMA, Philippi Melanthonis uiri clarissimi præceptoris nostri omni cultu reuerentiæ dignissimi. Hoc igitur fauente Christo cras agere incipiemus hora secunda, in Collegij noui auditorio, quod tempus & quem locum ab antiquo his studijs dicatum audimus.

Esromus Rudigerus
Pabepergensis.

RECTORATVS DOCTISSIMI VIRI M. MATTHÆI BLOCHINGERI, VVitebergensis, Professoris artium liberalium, à die Lucæ Euangelistæ, anni 1557. usq; ad festum sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS M. Matthæus Blochingerus.

VEnit ad nos ante triennium uir pius, bonestus, ac plenus officij, industriæ ac solertiæ,

Martinus

MARTINVS SCHAFFHIRD Dresdensis, qui magnis sumptibus ædificauit, operaq; fecit & extruxit, ut nostram potißimum scholam papyro proba, chartaq; uenusta instrueret atq; ornaret, ac nobis singulis gratificaretur: ἀλλ' οὐ ζεὺς ἄνδρεσι νοήματα πάντα τελευτᾷ, inquit Homerus. Nam hic uir optimus, superiore nocte ex huius uitæ scopulis liberatus, & diuinitus euocatus, non longo interuallo dulcißimæ uxoris funus sequitur. Efferetur autem iam hora tertia. Quare omnes nostræ Academiæ alumnos hortamur, ut frequentes sint in funere, hocq; extremum pietatis officium exhibeant huic honestißimo homini, qui æquißimo animo, inuocationeq; filio Dei, Domino nostro Iesu Christo adhibita, solidaq; fide in Deum, mortem cum uita commutauit, quod quidem sæpius post amissam coniugem optauit atq; prædixit: Sunt autem morientium extremæ uoces μαντικαί.

Ac fruitur nunc quidem hic uir conspectu & colloquio Dei omniumq; piorum: fruitur & complexu suauißimæ uxoris, sed nos in huius uitæ scopulis, ac quasi incendio relinquimur, quo magis Deum orare debemus, ut ipse nos propter filium suum, Dominum nostrum Iesum Christum regat ac tueatur, nec nos opprimi perireq; sinat.

O Iesu Christe, fili Dei uiui, crucifixe mortue ac resuscitate pro nobis, sana Ecclesiæ uulnera, mitiga nostras calamitates, & querimonias audi, ut tandem τὸ ἀυτὸ φρονῶμεν, in TE Vnamq; simus, ut ipse præcipis, Amen. Die 23. Octobris. 1557.

IN PRAELECTIONEM LOCORVM COMMVNIVM.

VT in omni studiorum genere plurimum momenti affert, integrum corpus eius artis, in qua cognoscenda uersamur, animo insigi: Ita in doctrinæ cœlestis perceptione, summoperè refert, unam quandã simplicem ac certam formam doctrinæ, continentem summam omnium Articulorum fidei, rectè, propriè ac perspicuè explicatam proponi. Idq; uel eò potißimùm, ut mentes discentium, doctrinarum principia, ortus, progreßiones, seriem, ac totius ædificij formam & membra ordinè distributa, & facilius memoriæ complecti poßint: & in omnibus controuersijs ac disputationibus, tanquàm normam habeant, ad quam omnes sententias & opiniones examinent.

Ideo Paulus scribens ad Timotheum, monet, ut assiduè circumferat, & in conspectu habeat ὑποτύπωσιν sanæ doctrinæ, comprehensam certa forma

ta forma & methodo, qualem ipse in Epistola ad Romanos contexit, ac deinde in Epistola ad Galatas repetit.

Tradidit & Moises summam doctrinæ, quæ in Ecclesia patrum sonuit, quatuor prioribus capitibus Geneseos, quæ deinceps Prophetarum & Apostolorum scriptis euoluta & explicata est. Hoc consilio in synodis Symbola composita sunt, quibus summa doctrinæ Christianæ omnibus ad ueram Dei agnitionem, & animarum salutem cognitu necessaria, inclusa est.

Nostra uerò ætate singulari Dei beneficio, illustris methodus omnium Articulorum fidei Christianæ in Locis D. Præceptoris summa perspicuitate & proprietate scriptis, comprehensa est, cuius assiduam lectionem ac repetitionem omnes sani fatebuntur, & ad formanda iudicia de omnibus partibus doctrinæ Christianæ, & ad ueram Dei agnitionem & inuocationem longè utiliorem & fructuosiorem esse omnibus scriptis humanis.

Quapropter cùm in eo opere omnium Articulorum fidei Christianæ summa comprehensa sit, quæ mentes nostras de omnibus doctrinæ cœlestis partibus, propriè & perspicuè expositis instruat, & non rerum tantùm, ad æternam animarum nostrarum salutem spectantium cognitionem:

ſed genus quoq; ſermonis, proprium ac ſanum nobis tradat, debet eius operis lectio, non ſolùm his qui ex profeſſo futuri ſunt Theologi, ſed omnibus qui Chriſtiani haberi uolunt, eſſe commendatiſſima.

Cùm autem hortatu D. Præceptoris reuerenter colendi laborem repetendi Locos Communes mihi imponi paſſus ſim, non dubito, quin optimi quiq;, non niſi honeſtiſſimè de his ſcholaſticis exercitijs ſint iudicaturi. Malo enim, cùm uoluntati D. Præceptoris ſumma fide & obſeruantia colendi ſim obſecutus, deſiderari à me prudentiam, quàm ſi id non fecerim obedientiam. Etſi autem meo me pede metiens agnoſcam mearum uirium imbecillitatem, quas longè inferiores eſſe exiſtimo, quàm ut uel huic de me iudicio reſpondeant, uel inſtitutæ prælectioni pares ſint: tamen & ueſtra fretus beneuolentia, qui etiam mediocres de rebus bonis & utilibus audire non faſtiditis, non grauatim ceſſi: & ut D. Præceptori obedirem, malui omnem ingenij opinionem (ſi qua eſt mihi) perire, quàm de obedientiæ laude uel tantillum perdere.

Oro igitur æternum Patrem Domini noſtri IESV CHRISTI, *fontem omnis ſapientiæ, ut hos noſtros labores pro ſua bonitate gubernet & adiuuet, & ut ipſe ſit noſter Doctor, regat*

ac erudiat

ac erudist mentes nostras in doctrinæ à se traditæ explicatione, ut ipsi grata, Ecclesiæ ac communi hominum societati salutaria dicamus. Prælegam autem biduo singulis septimanis, die Mercurij & die Saturni hora nona. Ac proximo die Mercurij, qui est primus Nouembris hora nona in ueteri Collegio Deo iuuante initium prælectionis faciam. Vuitebergæ, pridie Calend. Nouembris, quo ante annos 40. foribus templi ad Arcem Vuitebergensem affixa sunt Themata contra Indulgentias.

Petrus Sickius
Rentzburgensis.

IN PRAELECTIONEM ARITHMETICES.

PLato inquit: Omnia peritura esse, si quis Arithmeticam ex communi uita auferat. Quod uerum esse experientia ipsa docet. Nam nec familiæ regi, nec respublica gubernari, nec contractus exerceri, nec studia tractari absq; numerorum noticia possunt. Ac ut alia omittam, manifestißimum est, doctrinam dulcißimam, & maximè necessariam, de motibus corporum cœlestium, de ratione anni, de magnitudine terræ, de Locorum interuallis, & alijs quam plurimis, absq; numeris consistere non posse.

Quare

Quare magnitudo utilitatum inuitare bona ingenia ad Arithmeticæ ſtudium debet. Quod eo etiam pluris faciendum eſt: quia intellectus numerorum & ordinis illuſtre teſtimonium eſt, hanc pulcherrimam mundi machinam non ex Democriti atomis confluxiſſe, ſed à mente Architectatrice, ſapiente, bona & omnipotente, quæ fons eſt ordinis, conditam eſſe, gubernari & conſeruari. Cùm itaq; Coſſam abſoluerim, nunc Deo iuuante, uulgaris Arithmeticæ præcepta, bono ordine collecta à clariſſimo Medico & Mathematico Gemma Friſio, bonæ memoriæ, prælegam, ac ad proximum diem Lunæ auſpicabor. Die 11. Nouembris. 1557.

Sebaſtianus Theodoricus
Vuinſemius.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

M. Matthæus Plochingerus.

OMnibus pijs mentibus grata eſſe debet memoria clariſſimi uiri, ſapientia, eruditione, pietate, fide & Eloquentia præſtantiſſimi, Domini GREGORII PONTANI SENIORIS, quo nuper defuncto ſingulare præſidium, decus & ornamentum, Eccleſiæ & Reſpublicæ harum Regionum amiſerunt.

Magni

Magna enim cum laude, & multorum utilitate, Principum consilia multos annos rexit, & doctrinam Euangelij à LVTHERO Dei beneficio in his terris instauratam, in conuentibus Imperij contra aduersariorum & Tyrannorum potentiam & fremitus, patrocinio eloquentiæ suæ, qua excelluit, cum multorum etiam in Cæsaris & aliorum Principum aulis, admiratione defendit, & de Republica, Ecclesijs & Scholis harum regionum toto uitæ suæ curriculo ita meritus est, ut uerè de eo prædicari possit, quod dicitur: χρὼς ἀνὴρ, κοινὸν ἀγαθὸν. Cum Luthero & Philippo, carissimis præceptoribus nostris, coniunctissimè uixit, consilia communicauit, Ecclesias & hanc scholam mirifico amore complexus, sapientia & moderatione iuuit in multis negotijs, & tutatus est. Propter hæc summa beneficia, memores & grati totam familiam meritò prosequimur beneuolentia & studio singulari.

Huius filius ornatissimus uir GREGORIVS PONTANVS, Senator huius oppidi, beri ex hac mortali uita ad consuetudinem cœlestis Ecclesiæ piè ac placidissimè euocatus est, ubi iam in cœtu augustissimo Christi, Patrum, Prophetarum & Apostolorum dulcissima consuetudine & colloquio clarissimi uiri, patris sui, iterum cum uoluptate inenarrabili fruens, desiderium sui in

terris

terris clarißimo uiro, fratri ſuo CHRISTIANO PONTANO Doctori, dulciſſimæ coniugi, cariſſimis liberis, & toti familiæ grauiſſimum reliquit. Horum nos orbitate & luctu adfici decet.

Vt igitur noſtri doloris ſocietatem honeſtiſſimæ, & de Republica nunc etiam benemerenti familiæ oſtendamus, præcipimus ſcholaſticis, ut hodie hora quarta in funeris deductione frequentes ad ipſius ædes in foro appareant, & in his ipſis ceremonijs primùm de cauſa mortis, & ira Dei aduerſus peccata generis humani, Deinde & de immenſo amore filij Dei Redemptoris, & reſuſcitatoris corporum noſtrorum ſeſe commonefaciant.

Singuli etiam uitam & mores ad pietatem & modeſtiam componamus, ut in his triſtiſſimis ſeneſcentis mundi temporibus, fiducia unici Saluatoris & liberatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti erecti, uel exitum de mortali fragilitate huius uitæ noſtrum, uel etiam breui impendentem aduentum filij Dei in nubibus læti expectemus. Ipſo die Brumæ.

Anno 1557.

Scripta

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA ANNO 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

M. Matthæus Blochinger.

FEsta dies iterum reuoluto cernitur anno,
Atq; refert pleno gaudia læta sinu:
Qua celebrare pio ritu precibusq; solemus,
Tempora natalis maxime Christe tui.
Sancta dies, ueneranda dies, pulcherrima rerum,
Quas pater ignito Phœbus ab axe uidet.
Luce sub hac nobis amissæ dona salutis
Reddidit immensi conditor ipse poli.
Testatusq; fuit, quanto nos diligat æstu,
Quàm sit in humanum propitiusq; genus.
Nam quamuis meritam foret irritatus ad iram,
Ipsius edictum quòd uiolasset Adam:
Non tamen hunc penitus uoluit disperdere cœtum,
Cui nullo sese fine daturus erat.
At quia non rebus cœlesti uoce creatis,
Placari potuit tristior ira Dei:
Decreuit patrio genitam de pectore natum
Tradere, qui tantum sponte subiret onus.

Hunc

Hunc etiam noſtro uoluit de ſanguine naſci,
Criminis humani quò reus eſſet Homo.
Nullius ipſe licet ſibi fraudis conſcius eſſet,
Ceu λόγ@ & ſummi dulcis imago Patris
Ardua res adeò lapſam reparare ſalutem,
Et placare Dei numina læſa, fuit.
Talia, quæ toto perpendi conuenit anno,
Arbitror imprimis hac meditanda die,
Qua recitat nato laudes Eccleſia Chriſto,
Sacraq́; lætanti carmina uoce canit.
Ergo pios cœtus adeamus, & atria templi,
Candida ſoluentes uota preceſq́; Deo:
Quòd Gnatum nobis cœlo demiſit ab alto,
Nec uoluit noſtrum diſperiiſſe genus.
Quin etiam nato grates dicamus Ieſu,
Ipſe quòd aſſumpſit debile carnis opus.
Induit & noſtram mirando fœdere maſſam,
Verus homo, uerus de genitore Deus.
Inclyta quæ ſi non coniunctio facta fuiſſet,
Æternùm Stygijs obrueremur aquis.
At quia per uerbum Chriſtus ſibi colligit agmen,
Atq́; miniſterij munera ſancta probat:
Nos quoq́; doctores ueneremur, eiſq́; lubenter
Præſtemus ſtudij debita ſigna pij.
Donaq́; ſolennem non ferre grauemur ad aram,
Luceat è nobis quo pietatis amor.

Laus

Laus tibi nate Deo, ſpargentes ſemina uerbi
Qui regis, & flatu prouehis ipſe tuo.
Te ſine nil poſſent fidi præſtare miniſtri,
Te ſine cœleſtis ſupprimeretur honos.
Tu facis ut moueant nequicquam bella tyranni,
Bella necem iuſto ſæpe minata gregi.
Tu facis ut pereant, qui dogmata falſa profeßi,
Dilacerant uerbi munera ſancta tui.
Deniq; Leucorea quòd adhuc ſeruatur in urbe,
Qui tua propaget myſtica ſacra, chorus,
Nos debere tibi, ſubmiſſo corde fatemur,
O Deus, ô caſtæ nobile matris onus.
Perge precor tales poſthac defendere cœtus,
Vnde tuus iacto ſemine creſcat honor.

Anno 1558. In die feſto, quo celebratur Recordatio mirandæ Natiuitatis filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Deus iuſticia noſtra.

Iohannes Schoſſerus
Poëta L. ſcribebat.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

OPpidum BIRNA non procul abeſt à fontibus Albis, quem dicunt nomen habere ab undecim ſcaturigimibus, quæ confluunt in

 um

unum alueum, qui initium est fluuij Albis. Ac *scribit* Cornelius Tacitus, *oriri eum in* Hermunduris, Quare *tenuisse* Hermunduros *eam oram, quæ nunc* Mysorum *nomen habet, consentaneum est.* Ac *idem ex* Strabone *intelligi potest.*

Laudat etiam Cornelius Hermundurorum *mores, & honestam disciplinam, quorum nunc quoq; Dei beneficio oppida mediocriter ornata sunt legibus, iudicijs, doctrina, commercijs, quæ ut* DEVS *gubernet & protegat, toto eum pectore oro.*

Nati *sunt autem in oppido* Birna *duo fratres,* Christophorus Finck, & Hermannus Finck, *quorum alter* Christophorus, *cùm piè gubernasset* Ecclesiam *in uicino oppido* Iutrebok, *ante annos aliquot mortuus est, & magnum desiderium sui apud* Ecclesiam *reliquit.* Alter Hermannus *primum inter* Symphoniacos Regis Ferdinandi *uixit, ubi & doctrinam Musicam didicit, & artem uoce & instrumentis exercuit.*

Postea *nostræ* Ecclesiæ *in hoc oppido seruiuit in conseruatione* Musices, *quam in sacris adhibitam esse omnibus ætatibus nihil dubium est, quam rectè dicit* Aristoteles *hominum naturæ diuinitus attributam esse propter tres causas,* πρὸς ἡδονὴν, πρὸς παιδείαν, καὶ πρὸς κάθαρσιν.

Primùm

Primùm ait esse aliquas naturales recreationes defessæ naturæ, inter quas & harmoniæ sunt.

Deinde ait, has non solùm adferre uoluptatem, sed etiam efficere mitiores & magis compositos mores, & multa docere, ut tota uetustas cantilenis historias & multas commonefactiones comprehendit.

Tertiam causam nominat κάθαρσιν, quæ est adfectuum moderatio. Mira res est. Eadem dicta ardentius in animos & corda penetrant harmonijs additis, quàm si tantùm pronuncientur. Ideo iratos duces Argonautas lyra reuocat Orpheus ad tranquillitatem. Et exempla omnibus nota sunt.

In hac arte cùm ediderit multa Hermannus Finck, decet nos eius memores esse. Cùm autem in filij Dei inuocatione heri piè decesserit ex hac uita, hodie hora tertia ei funus fiet, ad quod ut conueniatis ante ædes Nicolai ministri Academiæ petimus. Ac pijs precibus singuli ibi & publicam & suam salutem Deo commendent. Die 29. Decembris.

ANNO 1558.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA Vuitebergensi, Iacobus Lechner, natus in urbe Austriæ Lyncea.

NOn hic ex atomis temerè & sine mentis coactis
Confluxit mundus cunctipotentis opus.
Formatrix sed mens sapiens, bona, libera, iusta,
Omnia miranda condidit arte Deus.
Non dubijs cœli uoluuntur legibus orbes,
Cernitur inde etiam prouida cura Dei.
Sol motum media Princeps obseruat in arce,
Agminaq; astrorum lumine iuncta trahit,
Atq; anni certo describit tramite metas,
Vnde suum seruant tempora longa decus.
Hæc si quis casu fluere, & sine mente putabit,
Cœtus Tænarios incolit ille specus.
Nos quibus est sanæ melior sententia mentis,
Discimus hunc certis legibus ire polum,
Quas posuit primo sapientia protinus æuo,
Cùm motus anno iuraq; certa dedit.
Et quia iam pandit ueniens sua limina Ianus,
Et prior exactis mensibus annus abit,
Nos huic æterno, qui cœlum & sidera fecit,
Soluimus ardenti pectore uota, DEO.
Ille det, ut pacem tranquilla mente colamus,
Qui cupimus recte concelebrare Deum.

Nam

Nam ſumus haud ulla nec ui nec robore firmi,
Auxilio niſi nos iuuerit ipſe ſuo.
Iamq; adeò motus inſtant, damna aſpera damna,
Et mala continuis accumulata malis.
Vere nouo quando parientem ſidera terram
Læta iuuant, diram ſentiet illa ſitim,
Fœcundum amittet fraterni luminis uſum
Cinthia, mox ſolem rurſus & illa teget.
Credite mortales reſtant certamina reſtant,
Et noua diſſidijs ſemina iacta tument.
Sunt hæc magna ſatis, ſed non leuiora pericla
Impendent, alijs ſignificata modis.
Sic cum falcigero ſene Mars, duo corpora in uno,
Heu infœlici non bene iuncta loco,
Prodigijs mundum terrent, & damna minantur,
Fruſtrantemq; agros & ſata læta famem.
Fraudibus occultis ſurgentia bella uidebis,
Hæc nos Vere nouo ſidera iuncta monent.
Aſtra Deus uoluit quoq; res monſtrare futuras,
Non igitur ſpernant talia ſigna pij.
Barbaries uitam potius decet iſta Cyclopum,
Quos nunquàm irati numinis ira mouet.
Sic ſua Sardoo rident incommoda riſu,
Penelopes caſtum qui petiêre thorum.
Signa uident paſſim, ſed non tangentia pectus,
Nec minus à tergo pœna luenda uenit.

ANNO 1558.

Nos oculos noſtros cœli uertamus ad axem
(Ne dubita) fiunt cuncta mouente Deo.
Ille ſuam mitis nobis denunciat iram,
Et nos ad ueram uult reuocare uiam.
Inuitus punit, noſtroq́; labore gemiſcit,
Et, quoties aſper cogitur eſſe, dolet.
Contatur, mouet arma diu, prius omnia tentat,
Pœnarum effundat quàm uiolenter onus.
Ergo conuerſis animis & pectore mœſto
Fundamus læſo uota preceſq́; Deo.
Vota Deum flectunt, cùm iam ſua fulmina uibrat.
Tantum uota pia mente profecta ualent.
Creſcat & in nobis diſcendi cura laboŕq́;
Nam Deus hac etiam uult ratione coli.
Noſſe Deum doctrina facit, ueſtigiaq́; ipſa
In ſe diuini plurima amoris habet.
Nunc igitur rurſus ſtudiorum examina fient,
Diſcentes crebrò quæ repetita iuuant.
Si fuerint igitur, quos non ſubijſſe pigebit
Cenſuram, ſua dent nomina more Scholæ.
Non labor his deerit noſter, nec amica uoluntas,
Semper & ingenijs officioſa bonis.

Iohannes Ricardus
Mansfeldenſis.

Caſpar

CASPAR PEVCERVS
STVDIOSIS MATHEMA-
tum S. D.

EVclidea Elementa & utile est sæpè repeti in Scholis publicis, & necesse est eos discere, qui in Philosophia aliquid ueræ & solidæ eruditionis expetunt. Ea cùm inchoarim ante discessum, & primum librum explicarim, addam nunc, Deo iuuante sequentes, hisq; absolutis accedam ad enarrationem μεγάλης συντάξεως Ptolemæi. Ordiar itaq; cras hora tertia secundum Euclidis, qui cùm exponat elementa doctrinæ περὶ δυνάμεως τῆς πλευρᾶς, seu de potentia lineæ rectæ, fundamenta complectitur multarum partium Geometriæ et Arithmeticæ, quæ monstrabimus inter prælegendum. Diebus Mercurij in Proclea μεταφράσει τετραβίβλου Ptolemæi progrediar, cui miscebo, ut cœpi, suaues de physicis causis disputationes, & Topographicas descriptiones ac distributiones, & historias de moribus diuersarum gentium, profuturas auditoribus ad multa intelligenda & iudicanda.

Edidit recens quidam δρασύσομος κεφάσης scriptum lingua uernacula, quo iactitat se & astra debellasse, & uim cœlo detraxisse omnem, & consensionem ac sympathiam superiorum atq; inse-

riorum corporum ex natura rerum ſuſtuliſſe, & humanum genus omni cœli cognitione exuiſſe. Expectauimus ſollicitè, quid parturiret Scarabeus, cuius ſtrepitum audiueramus multo ante. Nam dixiſſe ferunt, Adornare ſeſe in internetionem τῦ προγνωστικῦ inſtructißimam Phalangem argumentorum, quæ totis octingentis annis orbis terrarum non uiderit. Mirum ſi interea aut à muribus corroſa illa non ſunt, aut ſitu ſqualoreq; non perierunt. Mirum ſi conſpectis illis non expauerunt Aſtra, neq; exterritum contremuit cœlum, nec tota prorſus concidit atq; euanuit doctrina. Libro inſpecto ueterem κεράμβκν & toties repetitam, & toties ab eruditis refutatam, conſenſuq; experientiæ conuulſam atq; exploſam renouari mi dimus. Illum ergo κεραστὴν uolutare ſeſe ſinamus in cœno ſuarum opinionum, quas conatu magno conquirit, maiore profert & obtrudit. Hos mores hæc ſecum ætas adfert: Νῦν γὰρ ἐυρόοισι σόμασι τ' ἀληθέσατα, κλέπτυσιν, ὥστε μή δ' οκεῖν, Non in noſtris tantùm diſciplinis, ſed multo magis in doctrina cœleſti, quam ſcimus Dei beneficio ita explicatam & confirmatam eſſe, ut nihil obſcuritatis, nihil dubij habere uideatur. Sed ἰχυρὸν τὸ ἀληθές.

Precemur ergo filium Dei, ut ipſe nos regat Spiritu ſuo, nec à ueritatis nos conſpectu intellectuq;

tellectuq; sinat abduci, præstigijs, quæ expressæ & confessæ ueritati offunduntur. Bene & fœliciter ualete.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HOnesta matrona est, uidua Pauli Shultes, & genus uirtute & pietate ornat. Huius frater uir Nobilis, Iohannes à Vuesnick, heri ex hac mortali uita decessit. Suntq; in luctu non solùm frater & soror, sed etiam orphanæ filiæ. Quoties autem orphanos aspicimus, cogitemus de communi orbitate Ecclesiæ, quæ horribiliter laceratur in genere humano Tyrannorum sæuicia, & petulantium ingeniorum sophistica. Et sæpè accidit, ut Aulæ, & Sophistæ κόλακες contra ueritatem sese coniungant. Agnoscamus igitur & nos esse orphanos, & dolore adficiamur in aliorum orphanorum calamitate.

Hortamur autem Scholasticos, ut hora duodecima ad funus conueniant ante ædes uiduæ, quam nominauimus, & pijs precibus singuli sese & Ecclesiam Deo commendent. Die 12. Ianuarij. Anno 1558.

ANNO 1558.

IOHANNES BVGENHA-
GIVS IVNIOR LECTO-
RIBVS S. D.

DVlciſſimè dictum eſt in Pſalmo: In Eccleſijs benedicite Deo Domino de fontibus Iſraël. Vocat uniuerſam Eccleſiam uox diuina in Pſalmo ad hunc uerum Deum, qui ſe in Iſraêl certis & illuſtribus teſtimonijs patefecit, & ad doctrinam ac promiſſionem de Meſſia ibi traditam, quam ſingulari beneficio Deus Prophetarum ſcriptis conſeruari & propagari uoluit. Non uagentur humanæ mentes, non ludant fingendis numinibus & opinionibus impijs, ſicut luſerunt homines athei, Philoſophi, Ethnici, Pontificij, Fanatici, & omnes alij, qui diſceſſerunt à fontibus Iſraël, id eſt, à ſermone Prophetico & Apoſtolico. Vt autem ſententia Prophetarum certò cognoſci poßit, linguam Ebræam aliquibus notam eſſe oportet, qui de locis obſcuris iudicare debent. Hanc ob cauſam & ſemper in Eccleſia filius Dei donum linguarũ ſeruauit, etſi aliàs plures, aliàs pauciores fuerunt eius linguæ periti.

Tempore Origenis homines pij ſumptus contulerunt, ad inſtruenda Hexapla, id eſt, codices ſex columnarum, in quibus Ebraicæ lectioni è regione adiectæ erant græcæ interpretationes Aquilæ, Symmachi, Editio ſeptuaginta Interpretum, & interpretatio Theodotionis.

Cele-

Celebrata est ualde & Luciani martyris editio, qui scripsit defensionem doctrinæ Christianæ contra Ethnicorum calumnias, qui uociferati sunt, non congruere doctrinam nostrorum cum uita politica, quia Vindictam prohibeat. Deniq; magna olim studia Ebrææ linguæ fuerunt. Ieronymus bonam operam nauauit, edita noua interpretatione Latina. Profuit Ecclesiæ & recentium eruditio, Lyrani & Burgensis, etsi his non defuerunt calumniatores & arrosores, sicut usitatum malum est maleuolentia. Et Euripides inquit: ἀεὶ τὰ σεμνὰ πάντα κέκτηται φθόνον. Sed excelso animo spretis impiorum iudicijs, & Thersiticis calumnijs, studeamus linguam Ecclesiæ necessariam conseruare, & ad posteros transmittere, quia uerum est distichon:

In tenebris ueluti Nauis si nocte uagetur,
Nescia mens linguæ sic pia scripta legit.

Quoties hoc accidit etiam præstantibus uiris, ignorantibus linguam aut phrasin, ut Augustino & alijs, quod in Prouerbio dicitur, ineptè conari imperitos: Claue ligna findere, & Securi seram aperire, τῇ κλειδὶ ξύλα χίζειν, τῇ δὲ ἀξίνῃ τὴν θύραν ἀνοίγειν πειρᾶν. Vt certa sit sententia in fontibus & testimonijs dogmatum, necesse est & seriem membrorum in qualibet oratione, & uocum proprietatem, & phrasin considerare.

rare. Id fieri sine cognitione linguæ non potest. Minus lecti sunt libri sacri, quia lingua fuit ignota, & latina lectio non satis perspicua est. Alicubi etiam error in phrasi peperit falsas opiniones, ut, corrupta est Pauli doctrina, quia nec fidei, nec iustiçiæ uocabula rectè intellecta sunt. Et possent plura exempla commemorari.

Cùm igitur Deus simul nos ad linguarum cognitionem, & ad doctrinæ lucem reuocauerit, grati hæc bona tueamur, discamus linguas Ebream & Græcam propter gloriam Dei, & Ecclesiæ utilitatem, & ut nostræ mentes certæ sint de sententia Prophetica & Apostolica, ut retineamus Psalmi dictum, Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Quare scholasticis significo, me inchoaturum esse Grammaticen Ebrææ linguæ, à doctißimo uiro D. Iohanne Isaac, amplißimi Senatus Coloniensis publico Professore conscriptam, quæ Elementa eius linguæ discere uolentibus propter perspicuitatem plurimum prodesse potest. Certißimum est autem labores humanos, nisi à Deo iuuentur, inutiles esse. Sed à Paulo scriptum est: Labores uestri non erunt inanes in Domino. Et filius Dei sedet ad dexteram æterni Patris, dans dona hominibus. Hunc, sicut iußit addita promißione, Petite & accipietis, oro, ut & docentes & discentes ad-

tes adiuuet, & ſemper inter nos Eccleſiam colli-
gat & gubernet, Amen. Vuitebergæ, Anno
1558. 12. Ianuarij.

GRATIARVM ACTIO
PRO FIDELI IN LITERIS IN-
ſtitutione exhibita M. Nicolao Selnec-
cero Vuiteberga diſcedenti.

PErcipit excuſſo quantos rectore dolores,
Quem tenet in medio nautica cymba freto:
Quàm ſoboles dulcem luget gemebunda pa-
Iniecit rabidas cui fera Parca manus: (rentẽ,
Tantos undanti ſentimus pectore luctus,
Flemus & in riguas imbre fluente genas:
Tendis ut amotas uenerande Magiſter in oras,
Turbaq; ſollicito dum ſumus orba patre.
Nam ualidis quantũ prior eſt mens uiuida membris,
Quantum animo pectus cedit imane meo:
Tantum qui tribuit corpus rude, ceſſerit illi,
Ingenua mentem qui colit arte rudem.
Atq; homines hominum ueros conformat in uſus,
Flectit & in trini cognitione Dei.
Quod cùm præſtiteris uario redamande labore
Præceptor, fidei pro ratione tuæ.
Et nos Pegaſeas induſtrius autor ad undas
Duxeris, officij ſedulitate tui:

Sæpius

Sæpius ab cupidis lustralia uota Camœnis
Fundimus, & castas supplice uoce preces,
Vt tibi perpetuas nobiscum ducere luces
Fas sit, & arguto multa docere sono.
Vt dum doctiloqui pendemus ab ore magistri,
Irriget excultum Castalis unda caput.
Sed quia delectum Deus ad maiora reseruat,
Et parat officijs uberiora tuis,
Inuida sors nostris quoniam te subtrahit oris,
Suscipis & subitam per loca iussa uiam,
Nunc licet exili memorem tibi carmine mentem
Pandimus. Ah uetuit dicere plura dolor.
Soluimus unanimi sanctas & pectore grates,
Quas tamen, ut decuit, reddere nemo potest.
Nitemurq; simul, quo possis noscere quondam
Quisq; quòd emeritum, tempus in omne colat.
Vt ne pœniteat tantos sumpsisse labores,
Ingratis fidæ quos tribuêre manus.
Siq; magis poterit retro labentibus annis
Reddi pro studijs gratia digna tuis,
Quam sermone tibi nunc protestamur inani,
Pollicita nunquàm destitueris ope.
Tu quoq; consueto nos complectaris amore
Quæsumus, & nostri commeminisse uelis.
Candidus & ueteres deponas pectoris iras,
Si quibus offensis extimulatus eras,

Postmodo

Postmodo ne noceant, ne sint doctissime fraudi
Præceptor, uarijs hinc uenit ansa malis.
Sic ualeas: Cunctis faueant ita numina ceptis,
Dum reget inuicta te Deus ipse manu.

I. S. B.

IN LOCVM DE FILIO DEI.

CVm in repetitione doctrinæ collectæ in Locis Theologicis accesserim ad doctrinam de FILIO DEI, rursus indicare uolui, me Deo iuuante processurum esse. Itaq; scholasticos non solùm ad audiendam hanc doctrinam inuito, sed etiam adhortor, ut pias mentes & precationem ad has cogitationes adferant, & se ab ipso filio Dei doceri petant, qui dixit, Nemo nouit filium, nisi Pater, nec Patrem quisquam nouit, nisi Filius, & cui filius uolet reuelare.

Hunc filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum oro, ut nos doceat & gubernet, & in nobis ueram noticiam confirmet. Nam ab initio generis humani Diabolus horribiliter conatus est extinguere & delere ueram doctrinam de filij Dei natura & beneficijs. Sciebant patres missum esse λόγον ad Ecclesiã, et eum inuocabant, sicut Dominus inquit, Vidit Abra-

dit Abraham diem meum, & lætatus est. Et rectè Irenæus inquit: Semper adfuit Ecclesiæ λόγος, qui postea naturam humanam adsumpsit.

At Ethnici extincta hac luce, prorsus à Deo defecerunt. Postea cùm sparsum esset Euangelium, statim Ebion, Cherintus, Samosatenus, & alij multi, bellum huic filio intulerunt. Deinde & Regnum omnium potentissimum in genere humano Mahometicum exortum est, quod palàm maledicit filio Dei, & iudicat neruum esse sui Regni hanc blasphemiam. Quid tristius cogitari potest, quàm maximam partem generis humani fascinatam diabolica fraude palàm & ex professo inimicam esse filio Dei?

Aduersus hæc tanta scandala necesse est assiduè muniri pios animos & testimonijs diuinis, & precatione, sicut Dominus inquit: Orate ne intretis in tentationem. Vltima est hæc mundi senecta, in qua & deliria, & tenebræ, & dissidia, & dilacerationes Ecclesiæ, proh dolor, crescunt & crescent. Hæc tanta mala intuentes, non solùm uigilantiores simus, sed etiam in omni uita ostendamus, nos uero dolore adfici propter Ecclesiam. Quid est indignius, quàm in tantis & miserijs & periculis, plurimos ebrios uoluptatibus, uelut Penelopes sponsos, sine cura maximarum rerum uiuere? Quotidiè in inuocatione cogitemus, & de

nostris

nostris & de publicis periculis: agamus Deo gratias, quòd filium ad Ecclesiam misit, & agamus ipsi filio gratias, quòd uerè & colligit Ecclesiam uoce Euangelij, & assiduus est custos noster, sicut inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Cogitemus quantum beneficium sit, quòd filius coæternus Patri κατὰ ὁμοούσιον & adsumpta natura nostra, fit uictima pro nobis Redemptor. Contremiscere omnes homines hæc cogitantes debebant. Nec leue peccatum est hæc socordia, & hic stupor, quòd leuiter tantarum rerum cura adficiuntur homines. Ideoq; de prædicatione pœnitentiæ inquit ipse Filius, argui hanc ignorantiam: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me. Vt autem aliqua in nobis initia huius doctrinæ & curæ accendantur, necessaria est hæc quasi κατήχησις in Ecclesia, quæ in sontibus testimonia colligit, & uocabulorum proprietatem monstrat. Non gignimus nos dogmata, sed uocis diuinæ discipuli sumus, quam & in Symbolis recitari adfirmamus, & perspicua eorum testimonia colligimus, & præstigias impiorum Deo iuuante refutamus. Hæc de nostro studio præfari uoluimus, & adolescentes simul ad discendũ, & ad inuocationem hortamur, ad quam nos omnes excuscitet uox dulcissima ipsius filij Dei: Venite ad me omnes,

qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.
Vuitebergæ, anno salutis 1558. 16. Ianuarij.

Petrus Sickius
Rentzburgensis.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA

Vuitebergensis, Iacobus Lechner, ex oppido Austriæ Lincea.

CVm hodie celebretur BASILII CÆSARIENSIS memoria, cuius excellens fuit eruditio & uirtus, decet nos & de Doctrina ipsius cogitare, & de certaminibus. Fuit enim & ipsius ætas turbulenta, & plena atrocium dißidiorum. Et in ipsum incurrit magna phalanx Arianorum instructa Valentis Imperatoris tyrannide. Nunc similia accidunt. Oppugnamur & Nos à multis inimicis, qui armati sunt & Principum potentia & factionibus indoctorum. Sed precemur filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiæ, ut nos protegat, sicut & Basilium texit.

Plurimum autem prodest, mente intueri doctrinam ipsius, & inde testimonia petere. Constanter defendit Nicenum Symbolum. De iusticia Fidei etiam loquitur expressè nostro more, utens

particula

particula SOLA FIDE. Verba eius hæc sunt: Λέγει δὲ ὁ ἀπόστολος, ὁ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω, λέγων ὅτι χριστὸς ἡμῖν ἐγενήθη σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμός, καὶ ἀπολύτρωσις, ἵνα καθὼς γέγραπται, ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχάσθω. ἄυτη γαὺρ ἡ τελεία καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνη τις ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα δικαιοσύνης ἀληθοῦς ἑαυτόν, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιώμενον.

Rectè etiam contra MANICHÆOS de auxilio Dei, & de assensione uoluntatis loquitur: Οὐδὲ γαὺρ ἡ περὶ τὰ καλὰ τῶν ἀνθρώπων ἐγχείρησις δίχα τῆς ἄνωθεν βοηθείας τελειωθήσεται, οὐδὲ ἡ ἄνωθε χάρις ὡσὶ τὸν μὴ σπουδάζοντα παραγένοιτο ἄν.

De his & alijs Basilij testimonijs hodie in publico Examine colloquemur, Ad quod ut conueniant Collegæ nostri, & alij uiri docti, hodie hora prima, petimus. Quod eò libentius facient, si cogitabunt, hunc ipsum Basilium hortatorem esse, ut doctrina Philosophica non negligatur. Extat enim eius scriptum de legendis & eligendis sententijs Poëtarum & Philosophorum. Quia ueræ sententiæ sunt uoces Legis. Discerni tamen uult Legem & Euangelium.

Quid dulcius est, quàm antiquitatem Ecclesiæ considerare, confirmari ueris testimonijs, & iuuari exemplis in regendis moribus, & multis ærumnis communibus tolerandis, quæ quomodo ferendæ sint exempla præstantium uirorum doceant. Ad talia colloquia de doctrinis & de uirtute uos inuitamus.

Precor autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut studia nostra gubernet, & faciat nos organa salutaria, καὶ σκευὴ ἐλέους, & nos clementer protegat. Bene ualete. Die 5. Februarij. 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, *Matthæus Blochinger.*

VTile est nosse ueteres gentium adpellationes, & ut de maiorum uirtute cogitemus, & quia uetustas adpellationum testatur, monumenta Mosaica antiquissima esse. CIMBRICA CHERSONESVS *nomen habet à Cimmerijs. Cimmerios esse ortos à Gomer filio Iaphet, nomen ostendit. Paulatim uerò ex Asia progressi sunt Cimmerij & Sueui, à quibus est Suedorum regnum. Et Plutarchus scribit in uexillis Cimbrorum fuisse picturam* CAPITIS Tauri,

TAVRI, ut nunc quoq; retinent id insigne Inclyti Duces Megalburgenses. Ostendunt autem res gestæ, magnam fuisse uirtutem ueterum Cimbrorum. Postea in Cimbrica Chersoneso Ecclesias constituit Imperator Henricus Auceps, qui Episcopum primus in Sleswick collocauit, & semina doctrinæ de filio Dei illis gentibus tradidit. Ita tunc nostri Principes bella gerebant, ut noticiam Dei latius propagarent.

In ea regione in oppido Izeho natus fuit Iohannes Garp Holsatius, qui diu in Inclyta urbe Hamburga doctißimos uiros audiuit, Matthæum Delium & Martinum Megalburgensem, à quibus linguam Latinam & initia Græcæ linguæ, & summam doctrinæ Ecclesiæ Dei studioſè didicit. Familiaris fuit etiam Reuerendo uiro gubernanti Ecclesiam Dei in ea urbe, Doctori Paulo ab Eitzen, & in hac Academia in studijs doctrinarum præclarè processit. Orandus est autem Deus, ut multa bona ingenia seruet Ecclesiæ, atq; utinam hic adolescens diutius uixisset. Sed obediendum est uoluntati Dei. Quotidie cùm ægrotaret se Deo ardentibus uotis commendauit fiducia Mediatoris. Simul etiam pro parentibus & patria precationes dixit, & in uera inuocatione Dei ex hac uita in cœlestem Academiam discessit, & in numero est

eorum, de quibus ſcriptum eſt: Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Hortamur igitur ſcholaſticos, ut ad pias funeris Ceremonias hodie hora quarta ante ædes familiæ Reuerendi uiri Doctoris Forſteri conueniant, & ibi ſinguli cogitantes de publicis periculis, & de ſua infirmitate, filium Dei cuſtodem Eccleſiæ orent, ut ſeruet cœtus ueræ doctrinæ ſtudioſos, & ipſum inuocantes, & ſeſe & Eccleſiam ei commendent. Datæ 5. Februarij. Anno 1558.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA Vuitebergenſi, Iacobus Lechner, ex urbe Auſtriæ Lyncea.

CVm doctrinæ collatio in urbe Vangionum anno proximo inſtituta eſſet, fuit ibi Baudricus Monachus, indoctus & audax, qui ut oppugnaret propoſitionem Sola fide iuſtificamur, dixit iuſtificationem eſſe renouationem omnium animæ potentiarum, & in concione thraſonice Platonis diſtributionem repetiuit, τὸ ἡγεμονικὸν inquit reſtitui fide, τὸ θυμικὸν ſpe, τὸ ἐπιθυμητικὸν dilectione. Non igitur inquit, Sola fide fit iuſtificatio.

Quàm concinna sit hæc accommodatio uirtutum ad potentias, inde iudicari potest, quòd cùm Plato ἐπιθυμητικὸν collocet in lecore, iste Monachus cò dilectionem Dei transfert. Deinde Monachus ille uelut Asinus ad lyram, nec uocabula Pauli intelligit: Fide iustificamur, qui non hoc uult, unam illam uirtutem infundi, sicut isti insulsi loquuntur. Sed in uero agone monstrat filium Dei, & perterrefactos docet in eo solo acquiescere uelut ipsius insertos uulneribus.

Ideo autem hanc historiam recitamus, ut iuniores magis ament doctrinarum studia, cùm uident quales tenebræ sint indoctorum. Quid insulsius est, quàm dilectionem Dei in Epate collocare, cùm uox diuina expressè dicat, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Domicilium enim adfectuum, qui propriè sic nominantur, COR esse non dubium est. Nec ἡγεμονικὸν tantùm noticiam significat, ut, in Scipione abstinente ab alterius sponsa τὸ ἡγεμονικὸν non est tantùm noticia, sed uelle etiam ac eligere, quod recta noticia docebat.

Magnum uerò chaos est errorum apud aduersarios, qui inde oriuntur, quòd aut sermonem non intelligunt, aut non rectè didicerunt initia earum artium, quæ uiam monstrant in docendo: nec genera doctrinarum discernunt. Quare fide-

liter hortamur iuniores, ut rectè discant, & Dei beneficio doctrinarum fontes limpidos & non corruptos ostendimus.

Etsi autem quidam seu Cynici seu βλακικοὶ studia Philosophiæ uituperant, & calumnijs accendunt aduersus nos odia Principum & populi, tamen iudicia honestorum & doctorum uirorum scimus æquiora esse. Et inimicis æquissimam conditionem proponimus. Cùm extet integrè comprehensa doctrinæ summa, quam profitemur, si hæc non placet, euoluant sese, & corpus doctrinæ integrum edant. Postea iudicet Ecclesia. Vetus illud est Nazianzeni à Demosthene sumptum: ἐπὶ τιμᾶρ παντὸς ὄδιμ, ἐπανορθοῦμ δὲ οὐ παντὸς. Acerbitatem odij significant inimici nostri, & uirus suum effundunt, cùm uituperant à nostris edita, non edunt meliora.

Cùm igitur ueræ doctrinæ semina fideliter proponamus, iustum est nos etiam testimonia discentibus tribuere. Quare cùm hi, quorum nomina hîc adscripta sunt, Deum rectè inuocent, & pietatem animi honestis moribus declarent, & rectè didicerint initia Philosophiæ, & summam doctrinæ quæ est Ecclesiæ propria, publicum eis testimonium tribuemus, & gradu Magisterij Philosophici eos ornabimus, Deo iuuante, die decimo Februarij. Ad illam testimonij renunciationem, ut conueniant

omnes

omnes Doctores, Magistri, & Auditores petimus, & ßmul ostendant hoc officio suum iudicium de nostris studijs, & uota sua ad Deum nobiscum coniungant, quem oramus toto pectore, ut Ecclesiam & nos in ea gubernet. Datæ die sexto Februarij. Anno 1558.

SIGNIFICATIO PVBLICÆ PRÆLECTIONIS SECVNdi libri Iliados Homeri.

QVinquies emensus fuerit cùm Phœbus Olympũ,
Quartaq; labentem traxerit hora diem,
Mœonij repetemus opus memorabile uatis,
Inclyta Semideûm quo canit acta Ducum.
Tradidit utiliter primus liber optima quæq;,
Sed quæ scire iuuet, plura secundus habet,
Iurgia magnorum propter stolidißima Regum,
Publica res Graium perdita penè fuit.
Quæ tandem erigitur studio sapientis Vlyßis,
Eloquio populos qui regit atq; Duces.
In dubijs certam sapiens facundia rebus,
Iusticia regitur si duce, præstat opem.
Cuius consilijs lingua petulante resistens
Thersites, tergo uerbera iusta tulit.
Nec Diomedæi quòd consors sanguinis esset,
Hoc minus hæc illi pœna luenda fuit.

Iſte fuit priſci quondam rigor utilis æui,
Ne facinus licitum cuilibet omne foret.
Neue impune foret uirtutem rodere dictis,
Vipereoq; bonos lædere dente uiros.
Ergo pater Pelopis lingua petulanter abuſus,
Semper eget fluidis, ſemper abundat aquis.
Tuq; leuis magni quondam obtrectator Homeri
Zoile, de ſaxo præcipitatus obis.
Dicere ſi fas eſt, nimis ad mala fertilis ætas,
Therſitas rabidos, hæc quoq; noſtra tulit.
Οἱ μὲν ἀμετροεπείης norunt, κακὰ πολλὰ κολωᾶρ,
καὶ δ' ἥμῳ κραυγάς ἠδὲ γέλωτα φέρειρ.
Quale genus Monachi callentes furta, ſtrophaſq;
Autolyci, Muſis turba inimica bonis.
Turba dicax, aulas captans, uulgiq; theatra,
Rodit ubi innocuos abſq; pudore uiros.
Nec rabida & mordax adeò furit ulla canum uis,
Vt furit immitis turba ματαιολόγωρ.
Quam contra ut poſſis ceu ſtare animoſus Vlyſſes,
Illius & iuſto uerbere terga premas,
Arripe doctrinæ pubes ſtudioſa flagellum,
Sint artes ſcutum, cum pietate, tuum.
Sint caſti mores, ſit ſancti cura pudoris,
Et fuge deliri probra pudenda gregis.
Eloquio linguam, uirtutibus inſtrue pectus,
Therſites cedet ſic tibi victus imers.

Cætera

Cætera nos alibi forsan scripsisse iuuabit,
Quæ satis est isto sic tetigisse loco.
Non ægrè ut cuiquam faceremus: inutilis iste
Est labor, ingenio displicet atq; meo.
Versiculos tantùm studijs iuuenilibus istos
Thersites monuit scribere Mæonius.
Nam multa humanæ documenta salubria uitæ,
Peruigili studio lectus Homerus habet.
Quem tibi commendo potius studiosa Iuuentus,
Quàm, passim liuor quæ mala scripta, serit.
Namq; cui placeat scelerata licentia tandem,
Virtuti & studijs perniciosa bonis?
Cuius erit uindex illo iustissimus orbe,
Quando bonis Christus præmia iusta dabit.
Hic regat ut uitam, linguas & pectora nostra,
Vtq; pias seruet hîc & ubiq; scholas,
Sublatis manibus λόγον æternumq; parentem
Mente pia mecum grex studiose roga.

10. Calend. Februarij.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Matthæus Blochinger.

COniunctio nobis cum Ecclesijs Inclytæ Pomeraniæ, & pia & grata est, ac notum est multos

multos præstantes eruditione, sapientia & uirtute in ea gente partim Reipublicæ consilia regere, partim Ecclesijs præesse, quos ueneramur & ualdè diligimus. Tota regio etiam nobis carior esse debet propter Reuerendum uirum Pastorem Ecclesiæ nostræ Iohannem Bugenhagium Doctorem, per quem Ecclesiæ multarum regionum piè instauratæ sunt. Quare decet nos ostendere beneuolentiam nostram erga eius gentis homines.

Fuit autem in hac Academia honestus uir Daniel Gnosius, natus in oppido Pomeraniæ, quod à ueteribus Henetis SLAVIA dictum est, qui aliquot annos docuit Grammaticam et καθήχησιν doctrinæ Christi in oppido COSLIN. Vixit honestè, & iam in morbo sæpè repetita confessione & inuocatione filij Dei, pietatem suam perspicuè ostendit. Interdum & uiduæ matris mentionem fecit, cuius luctu ualde se affici significauit. Hic cùm ex hac uita in æternam Academiam, ubi fontes sapientiæ Dei, non riuulos, hauriet, heri discesserit, hortamur scholasticos, ut ad funeris ceremonias ante Nosocomium Academiæ hodie hora quarta conueniant, & singuli suam uitam Deo pia precatione commendent, recordantes dictum de Deo: Ipse est uita tua, & longitudo dierum tuorum. Vult igitur à se peti & uitam, & fœlicem uitæ cursum. Hæc petentes simul oremus, ut Ecclesijs bona ingenia seruentur, &

ut Deus

ut Deus nos faciat uasa misericordiæ, & organa salutaria. Die 13. Februarij, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, MATthæus Blochinger S. D.

APud Zachariam in Capite 12. scriptum est, de luctu Ecclesiæ intuentis filium Dei cruentum, & morientem in cruce: Et respicient ad me, quem transfixerunt. Et lugebunt eum, uelut luctu propter unigenitum, & dolebunt, ut in morte primogeniti. In illo die magnus erit luctus in Ierusalem, sicut luctus in Adremmon, & in campo Megiddon, Id est: Qualis erat luctus, cùm Rex salutaris Ecclesiæ IOSIAS uulnere moriuus est, quod accepit in prælio inter hæc oppida Adremmon & Megiddon, quod situm est in littore tribus Manasse infra Samariam. Vult Ecclesiam Deus considerare magnitudinem iustæ iræ aduersus nostra peccata: quæ tanta est, ut mortem filij uoluerit esse λύτρον, ut iusticiæ suæ satisfieret. Cogitemus autem quantus in ipso Domino dolor fuerit, cùm clamat, DEVS DEVS meus, quare dereliquisti me. Quanta mœsticia in matre, & sorore matris, & alijs sanctis. Et gemuerunt cum conditore sol & terra, & ipsi scopuli, qui terræ motu rupti sunt. Hæc miranda spectacula intuentes,

nos

nos quoq; dolore adficiamur, præsertim hoc anni tempore, quo olim illa facta sunt, & quo recordatio quotannis in Ecclesia repetitur. Nec simus rigidiores scopulis.

Horrendum est autem, quòd impij homines hoc tempore BACCHI Orgia celebrarunt, obscenis ludis, & nocturnis discursationibus. Cùm igitur uelimus uos de filij Dei morte, & de causis, iam cogitare unà cum uera Ecclesia in cœlo & in terra, seuerè prohibemus discursationes laruatorum, nocturnas uociferationes, & omnes inhonestos gestus. Non sunt templa Dei, homines securi, qui cùm nec proprijs nec publicis periculis mouentur, laxant frenos stultis cupiditatibus. Ideo uobis præcipimus, ut memores sitis huius dicti: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu, & trementem sermones meos. Anno 1558. Mensis Februarij die 12.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, MATthæus Blochinger S. D.

GRata memoria retinenda est uiri Reuerendi D. MARTINI LVTHERI, & ut doctrinam, quam Filius Dei per ipsum nobis clementer restituit, discamus, & sequamur, ac Deo gratias agamus pro tanto munere. Deinde ut pro

ipsius

ipsius etiam laboribus, quia fidele organum Dei fuit, mentes gratæ sint & ipsi & eius posteris.

Annus autem proxima Septimana, die decima octaua Februarij, duodecimus exactus est, postquam ex hac Academia in cœlestem euocatus est. Post id tempus & Principum bella, & docentium tam multa orta sunt, quæ si ipse uixisset, Deus per eum repreßisset, ut de eo uersus dici poßit:

Hoc uiuo stetit, hoc cecidit Germania lapso.

Sed tamen Deus reliquias Ecclesiæ instauratæ ipsius uoce seruabit. Est autem post annum duodecimum, die quinto mortuus eius nepos, natus ex filio uiro clarißimo PAVLO LVTHERO, Doctore artis Medicæ, PAVLVS LVTHERVS. Id enim nomen in ea familia iustißimè seruatur, quia uerißimum est Pauli Apostoli doctrinam, quæ Legem & Euangelium distinguit, & tradit consolationem necessariam, in qua coram Deo fide iusti, & reconciliati pronunciamur, & ex doloribus inferorum retrahimur, à nullo scriptore post Apostolos magis illustratam esse, quàm ab ipso. Hoc magnum beneficium agnoscamus, & eo piè utamur, & grati simus Deo, & huic fideli doctori. Nec moueamur iudicijs aduersariorum, qui fontibus Pauli Apostoli caenum inijcere conantur, & piam enarrationem

Reuerendi D. Lutheri aſſernantur, & pœnas dant & dabunt ſui furoris, ſicut LATOMVS Louanienſis moriturus horribili mugitu clamauit, ſe contra conſcientiam ueritati aduerſatum eſſe. Et exempla talia plura meminimus.

Vetus illud eſt dictum Pindaricum: παλαῖα γὰς ἔυιδει χάριες, ἀμνάμονες δὲ βροτοὶ. Quanquam igitur multi ſunt hoſtes doctrinæ, quam Deus uoce Reuerendi D. Lutheri nobis reſtituit, tamen nos ſciamus uerè Euangelij natiuam ſententiam eſſe, & eam diſcamus & ſequamur, & gratitudinem Deo, & organo eius præſtemus.

Hortamur autem auditores, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta conueniant. Ibi ſinguli & ſeſe & Eccleſiam Deo pijs uotis commendent. Pater hac ſe conſolatione ſuſtentet, quòd ſcriptum eſt: **Sinite paruulos uenire ad me, quia talium eſt regnum cœlorum.** Die 23. Februarij. Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Matthæus Blochinger.

CVm multiplices calamitates horum temporum, & impendentia mala multò grauiora, in conſpectu ſint omnium hominum, ut ſunt diſſidij

dißidia docentium in Eccleſijs, periculoſißimæ mutationes & ruinæ imperiorum, bella, morbi ἐπιδήμιοι, uaſtationes ſcholarum, & id genus æruminæ innumerabiles, quæ teſtantur exarſiſſe iram Dei aduerſus ingentia noſtra peccata: dolendum eſt tantum gelu eſſe in hominum mentibus, ut in publica Eccleſiæ, & omnium piorum mœſticia, plurimi quaſi nullo ſenſu communium miſeriarum adficiantur, pecudum more tantùm in uoluptatibus uiuant, ſine Dei, & hominum, ſine ullius uirtutis & honeſtæ diſciplinæ reſpectu, ruentes quo cæca libido & peruerſi animorum rapiunt impetus. Vt autem in morbis periculoſißimi dicuntur, qui ſenſum præſentis mali corporibus adimunt: Ita dubitari non poteſt, hanc ἀναλγησίαν omnibus qui non agunt pœnitentiam, & ad Deum maturè conuertuntur, periculoſißimi interitus initium & cauſam fore, ut in triſtißima comminatione Prophetarum dicitur: Excœca Cor populi, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne uideat oculis ſuis, & auribus audiat, & corde intelligat, & ſanem eum.

Vocat autem Deus omnes ad pœnitentiam, non modò per miniſterium Euangelij, ſed etiam exemplis pœnarum, inter quas uelut πρόδρομος impendentium calamitatum, ſunt frequentes interitus piorum, ut dicitur: Boni præripiuntur, ne

uideant uentura mala. Hæc optamus Scholasticos in funerum ceremonijs cogitare, & animos excitare ad considerationem magnitudinis iræ Dei, prementis totum genus humanum, & ad recordationem beneficiorum Filij Dei, resuscitaturi Ecclesiam, & omnes pios, qui in uera agnitione & inuocatione filij ex hac mortali uita decedunt ad æternæ uitæ & lætitiæ cum Deo societatem. In quorum numero fuit honestus & pius iuuenis MARTINVS NICOLAI HVSENSIS, qui morbo diuturno languefactus, hac nocte edita perspicua significatione fiduciæ erga filium Dei, mortis & inferorum uictorem, & uitæ datorem, Dominum nostrum Iesum Christum, ad cœlestem Academiam euocatus est, cui funus fiet hora quarta, ad quod ut conueniant studiosi, in plateæ quæ à cupro nomen habet, prope Clausurarium, omnes hortamur. Die 27. Februarij, Anno 1558.

IN RHETORICOS LIBELLOS PHILIPPI.

RHetoricen multi scripserũt ante Philippum,
At scripsit nemo simpliciore uia.
Illius hoc duplici contenta uolumine scripta,
Prælegere incipiam cras ego dante Deo.

Audiet

Audiet hæc aderitq; frequens quicumq; studebit
Vtiliter studijs consuluisse suis.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.
Calendis Martij.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

QVantus erat dolor in Cananæa matre puellæ,
Cuius Mens furijs exagitata fuit:
In tanto nunc est Ecclesia mœsta dolore,
Doctorum furias cùm uidet, atq; Ducum.
Sed tu Gnate Dei gemitus audito precantum,
Nulla uenit nobis, TE nisi dante salus.
Tu procul à nobis sæuos depelle furores,
Et sanes uerbo pectora nostra tuo.
Quamuis ira tui nos urget iusta parentis,
Et sumus ut turpes, nos rea turba canes,
Attamen ut timidè sub mensa captat herili
Esuriens modicas parua catella dapes:
Sic cùm dira fames nostros absumpserit artus,
De mensa petimus pabula CHRISTE tua:
Cùm nostram indueris mirando fœdere massam
Gnate Dei, semper nos tua membra geras.

Commonefacti exemplo, quod hodie Ecclesia proponit, excitemus nos ad precationem, & filium Dei oremus, ut nunc quoq; miseram Eccles-

am ſanet, ſicut tunc matris Cananæ filiam ſanauit. Id nunc quoq; in funere cogitetis, ad quod ut conueniatis hodie hora quarta in uico non procul ab ædibus uiri clariſſimi, Doctoris Viti Vuinshemij, uos hortamur. Deceſſit enim pius ſenex Eberardus Hagen, ſæpè repetens dictum filij Dei in hoc morbo & in ipſo agone: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Hoc dicto & ſimilibus ſeſe filio Dei ſæpè commendauit. Datæ 6. Martij, Anno 1558.

CASPAR CRVCIGER LECTORI S. D.

SI pulcherrima pars putatur anni,
Qua Ver, dotibus aureis amœnum
Blandis ſolibus, & ſereniore
Cœlo, prouocat aurulas tepentes
Mulcentis Zephyri uago ſuſurro
Pictis floribus hortulos nitentes:
Cur non dotibus aureis iuuentus
Vernans, ingenij uenuſtioris
Tanquàm floris amabilis uigore,
Cur non Vere uenuſtior iuuentus,
Ver, quod purpureo nitens honore
Vector per freta longa fratris Helles
Formoſis aries reducit aſtris,
Ver, quod ſplendidulis humum colorat

Apricam

Apricam Violis, Rosis, acantho
Lætis Ver breue flosculis amœnum,
Versandis tribuas manu diurna
Nocturnáq; manu libris uetustis?
Impendas operosiore cura
Voluendis ueterum bonis libellis?
Insumas uigilanter hauriendis
Priscæ fontibus eruditionis?

Et cur non potius monumenta diserta, iuuentus,
Antiquitatis cultioris undiq;
Moribus & studijs monumenta salubria, plena
Romani salis, Attici leporis,
Quàm scabiosa legas rabiosaq; scripta, profanum
Quæ sola uulgus appetens magnifacit,
Scripta magis putrida nuce putida, qualia spargũt,
Seclo desipiente & infaceto
Secli incommoda pessimi Prophetæ,
(Scribere non potui dextra titubante Poetæ)
Haud doctis dictis certantes sed maledictis,
Vt uersibus Catulli & Ennij loquar.

Sed quò digredior? tecum studiosa iuuentus
Res modo cepta mihi, res peragenda fuit.
Ingenio uernans docili melioribus annis,
Vere nouo uiolas, Vere fouente rosas,
Cur non docta legas, potiusq; uolumina uoluas,
Ocia quàm luxu languida inerte teras?

Aut cur non ueterum potius tibi ſcripta probentur,
Quàm rude quæ ſtolido pectore uulgus amat?
Nec tamen, ut uidear partes egiſſe monentis,
Hæc loquor, aut, ulli ſint ut acerba, loquor:
Quando recordor enim, quàm ſit mihi curta ſu-
Inſcitiæ non prorſus inſcius meæ, (pellex,
Corde cohorreſcens animum demitto dolenti,
Nec impudenter aliquid arrogo mihi:
Scurrilemq; odi rabiem cane peius & angue
Linguæ dicacis ac furenter aſperæ.
Reſtat ut omiſſis tibi, dulcis Ephebe, parergis
Paucula, quæ cupio ſignificare, notem.
Non ſum neſcius has meas opellas
Viles, frigidulas, rudes uideri:
Nam ſunt exigui parumq; culti
Fœtus ingenij minutiores
Expulſi uelut indecente abortu.
Sed poſtquam tandem ſubij hoc graue (ſæpe recu-
Inualidis humeris non ſapienter onus, (ſans)
Clitellaſq; bouem decere credens,
Imponi mihi paſſus, ingemiſco:
Malo lector inutilis uideri,
Malo pergere (quo labore uictus
Victus pondere concidiſſe iniquo
Officioq; impar oneri ceßiſſe grauanti,
Et puter inflexo ſuccubuiſſe genu)

Quàm

Quàm ſemel impoſitos, ita re cogente, labores
Nimis uideri excutere uelle ferociter.
Egregijs igitur de quinq; decemq; libellis
(Qua potui cura, ſedulitate, fide)
Bis duo Peligni ſeptemq; uolumina uatis
(Queis canit in formas corpora uerſa nouas)
Interpretatus haſtenus ſum publice:
Ordine iam totidem, demptis tamen ordine ſeptem,
Materia reſtant utiliore libri,
In quibus hiſtoriæ ſeries ab origine belli,
Qua Priami cecidit Regia celſa ſenis,
Tempus ad Auguſti deducitur uſq; Monarchæ
Mirabili iucunditate carminis
Heroici, diuinioris, aurei.
Hos quoq; (ſi faueant Muſæ mihi) munere functus
Interpretantis ordiar perendie.
Adiungam uerò Ciceronis amabile ſcriptum,
In quo Lælius elegantioris
Sermonis genere, optimaq; forma
Dulcis amicitiæ iura fidemq; docet.
Nec quod in hoc æuo res intermortua candor
Calumnijs oppreſſus & Sophiſtica
Nuſquam conſpicitur, prorſuſq; uidetur inane
Nomen amicitiæ, nomen inane fides,
Hæc præcepta minus iuuant, minuſue
Vitæ cognita conferunt ad uſus:
Nam quæq; res præclarior quo rarior.

ANNO 1558.

CARMEN DE ECLIPSI LVNÆ, QVÆ ERIT ANNO Domini 1558. labente: 2. die Aprilis: 10. Hora, 0. Minuto. Vuitegæ, scriptum

à

PETRO CODICILLO Tullechouino.

Viuimus haud casu, uitam Deus ipse gubernat,
Nascimur haud frustra, uult pia facta Deum.
Certa Dei totus monstrat uestigia mundus,
Edocet & moli numen adesse suæ.
Esse Deum euincit mundi pulcherrimus ordo,
Motus & astrorum, perpetuæq; uices.
Insita diuinæ nobis est flammula mentis,
Quæ uitium à rebus separat una bonis.
Corda timent meritas diuini numinis iras,
Pro facto referunt spemq; metumq; suo.
Horribiles culpam pœnæ comitantur atrocem,
Et, quæ sera uenit, maxima pœna uenit.
Hæc ita quòd fiant, quis non uidet? omnia mundi
Regna metu pœnæ ceu stupefacta tremunt.
Sed Deus est mitis, procedit lentus ad iram,
Et, quoties uindex cogitur esse, dolet.
Ac ideò, ut fragiles nos ad meliora reducat,
Nam curam nostri more parentis agit:

Signa

Signa sua ostendit nostram tractura ruinam,
Ni mutet mores impia uita suos.
Vidimus exorto prætensa parelia soli,
Et uaria in multis edita monstra locis.
Fulmine quassari sacratas uidimus ædes,
Sæpeq; terrificis spectra locuta modis.
Vidimus ante duos annos in Vere Cometam,
Astraq; iam toties lumine cassa suo.
Quæ licet excipiunt Sardoo cuncta cachinno
Ii, quorum in uicium pectora prona ruunt:
Attamen hos tandem nil quicquam tale timentes
Obruet irati pœna seuera Dei.
Quando Deus differt pœnas, non protinus aufert,
Compensat longas at grauitate moras.
Nos igitur moniti cœlum spectemus, & astra,
Signaq;, quæ Dominus nos monitura facit.
Sit pietas nobis, ardensq; oratio curæ,
Nostraq; sit uoci consona uita Dei.
Rursus enim præsens Eclipses afferet annus,
Florida cùm uerno rore madebit humus.
Cumq; dies, alterq; dies Aprilis, & horæ,
Tot fuerint, quot habent carmina nostra pe-
Ante ferè medium noctis contraria fratri, (des:
Decolor atratis Luna uehetur equis.
Ibit in Astrææ signum, pietatis in ædes,
Chironq; Eois egredietur aquis.

Hesperidas Martem cernens Venus ibit ad undas,
Mars erit in quarta Leucadiusq; senex.
Talis erit cœli facies, cùm Luna tenebris
Mersa gemet nostri damna futura mali.
Bella gerent reges, fiet pestisq; famesq;,
Et turbæ propter relligionis opus.
Iusticiæ regimen, leges sine honore iacebunt,
Euenient doctis magna pericla uiris.
Sed tibi, Gnate Dei, potis est inuertere fatum,
Quo duce nulla pijs damna nocere queunt.
Protege tu populum uerè tua dicta sonantem,
Et sana cœtus uulnera sæua tui.

P. 10. H. 0. M.
M. 11. H. 35. M.
F. 13. H. 14. M.

DE ECLIPSI LVNAE ANNI M. D. LVIII. QVÆ FIET die secundo Aprilis, Eritq; medium eius hora undecima noctis, scrupulo 38.

Νῦμ ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ
γράμματα, καὶ πλέομ ἆι ἆι

Venit enim luctus publica causa noui.

Extincti

Extincti Musæ deflentes fata Micylli,
Ereptum studijs hoc decus esse dolent.
Ipsarum lacrymis undoso gurgite creuit
Neccharus, & Rheni turbidus intrat aquas.
Profuit ingenium studijs uirtusq; Micylli,
Consilijs patriam quos docuitq; iuuant.
Stellarum uarios motus uiresq; sciebat,
Queq; iuuant hominũ corpora, quæq; nocent.
Maius at hoc decus est, æterna in secula durans,
Quòd uera coluit te pietate Deus:
Et λόγον æterni uiuum genitoris amauit,
Iustifica capiens munera summa, fide.
Huius scripta uiri discat celebretq; iuuentus,
Gratos pro meritis nos iubet esse Deus.
Officij curæ crescant, pietasq; precesq;
Ostendat cùm tam multa dolenda Deus.
Aurea nunc Taurus pandens sua cornua cernit
Falcigeri & Martis corpora iuncta simul.
Bella famemq; hominum generi hæc coniunctio portat,
Iungitur infaustè martia stella seni.
Adiuuat hæc Lunæ primo sub limine Veris
Defectus, lumen sole negante suum.
Fœcundam ut terris nequeat dimittere lucem,
Et res humoris ui uegetare sui.
Irrita non sunt hæc, uanasq; mouentia curas,
Sed sunt instantis tristia signa mali.

ANNO 1558.

Non sine clade abeunt, semperq; incommoda secum
Flebilibus fatis exoneranda uehunt.
Nos igitur miseri, quos undiq; pœna coarctat,
Mœsti contrito corde precemur opem.
Fata Deus dextra regit, hæcq; precantibus ultrò
Mitigat, & finem spe meliore leuat.
Nos si pœna grauat, pœnas attraximus ipsi,
Heu nostra culpa nos rea turba sumus.
Sed tamen ad cœlum mentes ac ora leuantes,
Flectamus Christum per pia uota Deum.
Leniat ut nobis pœnas iramq; parentis,
Ac seruet cœtus relliquiasq; suas.
Vulneribus multis Ecclesia saucia luget,
Auxilium, serpant ne mala, ferre uelit.
Illorum furias reprimat, frangatq; furorem,
Qui sunt autores dissidijsq; faces,
Ne leges feritas uitæq; ferocia uincat,
Ne turbet pacem seditionis amor.
Clemens esse uelis Deus, atq; auertere damna
Omnia, quæ studijs sunt nocitura pijs.
Hæc plus ante Deum uota ingeminata ualebunt,
Atq; audita pijs gaudia digna ferent,
Si multi incipient uitam emendare priorem,
Quaq; decet mores cum grauitate regent.

Iohannes Ricardus
Mansfeldensis.

DE

DE ECLIPSI LVNAE QVÆ CONSPECTA EST HAC nocte: 4. Non. Aprilis ad amicum Iohannem Schosserum. P. Laureatum.

Vidimus hac Phœbi nigrescere nocte sororem,
Opposita frater dum regione stetit.
Vidimus, & si quid spectator cordis habebat,
Aethereis poterat diriguisse minis.
Nox erat, & tenebris cedebat lumen opacis,
Et decus à nitido fugerat omne globo.
Vtq; per humanos cùm febris obambulat artus,
Viribus exhaustis nil nisi languor adest:
Sic Dea pugnabat, sic omne amittere robur,
Dum noua colligeret cornua, uisa fuit.
Quis putet hæc temerè fieri, qui se modò sanum
Nomine uel dignum censeat esse suo?
Sunt quibus ore iocos est cura mouere loquaci,
In tantis rebus qui leue pectus habent.
Qui neq; signa putant, neq; nuncia uera futuri,
Lumina seu Phebus seu sua Luna tegat.
Et quia sæpè eadem cœli in regione uidentur,
Portendi terris ulla pericla negant.
Sed neq; quæ moueant adeò mala tristia causæ,
Nec regat ista Deus qua ratione, sciunt.
Quæ causæ moueant, est demonstratio certa,
Ars monstrat certos ingeniosa modos.

Qua ratione regat Deus æthere signa sub alto,
Testatur sacri pagina uera libri.
Non iubet ut pereant formidine corda piorum,
Sed iubet attolli celsa sub astra caput.
Haud iræ documenta pijs inimica reuelat,
Sed spe solatur corda pusilla Deus.
Sunt tamen idcirco cœli quoq́; signa timenda,
Quòd mundi nobis inde senecta patet.
Hæc langueſcentis naturæ signa putemus,
Quòd multas patitur Lunaq́; Solq́; uices.
Quas illi tenebras terris atq́; aëre fundunt,
Exitium cunctis rebus in orbe ferunt.
Hinc grauis immensi tabescit machina mundi,
Et rugas ueluti corpus anile trahit.
Quis iam signa neget, tot tempore uisa bilustri,
Quot uix antè aliquot secla tulisse reor?
Deniq́; & astra prius cœlumq́; & terra peribunt,
Quàm pereat uerbi littera sacra Dei.
Is docet extremæ fore plurima signa diei,
Vnde queant mentes nosse futura piæ.
Huic quia nil hostile monet, nos credere fas est,
Huic certam debent pectora nostra fidem.
Siue famem uerò seu prælia Luna minatur,
Motibus & subitis regna Duceſq; cadent:
Vnica sint nobis solatia, quòd pia seruat
Agmina, quæ gaudent fundere uota, Deum.

Zach. Prætorius. L.

Georgius

GEORGIVS MAIOR LECTORI SALVTEM.

NVlla uox sub cœlo audita est unquam tristior hac uoce filij Dei: **Deus meus, Deus meus, Quare me dereliquisti?** Deseri enim à Deo, est deseri à fonte lucis, consolationis, iusticiæ, uitæ, & autore omnis boni, & relinqui in tenebris, in afflictionibus, in sensu iræ Dei, in doloribus inferorum, in peccatis & morte, & esse sine ulla consolatione, quo quid tristius dici potest? Utáq; ad hanc tristißimam querelam filij Dei pendentis in cruce, tota creatura rerum expauescit, obscuratur Sol, Terra concutitur ingenti motu, & duri scopuli scinduntur.

Duriores igitur omnibus scopulis sunt, qui hac tristißima querela filij Dei non afficiuntur, nec consideratione suorum peccatorum, propter quæ hæc filius Dei patitur, flectuntur ad pœnitentiam.

Quare ut nos ipsos adpœnitentiã, et ad considerationẽ immensæ bonitatis Dei erga nos, et ad gratiarum actionem inuicem excitemus, cùm unigenitũ filium qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum & maledictũ fieri uoluit, ut nos efficeremur iusticia Dei per ipsum, pro ueteri more breuem & simplicem

plicem Psalmi 22. Deus meus, Deus meus, Quare me dereliquisti? enarrationem, hodie hora secunda, Deo iuuante exordiemur.

Die quarto Aprilis,
Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Matthæus Blochinger.

EXistimamus & ante eductionem Israelitarum ex Aegypto primos parentes habuisse ritus aliquos in Vere, qui significarunt, uenturum Redemptorem eo anni tempore futurum esse uictimam. Eo anni tempore & Abel interfectum esse, & Isaac oblatum esse, credibile est. Postea manifestum est in exitu ex Aegypto sancitum esse, ut post Vernum æquinoctium agnus mactaretur & assaretur, & certo ritu manducaretur. Nec dubium est mactatione agni significatam esse mortem filij Dei, sicut & Baptista eum nominat agnum: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Significatum est autem manducatione, nobis uitam restitui uenturæ uictimæ manducatione. Aliæ uictimæ fuerunt cadauera damnata, quæ ne quidem attingere licuit, & aut cremabantur, aut insepulta in flumina aut mare abijciebantur. At hæc uictima filius Dei post mortem reuiuiscit & manducan-

manducandus est, exhibet sese credentibus, & in eis uerè est efficax, sicut ipse inquit: Ego sum uitis, uos palmites, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Norant pij hunc Dominum, qui futurus erat uictima, missum esse ad Ecclesiam, & iam adesse huic suo agmini: norant se per eum tunc quoq; seruari, & quidem propterea, quia futurus erat uictima. Norant hunc Dominum transeuntem per Aegyptum, & trucidantem primogenita Aegyptiorum, & parcentem familijs, ubi limina conspersa erant sanguine agni, omnibus seculis transire per totum genus humanum, & horribiliter punire impios, & inter ruinas Imperiorum seruare tamen conspersos sanguine ipsius.

Has cogitationes & hanc fidem adferebant pij ad manducationem: & læti fiducia huius uenturæ uictimæ auxilium in omnibus calamitatibus expectabant. Durauitq; obseruatio illius ritus ab exitu ex Aegypto usq; ad resurrectionem filij Dei annos 1543.

Nos magis lætemur palàm exhibito Domino nostro Iesu Christo, & additis manifestis testimonijs non fallentibus, & euoluta ac illustrata promißione misericordiæ, & sparsa uoce Euangelij inter gentes, per quam ipse filius Dei, λόγος καὶ εἰκὼν ἀϊδιος ἀϊδίου πατρός, æternam Ec-

cleſiam colligit, quam regit, protegit & geſtat, ſicut in gremio geſtat Paſtor recens editos agnos. Pro his ſummis beneficijs gratias agimus Deo æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, & hortamur uos, ut ueram gratitudinem & inuocationem in nobis omnibus accendi ab æterno patre propter filium Spiritu ſancto petatis.

Dulcis ſit omnibus & temporis cogitatio. Quàm pulcrum Ver fuit illius anni, cùm redeunte ex morte Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſimul alij multi Sancti reuixerunt, & ſæpè ad dulciſſima colloquia conuenerunt, & manifeſtis teſtimonijs pios confirmarunt. Nec dubium eſt, ſæpè apud uirginem matrem adſediſſe primos parentes, Adam & Heuam, & narraſſe mundi initia, & ſuos dolores & teſtimonia diuinitus exhibita, & miſcuiſſe gratiarum actiones & precationes pro Eccleſia. Nec fuit ulla in genere humano ætas aurea, niſi illorum quadraginta dierum dulciſſima conſuetudo, quæ fuit Ver æternæ illius aureæ ætatis.

His teſtimonijs & nos confirmemus, & propter memoriam tantarum rerum uſitatam Eccleſiæ conſuetudinem amemus, quæ hoc anni tempore in publicis congreßibus hiſtoriam de ſacrificio filij Dei, & de reſurrectione præcipuè proponit,

ponit, & ad hos congressus adferamus mentes pias, & compositas ad cogitationem de rebus tantis. Cogitemus nos interesse colloquijs filij Dei, Patrum, qui reuixerunt, & Apostolorum: & reuera nobis adest ipse filius Dei, cùm talibus cogitationibus gratiarum actionem & uota miscemus. Ideo enim uiuit filius Dei, non ut sit ociosus, sed ut semper æternam Ecclesiam sibi colligat, sit in nobis efficax, det dona hominibus, sicut scriptum est: Sedet ad dextram æterni Patris, dans dona hominibus. Et quidem, cùm regnum Christi sit æternum, tamen Paulus modum regni in Ecclesia huius uitæ discernit à modo regni in Ecclesia reuocata ex morte, inquiens: Tradet regnum Deo & Patri. Non est igitur ociosus filius Dei in Ecclesia huius uitæ, sed nunc per ministerium est efficax uoce Euangelij, & reipsa credenti adest, est caput omnia in omnibus perficiens, sicut inquit: Sine me nihil potestis facere. At in resuscitata Ecclesia offeret nos æterno patri, ostendet patrem coràm in clara luce, non per ministerium doctrinæ, Et tamen erit Rex & summa persona Ecclesiæ, agglutinans nos æterno patri, quem coràm cernemus omnia in omnibus beatis esse.

Harum maximarum rerum cogitatione festum diem celebremus, ut Paulus docet, Deo & Do-

mino nostro Iesu Christo pro omnibus beneficijs gratias agamus, & simul petamus seruari Ecclesiam, & nos in ea, & leniri pœnas, & confugiamus ad filium ardenti fide, sicut ipse præcipit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos,

Te fili Dei, Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis & resuscitate, qui pro nobis precatus es, ut æternus Pater non diligat, sicut te diligit, supplices oramus, ut nobis adsis, et semper inter nos tibi æternam Ecclesiam colligas, & nos gubernes & protegas. Cùm autem filius Dei uelit nos gratos esse pro data Euangelij uoce, præcipimus omnibus qui sunt in Academia, ut honesti exempli causa ad Aram hodie accedant cum significatione gratitudinis. In Paschate anni 1558. quod est ab exitu Israëlitarum ex Aegypto Pascha 3067.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, Matthæus Blochinger.

SÆpè auditis plurimum prodesse moribus, & suitæ considerationem dignitatis ordinis politici. Vult Deus nos intelligere, ordinem politicum esse suæ sapientiæ riuulum, & iusticiæ suæ opus, & testimonium de præsentia Dei in genere humano. Quòd ostendit ordinem, quòd conseruat societatem,

societatem, quòd atrocia delicta uniuersaliter punit, etiam cùm magistratus punire non possunt, hæc fieri diuinitus, fateri necesse est. Amemus igitur & reuereamur ordinem politicum, ut opus & ingens beneficium Dei, & caueamus suo quisq; loco, ne turbetur, & hanc diligentiam ac obedientiam Deum flagitare sciamus. Cogitemus etiam singuli, quanta beneficia quotidiè accipiamus ab omnibus neruis politici ordinis: defensionem societatis, in qua nutrimur, educamur, docemur, habemus Ecclesias, Leges, artes, & multa uitæ præsidia, & corporum & rerum protectionem. Hæc bona non Cyclopico more contemnamus, sed magnifaciamus, & causas & utilitates sæpè consideremus. Quare libenter magistratibus obtemperemus.

Vult autem Illustrissimus Princeps Elector, non corrumpi aggerem, nec in aggerem ascendere peregrinos. Et manifesta iniusticia est, quærere uoluptates aut ludos cum detrimento Reipublicæ. Corrumpit autem aggerem licentia in eo uagandi. Quare seuerè præcipimus, ne in aggerem ascendant Scholastici, & hac modestia quoq; ostendant, se politicum ordinem non contemnere. In Paschate Anni 1558.

ANNO 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS,

Matthæus Blochinger.

VIrtus est eximia, & Deo grata, Castitas in matribus & fœminis qualibet ætate, Ac tantum decus eam uirtutem & uetustas Ethnica esse iudicauit, ut Bacchylidis uersus celebrati sint, quorum sententia sic reddita est:

Vt cùm de statua facies formosa remota est,
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic reliqui mores spreti sine honore manebunt,
Ni sint ornati laude Pudicitiæ.

Hanc excellentem uirtutem uult Deus in matronis esse, ut PAVLVS inquit, coniunctam cum fide, dilectione, modestia, & temperantia.

His uirtutibus omnibus ornata fuit, & mater, & deinde uidua, honestißma matrona, ANNA, uidua uiri honesti Matthæi Moschwitz, consulis Torgensis, nata in familia ueteri Torgensi Domitschia. Nam & doctrinam de Deo, & de Domino nostro Iesu Christo rectè norat, & Deum rectè inuocabat in agnitione & fiducia Mediatoris, deinde dilectionem ostendit erga maritum, sobolem, cognatos, & alios honestos homines, ordinè tribuens singulis debita officia. Vidit funus

mariti

mariti & filiæ honestißimæ matronæ, & generi Doctoris Augustini, & cum in eo luctu, tum in alijs aduersis casibus animi moderationem retinuit, ut Deo obediret. Castitatem, modestiam, & temperantiam adeò constanter præstitit, ut omnibus honestis matronis semper exemplum imitatione dignum fuerit, easq; uirtutes propter Deum, & propter assiduitatem & intentionem in precatione magno studio tutata est. Sic uixit in consuetudine filij, filiarum, generorum, & sobolis ex illis natæ usq; ad annum quartum & octogesimum. Vidit florentem patriam, & tranquillam usq; ad senectam. Vidit Principes, quorum fuit excellens uirtus, & dulcis, ac salutaris uniuersæ Germaniæ, non tantùm patriæ concordia, ERNESTVM *&* ALBERTVM, *quorum solebat narrare exempla honestißima, seruatam urbem Torgam in incendio laboribus Ducis Alberti, & alia multa. Quare in extrema senecta maiore cum dolore spectatrix fuit harum ærumnarum, quæ his proximis annis acciderunt, in quibus sæpè gemens agnoscere se dicebat puniri hominum delicta, quæ in illa tranquillitate cumulata essent, ut secundæ res negligentiam adferunt. Rursus etiam Deo gratias agebat, quòd uidisset mitigatas pœnas immensa misericordia, quòd non diuulsa esset à filio, generis, filiabus, & natis ex filio & filiabus,*

Quodq; in Ecclesia semper eandem doctrinæ uocem audiebat. Erat igitur assidua in cantionibus & communi precatione, ut ANNA, cuius mentio fit in narratione Lucæ, quæ etiam annos quatuor & octoginta uiderat in Iudæa tristiora spectacula, fratrum bella, Hircani & Aristobuli, & deinde Herodis lanienas. Sed agnoscamus in hac extrema & delira mundi senecta impendere horrendas confusiones, & precemur filium Dei, ut ipse eas leniat, & semper colligat & seruet inter nos cœtus ipsum rectè inuocantes. Id faciebat hæc sancta matrona, quotidiè sese, Ecclesiam, familiam suam, & patriam filio Dei commendans.

Hortamur autem scholasticos, ut hodiè hora quarta ad pias funeris ceremonias in uico non procul ab auditorio Iurisconsultorum conueniant, & pia precatione in his congressibus petant, ut filius Dei nos omnes gubernet, & semper inter nos colligat & seruet æternam Ecclesiam, sicut narratio LVCÆ hodie lecta inquit:

Vespera iam uenit, nobiscum Christe maneto,
Extingui lucem nec patiare tuam.

In ferijs Paschatos die 11. Aprilis,
Anno 1558.

TVllius eloquij decus immortale Latini,
Agitante pectus Apolline:
Cedant arma togæ, concedat laurea lin-
Suis canebat ciuibus, (guæ:
Cùm patrijs minitans Catilina penatibus audax
Gladios, ruinas, & faces,
Vindice ſupplicium patriæ patre triſte tuliſſet,
Furor meretur ut impius.
Conſilio inferior fuerat uiolentia, bellum
Pacisq; ceſſerat artibus,
Ergo: Togæ cedant Saga, cedat Laurea Linguæ:
Conſul canebat ciuibus,
Vt doctrinarum cultura reflecteret optans
Ferociores impetus,
Militiæ ſtudio, ac truculenti Martis amore
Cedente literis bonis,
Vincula quæ legum perhibentur, & organa uitæ,
Fonteſq; publici boni.
Pingit idem egregij bene Naſo poêmatis autor
(Haud diſſidens à Tullio)
Inter ut Heroas contentio propter Achillis
Clypeum extitit memorabilem.
Aiaci Telamone ſato dum fingit VLYSSEM
(Forti uiro doctum uirum)
Præferri, ſic, ut ferat arma diſertus ACHILLIS,
Conſentiente Græcia.

Eloquium ſapiens conflictibus acribus ergo
Tot prætulere Principes.
Outinam imperij proceres, capita ardua, noſtri,
Suffragijs communibus
Nunc quoq; præferrent ciuilibus ocia bellis
Togata, urbana, publica:
(Proh dolor) accenſis furijſq;, ſitiq; cruoris
Operta dum tumeſcere
Bella domi, nobis nimium metuenda, uidemus:
Foris metente cædibus
Pannoniæ Scythico populos impune Tyranno,
Qui ceu ſopore languidis,
Vulnera terribili minitatus Acinace, noſtris
Ceruicibus uigil imminet.
Quo feror? hæc precibus mala depellenda piorum
(Quantumlibet fatalia)
Cur, deſtens tenui nec proficiente Camœna,
Surdis Ducum queror auribus?
Quin memor officij potius, pro parte uirili,
Ornare Spartam quæ obtigit
Conor? & his uigili ſtudijs prodeſſe labore,
Quæ pacis ornamenta ſunt:
Quanquam eadem belli ſolatia tempore præbent
Muſas piè colentibus.
Nam licet hæc ſola ſtudia utilitate probentur,
Non cedunt ullis utilitate bonis,

Rebus

Rebus in oblectant quasi condimenta secundis,
Rebus in aduersis ceu medicina iuuant,
Omnibus oportuna locis, ætatibus, horis,
Mille uoluptates, commoda mille ferunt.
Hæc quis Peligni ter quinq; uolumina uatis
(Mutatas hominum referentia carmine formas)
Præcipuè celebrant studiorum commoda Phœbo,
Eloquij laudes in eo dictante libello,
Tertius à decimo qui iurgia clara recenset
Magnanimo Telamone sati & sapientis Vlyßis,
De framea, clypeoq;, & caßide fortis Achillis:
Hæc quoq; ut utiliter contentio pulchra legatur,
Iuuante Deo perendie
Has explicare fideliter
Orationes ordiar.

16. Aprilis.

Caspar Cruciger.

CRas Deo iuuante ordiar quartum librum Elementorum Euclidis, qui Mechanicus totus docet ἀποδεικτικῶς, aut circum schemata ὁμοειδῆ πολύγωνα, ut τρίγωνα, τετράγωνα, πενταγωνα, ἑξάγωνα, πενταικαιδεκάγωνα circumscribere circulorum ambitus, Aut è conuerso circulis inscribere schemata εὐθύγραμμα ὁμοειδῆ. Magnus usus est in Mathesi horum problematum quarti libri. Quare studiosos hortor,

tor, ut ea diligenter discant & exerceant. Hodie quæ est 18. dies Mensis Aprilis, Sol aliqua sui parte, sed exigua, obscurabitur in 7. parte 18.' scr: ϛωδεκατημορίου γ. Initium obscurationis in hoc nostro Horizonte erit circiter 35' scrupulum post primam pomeridianam. Medium attinget 5' scrup: post elapsam secundam. Desinet exactis ab hora secunda scrupulis 35'. Tota duratio unam horam non excedet.

Caspar Peucerus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, Matthæus Blochinger.

VT Italiæ uastatio secuta est Ambrosij mortem, Augustini mortem non solùm uastationes, sed etiam dira supplicia piorum & extinctio ueræ doctrinæ in Africa, ita post mortem Reuerendi uiri D. Martini Lutheri mox tristia bella Principum orta sunt, deinde noua & atrocia dißidia docentium. Ita nunc postquam Reuerendus uir IOHANNES BVGENHAGEN POMERANVS, Theologiæ Doctor, & Pastor Ecclesiæ nostræ ex statione sua ad cœlestis Ecclesiæ societatem abductus est, metuamus non leuia mala, quæ ut filius Dei Dominus noster Iesus

Iesus Christus auerteret, ipse quotidianis precibus et lacrymis petebat, & ut nos idem peteremus assiduè hortabatur. Ita non solũ docendi laboribus & dijudicatione multarum controuersiarum, sed etiam lacrymis & precatione Ecclesiam nostram adiuuit annos octo & triginta. Interea uocatus ad alias urbes & Regiones puram Euangelij doctrinam ibi quoq; fideliter docuit, ex Ecclesijs impiam doctrinam eiecit, aboleuit pernicioſos ritus, repressit corruptelas & fanaticas opiniones, & constituit piam formam Ecclesiarum duraturam ad posteritatem, in inclytis urbibus Lubeca, Hamburga, Brunsuiga, in tota Pomerania, & in magna parte Regni Danici. Ac ut uetustas discernens Apostolos, Euangelistas & Pastores, nominauit Euangelistas eos, qui in diuersis locis semina Euangelij spargebant, Pastores uerò, qui in loco certo præerant Ecclesijs: ita hic uir & Pastor noster & multarum gentium Euangelista fuit.

Adeo autem integritatem ipsius & pietatem probarunt, cùm alij multi sapientia & uirtute præstantes, tùm uerò & Inclytus Rex Danicus, & Regina, ut in publica celebritate ab hoc uiro præcipuè uoluerint sibi coronas imponi: quo in ritu cùm fiant testificatio, quòd legitima imperia sint Dei opera & beneficia, & inuocatio ardentißima, ut Deus det salutarem gubernationem, Pius Rex

maximè

maximè uoluit adhibere uirum ſanctum, reuerenter de imperijs ſentientem, & ardenter inuocantem Deum.

Teſtes ſunt & omnes pij in hoc oppido, talem fuiſſe hunc Paſtorem Eccleſiæ, ut uerè congruant doctrina & uita eius ad normam, de qua Paulus dicit: Eſto typus fidelium in ſermone, in conſeruatione, in dilectione, in ſpiritu, in fide, in caſtitate. Rectè docuit, mores fuerunt modeſti & placidi, fuit iuſtus & beneficus erga omnes, in obiurgatione ſeuerus & intrepidus, acer in defenſione ueræ doctrinæ, ardens fide & ſpe in precatione, Caſtus, & ſeuerus hoſtis turpitudinum.

Tali & Paſtore & patre cùm ſimus orbati, uerè dolent omnes pij, & in publico luctu non ſolùm de orbitate huius Eccleſiæ, ſed etiam de futuris periculis cogitant. Vosq; adhortantur, ut conſideretis publicas miſerias, et precemini filium Dei, cum Eccleſia noſtra, ut hîc & alibi det pios & ſalutares Paſtores & Doctores.

Exemplo eius etiam confirmemur. In hoc poſtremo actu uitæ cùm morbos & ſenectæ imbecillitatem placidè ferret, ſubinde & deſiderium & certam ſpem uitæ æternæ oſtendit, & gratiarum actionem precibus adſiduè miſcuit, petens & ſeſe ſpiritu

spiritu Sancto confirmari, & regi ac seruari domesticam Ecclesiam suam, & publicam. Hi fuerunt eius sermones in hoc extremo agone adeò alacres de beneficijs filij Dei, ut intelligi posset initia salutis & lætitiæ æternæ in eo accensa esse, cùm sæpè hoc dictum repeteret: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. His se cogitationibus erigebat, & lætabatur citò se ex hac caligine in illam lucem transiturum esse.

Cùm autem in optimis studijs, in officio docendi Euangelij, in gubernatione Ecclesiæ, in omnium uirtutum exercitijs, in adsidua Dei inuocatione, tam diu uixerit, annos uidelicet septuaginta tres, minus duobus mensibus, Deo gratias agamus pro donis ipsi & Ecclesiæ per eum datis, & petamus Ecclesiæ tales Pastores multos, & nobis similia dona clementer tribui. Hæc in funere cogitanda sunt, quod fiet hora septima. Datæ die 20. Aprilis. Anno 1558.

De obi-

ANNO 1558.

DE OBITV REVERENDI VIRI D. IOHANNIS BVGENHAgij Pomerani, Sacræ Theologiæ Doctoris, qui rexit Ecclesiam Christi in inclyta VVittenberga annis 38. mortuus anno ætatis suæ 73. Anno à nato Christo 1558. die 20. Aprilis.

à

MELCHIORE SAVERO.

DVM uix præstantis deflemus fata Micylli,
Qui perit ad ripas Nicer amœne tuas:
Ecce nouo exercet durissima Parca dolore,
Et nos præcipui fraudat honore uiri.
Nam iacet Albini Pomeranus fama Lycæi,
Rexit ubi Cymbam Christe benigne tuam.
Ingenio celebris, doctrina & nomine clarus,
Occidit hei uerbi fida columna Dei.
Nec tantum excellens Ecclesia nostra labore
Huius erat precibus consilijsq; uiri:
Externas etiam docuit fœliciter urbes,
Sparsit & in multis dogmata sancta locis.
Impia pro ueris damnauit ubiq; docentes,
Pro falsis cultus instituitq; pios.
Saxonia purè quòd in ulteriore refulget,
Et Christi latè Dania dogma sonat:

Balthica quòd rectè nouerunt oppida Christum,
Hæc sancto pietas est referenda seni.
Hoc patre, nos sumus hoc orbi Doctore fideli,
Cui fuit iniuncti cura paterna gregis:
Illius terræ corpus requiescit in aluo,
Spiritus in gremio maxime Christe tuo.
Hei mihi quàm breuis est mortalis uita uoluptas,
Quàm subito casu qui ualet ille cadit.
Semper habent obitus præsagia uera piorum,
Iam iam uenturi præscia fata mali.
Post mortem quæ sunt incendia mota Lutheri?
Vidimus in templis arma dolosq; tuis.
Ecquis adhuc poterit finem spectare malorum,
Mitiget immensa ni bonitate Deus.
Nunc Ecclesiolæ renouantur uulnera mœstæ,
Vulnera post mortem facta Luthere tuam.
Mœsta gemit sæuos & acerbius ante tyrannos:
Balat ut ante feros quando stat agna lupos.
Tolluntur iusti, ne spectent forte futuris
Tempora plena odijs, tempora plena malis.
Sed tu gnate Dei tristes auerte ruinas,
Regnorum subitas & moderare uices.
Esto tui custos, Pastor, defensor ouilis,
Pasce tuos uerbo uiuificante greges.
Et fac nos omnes æternæ uasa salutis,
Quæ celebrent reliquo nomen in orbe tuam.

ANNO 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Matthæus Blochinger.

VIdistis flagrantem Cometam ante biennium. Deinde eodem anno duas Eclipses. Rursus hoc anno uidimus Eclipsin eo terribiliorem, quia incidit in idem tempus diræ Saturni & Martis coniunctio. Et tunc significationes audiuistis proponi, quas non fuisse uanas hæc tempestas ostendit. Saturnus ὕπαυγος frigus adfert, quod in Vere multis rebus nascentibus inimicum est. Augeri etiam furores in hominum animis ostendit crudelitas illius, qui recens Principem Francicum in propria urbe interfecit, quod scelus non dubium est fore πρόκαταρκτικὸν causam nouorum bellorum. Sed causæ πρόκαταρκτικαὶ multæ & magnæ sunt aliæ, magna & atrocia scelera multorum, multi Reges defendunt idola, gerunt bella iniusta, & sunt pestes generis humani. Centauri uendunt suas animas & sua corpora impulsi auaricia: furiæ Theologorum serunt aut stabiliunt falsas opiniones, & inflammant odia, & dißidia in Ecclesijs: Populus fit prophanus, & quærit belluinas uoluptates. Talis cùm sit maxima pars generis humani, iusto iudicio Dei ueniunt pœnæ. Inter has precamur toto pectore filium

Dei,

Dei, ne prorsus extingui ueram Ecclesiam sinat, sed nos & nostras familias suæ Ecclesiæ insitas clementer seruet & protegat, tanquam supplices ad aram, id est, ad ipsum propiciatorem confugientes. Etsi autem propter paternam σοργὴν magno dolore adficior filio meo Georgio orbatus, tamen cùm sciam uocem filij Dei, Non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis. Item, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, moderari me dolorem iustum est, præsertim cùm hic meus Georgius surculus fuerit filio Dei insitus, & iam disceret initia doctrinæ, & Deum rectè inuocaret in agnitione & fiducia Domini nostri Iesu Christi. Cumq; tam sæuæ mutationes generis humani impendeant, nos & nostros præripi ueniuris calamitatibus minus doleamus. Peto autem ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta conueniatis, in quibus singuli & suam uitam, & publicam salutem Deo pijs & ardentibus uotis commendent. Datæ die 26. Aprilis, Anno 1558.

ANNO 1559.

IN OBITVM MODESTI ET BONÆ INDOLIS PVERI GEorgij Blochingeri, Magnifici uiri D. Matthæi Blochingeri, Rectoris inclytæ Academiæ Vuitebergensis, filioli carissimi.

MELCHIOR SAVERVS.

PLochingere tui deploras funera nati,
Et tibi iusta pij causa doloris adest:
Siste tamen lacrymas, & noueris esse iugalis
Innumeris uitæ gaudia mixta malis.
Ergo feras placidè, iusto pareto Tonanti,
Qui quæcunq; facit non nisi iusta facit.
Cernimus afflicto quàm nil durabile mundo,
Nostraq; quàm multis uita sit aucta malis.
Fœlices pueri quos abluit unda salutis,
Quæ fluit è sancto corpore Christe tuo.
O uos fœlices, quos non spectare futuri
Ærumnas secli numina summa uolunt.
Tu quoq; sancte puer, frater dilecte Georgi,
Parte tua uiuis qui meliore Deo,
Quamuis affligant mœstos tua fata parentes,
Vt qui te maius non habuêre bonum:
Attamen hos æqua moderari mente dolores,
Et possunt humili cedere corde Deo.

Aeternum

Aeternum pie uiue puer, mox carne soluti
Nos tecum uultum stabimus ante Dei.

IOHANNES CHESSELIVS.

Ἐγγύθι, παιδὸς ἑοῦ ἤδη δέμας ἁγνὸν ἔθηκε
λευκορίδος τείνας ἡνία πλωχίγερος.
ὃν χάριτες κλαίουσιν καὶ παρνασίδες, ἀὶ ἀὶ
ὤλεο μουσάρχῳ φίλατε πλωχιγέρῳ,
ἀὶ ἀὶ τῆς κακότητος, ἅπαν μόρος οἶδε κολούειν,
οὐδέποτ' ὠμηστὴς φείσατο νηπιάχων.
χέτλιε σῇ δυνάμει πῶς ἀνθρώποισιν ἀνάσσεις,
δεῦρο σε τῶν πατέρων ἦγεν ἀλιτροσύνη.
ἀλλὰ πάλιν σωτὴρ θεόπαις σέο κάρτος ἀμαυροῖ
ἀΐδιον ζωὴν εὐσεβέεσσι διδούς.
ὅς σε καλεῖ φίλε παῖ νῦν εἰς χορὸν ἀγγελιωτῶν
ἐξ ὀδυνῶν λυγρῶν γυιοβόρωντε νόσων.
νήπιος ὢν γὰρ ἐβαπτίσθης εἰς ὄνομα χριστοῦ,
ὃς λύτρον ἀνδρομέης ἐστὶν ὑπὲρ φύσεως.
ὄλβιε παῖ, ὀλίγη σεοθεν γῆ σῶμα καλύπτει,
ζῆ δὲ χοροστασίῃ ψυχὴ ἐν οὐρανίῃ.
χαῖρε δὲ ἐσθλὲ γεώργι' ἐν ἀγκαλίδεσσι λυτρωτοῦ,
σοὶ τόδε δωροῦμαι γραμμ' ἐπιτυμβίδιον.

ANNO 1558.

Aliud.

GEORGIVS FILIOLVS MAGNIfici Domini Rectoris: piè defuncti utriq; parenti.

NE pij parentes
Flere me uelitis
Sed Deo canatis
Corde & ore laudes:

Quòd puer tenellus
Flore nunc sub ipso
Sam quieti dulci
In Deo sopitus.

Non furentis orbis
Labe tactus ulla
Sed fide decorus
Hinc polos petiui.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Matthæus Blochinger.

VEtus definitio est Iusticiæ dulcis, & plena eruditionis, si rectè intelligatur, sed est κομικὴ, uidelicet hæc: Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία, θεῷ μετὰ ἰσότητος. Iusticia est societas, qua sese Deus nobis communicat, & est æqualitatis

litatis conseruatio. Complectitur ergo utranq; Decalogi tabulam, quem scitis normam uitæ esse debere.

Luceat primùm ipse Deus in nobis, quod fit cogitatione doctrinæ, & non aliter. Quare necesse est esse doctrinarum studia, quæ ob hanc causam Deus clementer tuetur, ut per ea sese nobis communicet, & æternam Ecclesiam colligat. Hæc cùm sint uerissima, uult Deus esse cœtus docentium & discentium, & hactenus nos clementer inter multa pericula protexit, pro quo beneficio grati Deo & uoce & animis, & moribus esse debemus. Et nos cum nostris familijs gratias ei reuerenter agimus. Vos etiam hortamur, ut propter uoluntatem Dei, & salutem uestram studia ametis.

Nec uerò possunt esse cœtus docentium & discentium sine ordine, sine gubernatione, sine iustis officijs. Ideo & alteram definitionis partem præstate, uidelicet æqualitatem Arithmeticam, ne quem ledatis, & æqualitatem Geometricam, ut Rectori obtemperetis. Cùm igitur cras, Deo iuuante, eligendus sit Rector, præcipimus uobis ut hora sexta cras manè in auditorio maximo conueniatis, & quis sit Rector electus audiatis, & commonefacti maiore reuerentia ei obedientiam præstetis. Est omnino & sapientia et uirtus necessaria, intelligere, uenerari, & amare ordinem Politicum. Datæ pridie Cal: Maij. 1558.

ANNO 1558.

RECTORATVS ILLVSTRIS AC GENEROSI DOMINI, DOMINI ADOLphi, Comitis in Nassau, CattenElnbogen, Viandem & Dietz &c. à festo sanctorum Philippi & Iacobi Apostolorum, usq; ad festum S. Lucæ Euangelistæ. Ei adiunctus fuit Prorector, Clarissimus uir, D. Iohannes Schneidewein, Iuris utriusq; Doctor, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NOn dubium est, CALLVCONES apud Ptolemæum esse hanc uicinam oram circa Luckam, & DobreLok. Estq; nomen uetus Lok, idem quod Nemus. Et DobreLok significat bonum nemus. In eo tractu propè DobreLok est oppidum Kirchan, ubi ex patre iudice honesto uiro natus fuit BARTHOLEMÆVS CRAVT scholasticus huius Academiæ. Is heri in inuocatione filij Dei ex hac uita mortali decessit. In quo uirtutis studium fuisse inde apparet, quia quanquam propter egestatem duriter & tenuiter uictitabat, tamen doctrinarum studia noluit

luit abijcere, cùm in opificio potuisset habere largiorem uictum.

In ea uicinia reditus sunt amplißimi Dobrelocenses olim donati studijs, quos nunc deuorant Harpyiæ rapacißimæ, de quibus nimis uerum est antiquũ dictum Τάμιαι λάμιαι. Interea fame pereunt uicini Pastores, & pauperum ciuium filij, qui discunt literas, cùm quidem antiquitas uoluerit præcipuè hos foueri talibus donationibus. Veniunt igitur pœnæ publicæ, sicut dicitur: ἐμοὶ μὲν ἅνα τῶν φρένες ὠκύτεραι κέρδος ἀινῆσαι πρὸ δίκης δόλιον, πραχθέαν ἐρπόντων πρὸς ἐσθλὸν δαρ δ' ὅμως.

Hortamur autem scholasticos, ut hodie hora duodecima ad pias funeris ceremonias conueniant, non procul à porta Orientali, ubi in hoc oppidum Torrens influit. Datæ die 3. Maij, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SEdes MARCOMANNORVM fuit regio, quæ nunc Morauiæ nomen habet, & bellum ibi difficile gessit Marcus Antonimus Imperator, qui inter bonos Principes numeratur, & non solùm natura amans iusticiæ & aliarum

uirtutum fuisse scribitur, sed etiam doctrina rexisse mores, & consilia narratur. Sic enim ait Dion: ὅμοιος ἑαυτῷ διὰ παντὸς ἐγένετο, καὶ ἔν οὐδενὶ ἠλλοιώθη. ἀγαθὸς δὲ ἦν, καὶ οὐδὲν προσποιητὸν εἶχε, πάμπολλα δὲ καὶ ὑπὸ παιδείας ὠφελήθη.

Fuit autem in urbe Marcomannorum Olmutia natus adolescens, SEVERVS MIGLIZERVS, qui & propter doctrinæ amorem, & ut abesset ab impijs cultibus, in Academia uiuere maluit, quàm in patria. Hauserat initia honestarum artiũ à duobus uiris uirtute & eruditione excellentibus, Trocedorfio & Christophoro Vuendigio Epirienſi. Cumq; amplecteretur confessionem Ecclesiæ nostræ, pietatem animi uera inuocatione Dei, in agnitione & fiducia Mediatoris, & honesta morum gubernatiome declarauit, qui quidem in eo non solùm naturæ moderatione regebantur, sed etiam luce accensa à filio Dei uoce Euangelij, & Spiritu sancto. Heri autem ex hac caligine ad Academiam cœlestem, plenam lucis, translatus est, ubi inchoatam in hac uita doctrinam melius cognoscet, coràm intuens diuinitatem.

Hortamur autem Scholasticos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora duodecima conueniant non procul infra ædes Collegij è regione honesti

nesti senis Rosleri, & ibi singuli suam uitam, & publicam salutem ardentibus uotis Deo commendent. Datæ die 8. Maij, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

VTrumq; præcipit Deus, & ut doleamus in calamitatibus & morte parentum, & eorum qui ex nobis nati sunt: & ut dolorem moderemur, & flectamus pectora, ut uelint Deo obedire, & tristes fremitus reprimant. Ingens hæc lucta est in naturis non monstrosis. Et quidem ita condita est hominum natura, non ut sit ferrea seu Stoica, aut Cynica, sed ut inenarrabiles dolores sentiat propter σοργὴν, quæ non casu in nobis nascitur, sed à Deo pectoribus humanis insita est, ut sit commonefactrix, de amore Dei erga filium, & erga nos, Ac uult Deus in nostris doloribus intueri nos, & ipsius erga nos ingentem amorem.

Vidit autem Reuerendus uir GEORGIVS MAIOR, Theologiæ Doctor, duorum filiorum interitus, quorum alter Leonardus, ingenio excellens à rabioso cane uulneratus, postea ex eo uulnere mortuus est. Et fortassis illa rabies significauit hostilem sæuiciam, qua non multo post laceratus est pater. Alter filius GEORGIVS heri

decessit,

deceßit, propter quem eo parentes in maiore luctu ſunt, quia iam uſus eius erat in iudicijs, & parentibus familiam relinquit, cuius conſpectus uulnera parentum magis lacerat.

Afficiamur autem mœſticia patris, qui tot iam annos utiliter ſeruit Eccleſiæ in docendo, & in iudicijs, & honeſtißimæ matris, quæ uerè ornata eſt omnibus illis uirtutibus, quæ in matrona Deo placente, iuxta Pauli doctrinam fulgent, quæ quidem & in hoc filij morbo σοφγλῶ ſuam inſigni exemplo oſtendit, cùm uigilijs & alios labores ſupra uires robore animi ſuſtinuit.

Deniq; de communi infirmitate, de uitæ fugacitate, & communibus ærumnis in funeribus cogitemus, & omnes ad modeſtiam, ad uenturi iudicij cogitationem, & ad conſolationes, quæ per filium Dei patefactæ ſunt, flectamus, ſicut & hic Georgius hoc toto morbi tempore ſe diuinis conſolationibus confirmauit, & quotidie ſeſe fiducia filij Dei æterno patri commendauit: miſcuit & precationes pro parentibus, coniuge, filiabus, pro tota Eccleſia & patria, & ſpem ac deſiderium uitæ æternæ non obſcurè oſtendit, ſæpè repetens uocem filij Dei: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam. *Vt autem ipſi uiuenti con-*

ti consolatio grata erat, hæc uox: **Beati mortui qui in Domino moriuntur:** *ita parentibus dolorem cogitatio huius uocis leniat.*

Hortamur autem scholasticos, ut ad pias funeris Ceremonias hodie hora duodecima ante ædes Reuerendi uiri Doctoris Georgij Maioris conueniant, & ibi singuli sese & publicam salutem Deo ardentibus precibus commendent. Die 9. Maij, 1558.

EPITAPHIVM GEORGII MAIORIS, FILII REVERENDI uiri Georgij Maioris, Doctoris Theologiæ.

HAc requiescis humo post fata peracta Georgi
Maior, habens clari nomen utrunq; patris,
Præstantis pietate Senis, sermone diserti,
Exculti studijs, ingenioq; grauis:
Cui similis facie, referens quem pectore, fratres
Ipse tuos natu maximus inter eras.
Quæ puer imbiberas doctrinæ semina Christi,
Non sine fruge tui cordis alebat ager.
Cum patre cœlesti cum flamine, numen adorans
Æterno genitum de genitore λόγον,
Te Mediatoris credebas propter honorem
Et data cum precibus λύτρα, placere Deo,

Per

Per Mediatorem uitæ tibi dona perennis
Restitui noras non dubitante fide:
Teq; regi sacro consolatore petebas,
Rore salutifero qui pia corda rigat.
Quin & doctus eras: puer utq; uacare solebas
Mitibus ac studijs tempora multa dare,
Sic adolescenti tibi docta uolumina Iuris
Atq; fori leges discere cura fuit.
Sic in iudicijs causisq; forensibus usus
Iam inuenescentis ceperat esse tui,
Adde quòd eloquio non es petulanter abusus,
Turpibus os uanum prostituendo reis:
Iusticiæ sed amans, ueriq; tenax & honesti,
Qua decet hac miseris parte patronus eras.
Ad reliquas laudes accedit & hoc decus, unde
Non minus egregiæ nomina laudis habes.
Te uiguit sine labe quòd & sine lite marito
Sanctus honor casti certa fidesq; thori.
Fœminea una quater fecit te prole parentem,
Quæ tibi casta Dei contigit uxor ope.
Quinq; sed ut uitæ, tribus annis aucta fugacis
Lustra peregisti, uita peracta fugit,
Vita peracta preces fugit inter & optima uerba,
Voce quibus celebras deficiente Deum.
Obrepit, placido similis, tibi, morsq; sopori:
Nil animæ corpus præter inane iacet,

Spiritus

Spiritus ætherea lætetur in arce superstes
Contuitu Christi colloquioq; fruens.
Iohan. Maior Vallensis,
Doctor Theologiæ.

IN PRAELCTIONEM GEORGICORVM VERGILII.

INgens profectò beneficium est, quòd Deus hanc miseram uitam, rebus ex terra miro modo nascentibus, sustentat, idq; singulos grata mente celebrare & Deo gratias agere decet. Quantum autem ad hoc conferat lectio authorum, qui de Agricultura scripserunt, non puto cuiquam obscurum esse.

Etsi enim nos, qui in studiorum ac artium luce uersamur, seruiles illas operas rei rusticæ subire non decet, tamen plurimum & ad pietatem & ad uitæ gubernationem, tùm publicam tùm domesticam, conducit, rerum nascentium uires, tempora, species, culturas & modos nascendi considerare. Quis enim hac in re uerè sapientiam Dei admiretur, potentiam celebret, bonitatem laudibus extollat, quì de his securus, uel casu singula nasci putat, uel quotidiè nobilissimas creaturas auidissimè quidem ad Epicureas uoluptates expetit, nunquam autem nec de miranda illarum gubernatione, nec de uero earum fine cogitat, sed id tantùm sedulò curat,

ut ex

ut ex eorum numero sit, de quibus dicitur: Fruges *consumere nati? Quare terram matrem & nu-tricem nostram, ac fœturas ipsius, quibus singulis diebus necessariò fruimur, diligenter aspicere, & Authores, qui de terr æcultura scripserunt, non negligere decet.*

Excellit autem inter eos haud dubiè Vergilius, qui & his ipsis rei rusticæ iucundissimis præceptis multa alia miscuit utilissima tùm physica, tùm Ethica, quorum lectio hominem studiosum plurimarum rerum cognitione instruere potest, adeò ut uerè in hoc scripto assecutus uideatur Vergilius, id quod Flaccus inquit:

Et prodesse uolunt & delectare Poëtæ.

Quare cùm in prælectione libelli Physici uersarer, & de exemplo aliquo physicis præceptis adiungendo cogitarem, commodissimum tandem fore iudicaui, si scriptum Georgicorum Vergilij auditoribus proponerem, quod non solùm physicæ materiæ exempla pulcherrima continet, sed & sermonem formet, & ad plurimas uirtutes, Sedulitatem, Temperantiam, & alias, animum inflectere potest.

Itaq; Deo iuuante, proximo die ☿ horæ duodecimæ in ædibus meis auspicabor lectionem Georgicorum Vergilij, qua in re ijs qui operam uti uo-

uti uoluerint, fidem & diligentiam promitto. Die 12. Maij, 1558.

Iohannes Moninger
Onoltzbaccensis.

SIGNIFICATIO PRAELECTIONIS PVBLICÆ POST AVstriacam profectionem proposita Studiosis auditoribus, à PETRO VINCENTIO Vratislauiense.

LEctio tàm longo quòd tempore nostra quiet
Et uox officio non fuit usa suo. (uit,
FER placidè, sacris ô pubes dedita Musis,
Et causam longæ disce benigna moræ:
Non me Lothophagi, non Solis filia Circe,
Nec Lapithûm tellus, Sicaniúmue mare,
Sed patriæ pietas, desideriumq; meorum,
Optato lentum detimuêre solo.
Dulces Elysiæ campos, patriæq; fluenta,
Et gelidos fontes, aruaq; læta, meæ,
Non nisi post quintam uidi Trieterida tandem
Hospes, an ista moræ non ratio æqua fuit?
Illum Caucasea genitum de rupe fatebor,
Quem patriæ leuiter tangit & urit amor.
Cæsaris at porrò nuper me fama creati,
In fines traxit Austria terra tuos.

Pampineos montes ubi Bacchus ueſtit, & Iſtro
Iuncta, ſtat indomitis, urbs, metuenda Getis.
Pollet ab antiquo quæ doctæ Palladis armis,
At nunc & ſæuo eſt Marte Vienna potens.
Producta in longos ſtant propugnacula tractus
Ardua, quæ circum cuncta ſtupore replent.
Hæc uideas, ludumq; putes, quæ plurima fallax
Græcia munita de Babylone refert.
Inuictam ſenſit nuper, Solimannius ut urbem
Vndiq; Trĕitio cinxerat hoſte minax.
Rebus & infectis atq; obſidione relicta,
Turpiter abducto milite terga dedit.
Imperij tantam, lætor quòd uidimus, arcem,
Nec minor utilitas inde ſecuta fuit.
Namq; hîc de ſtudijs & relligione locuti,
Fœdera cum doctis fecimus arcta uiris.
Quid quòd & alloquio uultuq; fauente fruentes,
Contigimus dextram Maxmiliane tuam?
Maxmiliane decus patriæ indelebile terræ,
In quo ſpem certam patrius orbis habet,
Veræ aſſerturum te relligionis honorem,
Ante tuos Turco nempe iacente pedes.
Orbe quod in toto ueris Eccleſia uotis
Optat, & ad cœlum fundit anhela preces.
Pro Patris atq; tua longa, fratrumq; tuorum,
Totius Auſtriacæ proq; ſalute domus.
Inter & innumeras tua Vratislauia gentes
Hanc gemit, hanc optat, pectore, uoce, manu,
Pro te uota facit pia ſic Reſpublica, cuius

Me ciuem dixi, Rex generose, tuum.
Cùm me responso dixti dignatus amico,
Officium tibi non displicuisse meum.
Cætera prætereo, quæ non hoc carmine dici
Attinet, atq; suum sunt habitura locum.
Hic igitur fructus quem longa profectio lætum,
Attulit, est lentæ causa probanda moræ.
Vnde domum salui tandem, incolumesq; reuersi,
Nunc agimus grates maxime Christe tibi.
Et cras decliuo cùm Sol properabit Olympo
Quartaq; labentem traxerit hora diem,
Dante Deo, ad Musas iussosq; redibo labores,
Post & ero totus docta iuuenta tuus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

QVotannis hoc tempore in publicis commonefactionibus repetimus historiam de capta Constantinopoli à Turcis die Maij. 29. Anni 1453. Sæpe enim id exemplum iræ Dei cogitandum est, ut causas uitemus similium pœnarum, & Deum ardentibus uotis precemur, ut pœnas mitiget, nec sinat funditus deleri Ecclesiam. Cogitemus etiam quanta calamitas, & fuerit, & sit ad totam posteritatem illius unius urbis excidium, quæ non solùm arx Imperij in Oriente annis mille & centum, inde usq; à Constantino fuerat, sed etiam præcipua doctrinarum sedes. Ibi recens adhuc ante excidium præcipuè floruerunt studia doctri-

narum, copioſiſſimæ Bibliothecæ fuerunt. Inde uiri doctiſſimi exules in Italiam & Galliam intulerunt & linguam Græcam, & doctrinas. Quanta ibi multitudo uirorum fortium, ſanctarum matronarum, uirginum, puerorum, & puellarum partim trucidata, partim talibus contumelijs affecta ſit, quæ longæ triſtiores ſunt morte: Attraxerant autem fratrum diſcordiæ, & alia multa ſcelera Turcos in græciam. Quare ſimus modeſtiores, & precemur filium Dei, ut clementer à Germania tantas pœnas auertat.

Eſt & hoc conſiderandum, eius urbis mutationes congruere cum uſitatis periodis quingentorum annorum. A Philippo Macedone, qui Byzantium obſederat, ad Seuerum, qui deleuit, ſunt anni quingenti, & paulò amplius. A Conſtantino, qui inſtaurauit, uſq; ad Carolum Magnum, ſub quo forma Imperij Græci inſigniter mutata eſt, rurſus ſunt quingenti anni. A Carolo ad captam Conſtantinopolin, rurſus quingenti anni ſunt. Ac proh dolòr illa quondam urbium Regina nunc Mahometicæ impietatis arx eſt, & uerè ut nomen ſonat, eſt BETHZONAH, id eſt, domus meretricis. Hæc cogitantes petamus mitigationem pœnarum, præſertim cùm & funera ſignificent mutationes, & pericula.

Nuper Reuerendum Paſtorem Doctorem Iohannem

hannem Bugenhagium amisimus. Nunc eiusdem Ecclesiæ minister LVCAS HETZER Torgensis, uir eruditus, & rectè inuocans Deum, & fidelis Euangelij Doctor, decessit, quem lugent & communis Ecclesia, & eius domestica, pia coniunx & filij, & filiæ. Horum luctu uos quoq; adfici decet.

Hortamur igitur uos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta conueniatis, ubi & Ecclesiam & sese singuli pijs precibus Deo commendent. Die 22. Maij. Anno 1558.

IN PRAELECTIONEM PVBLICAM ODISSEÆ HOMERI.

QVi uolet æternam nomen peperisse per arteis,
Atq; triumphali fronde ligare caput.
Perlegat assiduò diuina Poëmata uatum,
Et uigili uoluat carmina docta manu.
Namq; est Aonijs sapientia summa Poëtis,
Vt passim ueterum scripta diserta docent.
Exemplis etenim formant uirtutis honestam
Vitam, quid deceat dedeceatuê monent.
Exemplis uerò uitiorum supplicijsq;,
Vitandum monstrant omnibus esse scelus.
Ex scriptis uatum quantum facundia sumat,
Eloquij princeps Tullius ille docet.

Comparat eloquij ſtudijs artiq; Poëſin,
Rhetoribus uates & putat eſſe pares.
Et ualdè laudat ſcribendi Quintilianus
Vſum Pierijs carmina uincta modis.
Artibus & dicit multum prodeſſe loquendi,
Purior ut nobis ſermo ſolutus erat.
Quare cum reliquis uatumq; neceſſe ſit artem
Artibus eloquij iungere, docta cohors,
Mœonij tibi, facundo ſuadente Philippo,
Ordiar atq; legam nobile uatis opus.
In quo Dulichij deſcripſit Vlyßis Homerus
Errores uarios, damna, pericla maris.
Vtq; ſit Alcinoi uirtutis ob inclyta facta
Vſus amicicia, munere, ueſte, cibis.
Sumptibus adiutus, laceris ratibusq; refectis,
Virtutis tulerit præmia magna ſuæ,
Exemplo tali uult ſignificare Poëta,
Virtutem pretio non caruiſſe ſuo.
Doctrinamq; uiris præbere uiatica doctis,
In quæ nil iuris pontus & unda gerunt.
Sicut Ariſtippus monuit quoq; naufragus ipſe,
Ciuibus illa ſuis eſſe paranda bona,
Quæ ſimul ereptum nudumq; ſequantur ab undis,
Paupertatis onus naufragijq; leuent.
Significans arteis præſtare uiatica doctis,
Doctrinamq; uiris eſſe perenne bonum,

In quod

In quod nil poßint diuerſa pericula uitæ,
Et quod nulla queant eripuiſſe mala.
Ergo bonis animo ſtudijs intenta iuuentus,
Artibus & linguis inuigilare uelis.
Vt tibi certa pares bona, non quæ uentus & unda
Ingenio poßint eripuiſſe tuo.
Quare diuini relegas uigilanter Homeri
Talibus exemplis ſcripta referta bonis.
Illud nec malè te tempus poſuiſſe putabis,
Quod das Mœonijs attribuiſq; libris.
Magnus Alexander cùm tanti fecit Homerum,
Vt comitem belli diceret eſſe ſibi.
Et quoties oculos ſomno mulcente leuabat,
Dicitur hunc capiti ſuppoſuiſſe ſuo.
Ergò iuuenta meis audacibus annue cœptis,
Atq; bonis Muſis non inimica ueni.
Cras quando, uatis, duodena rediuerit hora,
Mœonidæ uobis incipiemus opus.

Zacharias Orthus Pomeranus,
Laureatus Poëta & M.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS Comes in Naſſaw & Catten-Elenbogen, &c.

QVanta ſit infirmitas hominum in agnoſcendis & retinendis ueris ſententijs, in regendis uitæ comſilijs, in gubernatione

morum, consideremus in exemplis præstantißimorum hominum, qui fuerunt inde usq; ab initio generis humani. In his etiam rabiem & potentiam Diabolorum aspiciamus, qui assiduè insidiantur hominibus odio Dei & Domini nostri Iesu Christi. Tristißimi lapsus fuerunt multorum præstantißimorum hominum, quorum alij sanati sunt, ut primorum parentum, Aharonis, Dauidis, Manasse, Petri, & aliorum multorum: alij multò plures non sunt sanati, ut Cain, Pharaonis, Sauli, Herculis, Alcibiadis, Pompeij, Iulij, & innumerabilium aliorum. Quanti furores sunt opinionum in Epicuræis, Stoicis, Cynicis & alijs, ac multò horribiliora exempla sunt fanaticorum hominum, qui manifestam ueritatem in Ecclesia oppugnauerunt, quales fuerunt multi & uarij Hæretici omnibus temporibus, & Mahometici, & nunc sunt Idolorum defensores Pontificij, & ab his conducti Sycophantæ similes Iudæ Canisius, Staphylus & similes, & Anabaptistæ ordinis politici, coniugiorum & iudiciorum hostes.

Has humani generis tristißimas confusiones & ingentem infirmitatem cogitantes cohorrescamus, & remedia & præsidia quæramus, quæ Deus nobis in Ecclesia & patefecit & donauit. Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus crucifixus pro nobis & resuscitatus, immensa bonitate missus est, ut destruat

ut destruat opera Diaboli, peccatum, mendacia, & mortem. Placato Patre saluator est & Merito & Effectione. Vestit nos sua iusticia, ut propter ipsum iusti reputemur. Simul etiam in credentibus efficax est, depellit tenebras, accendens nouam lucem uoce Euangelij, & corda Spiritu sancto ad ueram inuocationem Dei flectens, & confirmans, ut ueras sententias retineant & motus habeant congruentes cum lege Dei, sicut scriptum est: Effundam super domum Dauid spiritum gratiæ & precum, testificantem uidelicet in uera consolatione, nos in gratia Dei esse, extractos ex doloribus inferorum, & accendentem in nobis ueri Dei inuocationem, & cum eo corda nostra copulantem. Hæc æterna beneficia uult nos Deus agnoscere & accipere. Et Filius clamat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, merito & effectione. Item: Petite & accipietis. Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Gratißimus Deo cultus est hæc bona petere, quæ quidem cùm uerax sit Deus, haud dubiè dat petentibus. Et grauißimè dictum est à Taulero: Nunquàm cor humanum tàm auidum est ad accipienda dona Spiritus sancti, quàm auidus est Deus ad ea largienda.

Sit autem petitio coniuncta cum conuersione, quia non accedunt ad Deum, non adferunt ad eum

uota & gemitus, qui perseuerant in sceleribus contra conscientiam. Et simus memores dicti Nazanzeni: πᾶν τὸ κατοιζθοῦμενον παρὰ θεοῦ ὄνειδος ἔστω δὲ τοῖς καλουμένοις καὶ ὄντως νεύσασι. Non arroganter loquitur, non ostentat meritum, sed uult petitionem accedere, nec dissentire nos ipsos à petitione. Vt igitur uitæ cursus tibi & alijs sit salutaris, agnosce communem Ecclesiæ confessionem, de Spiritu sancto: Sine tuo numine, nihil est in homine, & ueris gemitibus petito, ut filius Dei te Spiritu suo sancto gubernet, sicut Propheta clamat: Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum non auferas à me. Simul etiam uera doctrina, de æterno Patre, filio Iesu Christo, & Spiritu sancto in quotidiana inuocatione cogitanda est, & discernenda nostra inuocatio ab Ethnica & aliarum impiarum Sectarum inuocatione.

Cùm autem Spiritus sanctus efficax sit in cogitatione ueræ doctrinæ, ut scriptum est: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, ministerium Euangelij amemus, & gratitudinem erga ministros Euangelij ostendamus, cùm alijs officijs maioribus, tùm uerò & hoc publico exemplo offerendi munera ad aram. Ideo præcipimus, ut cras singuli ad Aram accedant, & significationem suæ uoluntatis erga ministros Euangelij dato munere ostendant. In Pentecoste, quæ est ab exitu Israëlitarũ ex Aegypto Pentecoste 3067.

Caspar

CASPAR PEVCERVS STVDIOSIS MATHEMATVM S. D.

PRoxima die Iouis, Deo iuuante, ordiar enarrationem quinti Libri Elementorum Euclidis, qui Geometriæ, Arithmeticæ, Musicæ, & uniuersim toti Mathesi communis, initia & fundamenta explicat doctrinæ περὶ ἀναλογιῶν. Quorum cùm sit & ratio certissima atq; euidentissima, & usus amplissimus, latissimèq; fujus in artes omnes, ac partes uitæ communis, hortor auditores meos, ut frequentes adsint prælectioni, & agnoscere studeant doctrinam dulcissimam de analogijs. Nihil admirabilius est, nihil perfectius hac ipsa.

Ex ea enim artes reliquæ, uel extructæ sunt totæ, ut Mathematicæ pleræq;, de quibus sæpè dicitur: uel fundamenta petunt, ac subsidia præcipua, quibus & illustrantur & confirmantur. Has non intelliget facilè, aut rectè discet, nisi qui hæc elementa degustarit prius, & exercuerit. Analogiarum omnium, quarum recitantur præcipuæ tres differentiæ, ἀριθμητική, γεωμετρική & ἁρμονική, exempla innumera, & oculis obuia, is, quem uerè Plato ait, ἀεὶ γεωμετρῶν, Deus, scilicet, Architectus naturæ, & tantorum operum Rector, moderator.

moderator & conseruator, tùm impreßit in omnes fabricæ mundi partes, tùm sparsit atq; intexuit in artes ac disciplinas, tùm in Imperiorum, Rerumpublicarum & totius generis humani admirabili gubernatione quotidiè exhibet ac ꝓponit sapientiæ inenarrabili. Analogijs ex magna rerum uarietate deuincta inter se, atq; colligata consistit & conseruatur machina mundi,

Ex Analogico, & ad certam destinatamq;, ac cuilibet propriam speciem directo, neq; ut finxerunt Epicurei, fortuito concursu complexuq; inter se, & coalitu elementorum, lumine cœlesti mirificè temperatorum, coēunt, & nascuntur corporum mixtorum differentiæ, quæ singula ex elementis dißimilimis certa, rataq; in singulis speciebus, & constant proportione conflata in plurimas ac diuersas partes, atq; ex his ipsis partibus, quarum separatim nec species aliqua est, neq; usus collocatione conuenienti, & apta compositione coagmentata in unum corpus, solæ Analogiæ conformant, exornantq; uelut ornatu ultimo accommodato intus forisq;.

Analogia elementorum in mixto dissoluta, aut uiciata, extinguuntur aut labefactantur corpora. Connexorum membrorum Analogia depranata, deformantur insigniter, ut discordiæ monstrosorum corporum species docent. Deniq; gignunt, constituunt,

tuunt, absoluunt, expoliunt, condecorant, sustinent, commendant Analogiæ res omnes, tàm à natura de elementorum συγκρίσει effectas, quàm industria artis & opificum elaboratas. Κατ' ἀναλογίαν diuina prouidentia dispensat, moderatur & gubernat humana omnia, Et rectè instituuntur, geruntur, & fiunt, quæ prudentiæ subiecta humanæ reguntur consilijs nostris. Nihil est iusticia, nisi analogia. Nihil τὸ νόμιμον ἅπαν, nisi ἀνάλογον æternæ & immotæ sapientiæ, quæ est in Deo mundi opifice, qui huius sapientiæ suæ & Idæam expressit in Analogijs corporum mundi mirabiliter conformatorum, & coniunctorum inter sese, & radios transfudit in hominem, intellectu huius suæ sapientiæ sensuq; imbutum. Empedocles alludens ad Analogicam mundi fabricam, atq; administrationem omnium rerum diuinam, ac sapientissimam, fusum esse cecinit atq; explicatum τὸ φυσικόν νόμιμον, in totam rerum naturam:

Ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιμον διὰ τ' ἐυρυμέδοντος
Αἰθερος ἠνεκέως τέταται, περὶ ἄπλετον ἀγγός.

Et ut semel dicam, Analogicon est, quicquid rectum est, & constans. Distortum rursus, & falsum, quicquid ab Analogia recedit. Ostendunt

Analogiæ

Analogiæ, quòd sit Deus sapiens, iustus, intelligens, & amans ordinis, & autor ordinis, ἀναλογίας, ut Paulus inquit, qui ad Analogiam Fidei omnia referri, & existimari uult in Ecclesia.

Quare ut propius aspicere, & considerare rectius uim & euidentiam Analogiarum adolescentes in natura rerum, disciplinis, communi uita, consuescant: excolant, ac præparent sese hac communi doctrina in scholis, cuius usum postea experientur in alijs artibus, ac præcipuè Geometria, Arithmetica, Musica, Astronomia, Mechanica, &c. maximum esse. Cumq; sit ἀναλογία χέσις τινῶν λόγων, περὶ λόγων, etiam aliquid monebo. Censetur autem hæc de Analogijs doctrina descripta primùm, atq; comprehensa esse ab Eudoxo, qui, & præceptor Platoni, & in professione Ægyptiaca comes, uel ductor potius, & studiorum in Ægypto socius fuit. Pridie Calend. Iunij, 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

CVm nomen regionis NORICÆ in ueteribus historijs sæpè celebretur, consentaneum est, fuisse tunc quoq; ciuitates in ea regione legibus constitutas, & ordinem uitæ, & uirtutem aliquam fuisse. Complexa est autem magnam partem

partem regionum, quæ nunc Bauariæ, Austriæ, & Stiriæ adpellationes habent. Ac dictum Homeri Νώροπα χάλκου Græci scriptores interpretantur Noricum ferrum, quod firmitate longè uincit ferrum alibi natum, & copioſè in Italiam, & in Insulis maris Adriatici nunc quoq; inuehitur, & olim inuectum est. Nec dubium est, quin Norici dicti sint, quasi Arctoi, à Nort, quod est pars Arctoa, opposita meridiano Cardini, quasi ultimus limes, Am Ort, uel Nach Arcto.

Est autem NORICI appellatio regionis sitæ inter Noribergam, & iuga Boëmica, circa Ambergam Electorum Palatinorum urbem.

In eius urbis uicinia natus fuit MICAEL FICVS, uir studioſus, & rectè inuocans Deum. Fuit in Academia amplius quinquennio, ut audiendis aliorum iudicijs confirmaretur, eamq; ob causam uictu sordidiore usus est, qui morbum ei attulit ἰκτερικὸν, qui à giluo colore auis nomen habet. Est autem Epatis obstructio, qua fit, ut flaua bilis non effluat, sed spargatur in totum corpus, nec gignatur sanguis coctione Epatis. Inde cùm secuta est ἀπεψία, homo extinguitur. Sit igitur curæ & singulis Epatis incolumitas.

Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora quarta ad funeris ceremonias ante Nosocomium Academiæ conueniant, & ibi singuli suam uitam

&

& Ecclesiam pijs precibus commendent. Calendis Iunij. 1558.

CATECHESEOS STVDIOSIS IN INCLYTA ACAdemia VVitebergensi.

S. D.

CONditum est hominum genus, neq; ad huius uitæ calamitates, ut omnibus fortunæ telis expositum perpetuis miserijs degat, quemadmodum apud Homerum Achilles iudicat, neq; ad fugaces uoluptates, ut luxui dedita Epicureorum multitudo existimat, sed ut in eo luceret imago sapientiæ & iusticiæ Dei, atq; domicilium esset Spiritus sancti, qui illud cum Patre & filio æterna societate copularet.

Ita enim initio creatus fuit Homo, ut in mente flagraret lux ardens agnitione, sapientia, & amore Dei, in Voluntate esset dulcis & suauis harmonia congruens cum uoluntate diuina, in Corde existeret conuenientia omnium utrium & affectuum, cum ipso archetypo Deo, atq; semper in omnibus consilijs, deliberationibus & actionibus à Spiritu sancto gubernaretur.

Sed primi parentes mandato Dei neglecto, & excusso rectore Spiritu sancto, per suam inobedientiam,

entiam, non sibi tantùm, sed & toti posteritati attraxerunt horrenda mala : tristem Mentis caliginem, Voluntatis auersionem à Deo, & Cordis contumaciam, ut nunc Mens assiduis dubitationum procellis de Deo & prouidentia concutiatur, Voluntas plerunq; quæ displicent Deo, agat, & cor infinitis uiciosorum affectuum Euripis exæstuet.

Quare Deus admiranda bonitate, atq; inenarrabili misericordia, rursus post lapsum, primis parentibus se non tantùm patefecit, & eos cum posteritate in gratiam recepit, uerumetiam per filium, uerbum suum reuelauit, quod docet, quomodo imago Dei in homine denuò sit instauranda, & qua ratione à singulis uelit agnosci, inuocari, & celebrari. Hoc uerbum ut omnes discant, & assiduè meditentur, seriò flagitat, ut Iosuæ primo capite præcipit : Non recedet uolumen uerbi huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias quæ scripta sunt in eo. Tunc diriges uiam tuam, & intelliges. Non declines à uerbis Legis huius, uel ad dextram, uel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non enim nobis liberum est nouas de Deo opiniones confingere, sed de eo credendum & sentiendum est, sicut se in uerbo per Prophetas & Apostolos tradito, patefecit. Nec alio uult se coli modo, quàm eo, quem

in ſuo uerbo expreßit, inquit Deut. 12: Quæ tibi præcipio, hæc tantùm facito, Non addes aliquid, neq; minues. Et ſemper in conſpectu eſſe debet dictum Pſalmi 119: Lucerna pedibus meis uerbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis.

Quemadmodum autem in ædificatione neceſſe eſt integram Ideam ædificij architectum in mente tenere: ita in omnibus doctrinis integrum corpus comprehendendum eſt, & res proprijs & ſignificantibus uerbis exprimendæ ſunt. Ideò præcipit Paulus, ut diſcentes & docentes habeant ὑγιαινόντων λόγων, hoc eſt, certam formam, ſeu ſummam doctrinæ, certa methodo & ordine propoſitam, & euolutam, quæ in omnibus controuerſijs & diſputationibus iudicij norma ſit.

Pio itaq; & bono conſilio conſcripſit D. Præceptor Philippus EXAMEN ordinandorum, ut eruditam & methodicam explicationem præcipuorum doctrinæ Chriſtianæ locorum, & docentes & diſcentes haberent. Eſt autem hic liber breuis & erudita ἔκθεσις Locorum communium, de quibus uiri reuerendi, piæ & laudatiſſimæ memoriæ, Doctoris Martini Lutheri, Germaniæ Eliæ, graue & honorificum teſtimonium extat: Hunc librum ſemper in Eccleſia retinendum eſſe, propterea quòd doceat, pugnet, atq; triumphet.

Quamobrem quòd de Locis communibus Lu-

therus

therus dixit, idem de hoc libro affirmare possumus. Ideoq; quantum fieri potest, opera danda est, ut familiarissimè cognitum & perspectum eum nobis efficiamus.

Etsi enim non omnes ex professo Theologi futuri sumus, tamen cùm unumquenq; fundamentum suæ salutis scire oporteat, necesse est, ut scripta, quæ summam doctrinæ Christianæ proponunt, studiose legamus, & familiariter nota nobis reddamus. Discebant olim Socratici, Platonici, & alij, suæ Sectæ instituta: Quantò magis decet nos, qui Christianorum nomen à Christo accepimus, noscere doctrinæ Christianæ summam, Quæ cùm melius disci non possit, quàm ex hoc libro, omnes candidi & sine affectibus iudicantes in eo discendo plurimum sibi temporis & operæ collocandũ esse intelligunt.

Non enim audiendi sunt isti crabrones, qui etsi ipsi nihil dignum piorum auribus, nihil dignum re, nihil dignum Theologi nomine edere atq; efficere possunt, tamen non solùm in Theologia, sed etiam in artibus scriptos à Philippo libros reijciunt, & iuuentuti non proponendos contendunt, quibus accidit iuxta Eueni Græci Poëtæ uersus:

πολλοῖς ἀνάλεγεμ μὴν ἐθ᾽ ὡρὶ ὡάντ᾽ ὅσοίς
ὀρθῶς δ᾽ ἀνάλεγεμ οὐκ ἐά τοῦ τ᾽ ἐμ ἐᵹ.

Est multis pariter mos omnia dicere contra,
Sed non est similis dicere recta labor.

Nos uerò memores uocis diuinæ, Non dices falsum testimonium, reuerenter dona Dei in aliis agnoscamus, & grata mente accipiamus, & præferamus iudicium Lutheri, qui ut diuinitus ad totius doctrinæ cœlestis repurgationem excitatus est, & rectißimè doctrinam cœlestem intellexit, ita optimè de aliorum scriptis iudicauit, & nuper uir clarißimus & optimus, D. VICTORINVS STRIGELIVS, qui cum magna laude, & approbatione omnium eruditorum, ueram de Deo doctrinam, & artes humanæ uitæ necessarias propagat in inclyta Academia Ienensi, affirmabat, se idem iudicare de EXAMINE ORDINANDORVM, quod Diuinus ille LVTHERVS atq; omnium Theologorum Princeps, Locis Communibus tribuit, nec scire se ullos libros doctrinam cœlestem explicantes, qui cum maiori fructu legi possint, quàm Lutheri & Philippi.

Quapropter, cùm omnia mea studia semper ad hunc scopum direxerim, ut Deo grata, & Ecclesiæ utilia, atq; salutaria aliquando esse possent, decreui, iuuante Deo, enarrare, EXAMEN ORDINANDORVM, à præceptore nostro PHILIPPO conscriptum: & ut monstrem in grauißimis rebus doctrinæ cœlestis usum artium dicendi, quas hactenus aliquibus proposui, & iam denuò

denuò explicandas ſuſcepi: & ut me & alios ad diligentiorem cogitationem de his tantis rebus, exuſcitem.

Hanc autem unicam mercedem paciſcor ab eis, qui me ſunt audituri, ut candidè de his meis primitijs in ſtudio doctrinæ cœleſtis iudicent, & mecum orent filium Dei, qui nos docuit à iuuentute noſtra, ut deinceps quoq; uſq; ad ſenectutem & ſenium nos doceat, & largiatur nobis intellectum, ut ſciamus teſtimonia eius, nec in hac triſti laniena Doctorum in Eccleſia derelinquat nos, nec diſcedat à nobis, nec auferat à nobis uerbum Veritatis uſq; in æternum. Nonis Iunij, quibus hoc anno 1558. Eccleſia proponit Articulum de tribus Diuinitatis perſonis.

Simon Pauli
Suerinenſis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS

Comes in Naſſaw, CattenElenbogen, Vianden ac Dietz, &c.

Siracides capite tertio inquit: **Qui amat periculum, in eo peribit.** *Eius admonitionis exempla triſtia, & innumerabilia cernuntur quotidie in multis, qui ruentes extra uoca-*

tionem res non necessarias mouent. Vt, Alcibiades, Annibal, Perseus, Antonius, & innumerabiles alij, non necessarijs bellis, sese, & patria regna euerterunt. Ita in priuatis negocijs sæpissimè cœcis cupiditatibus attrahunt homines pericula. Milo Crotoniates confisus robore findit arborem brachijs, quæ cùm in trunco coêunte hærerent inclusa, lacerantur pedes eius à Lupis. Ita pœnas dat stultè ostentans uires suas:

Sic multi in undis confisi arte natandi pereunt, qua in re non tantùm fortuna metuenda est, sed etiam Diabolorum insidiæ, à quibus multos uarijs modis impelli in exitia, nihil dubium est. Et exempla uidimus multorum, qui in Albi perierunt, quibus insidiatos esse Diabolos, inde animaduerti potuit, quia proximis noctibus ante eorum interitum conspectæ sunt faculæ discurrentes, & uelut lusitantes inter undas Albis.

Cogitantes igitur de periculis uestris, paterno animo seuerè præcipimus Scholasticis, ne ingrediantur in Albim, & ne tentent natationes. Eaq; in re suo periculo moueantur, & sint memores dicti: Qui amat periculum, peribit in eo.

Deinde suorum parentum uoluntatem singuli intueantur, qui & ipsi prohibent hos ludos, &

nostram

nostram uigilantiam, & uocem postulant. Verè autem offendunt Deum, qui parentum uoluntatem contemnunt. Deinde cùm summo dolore adficiantur parentes in interitu filiorum, crudelitas est non cauere, ne in talem dolorem culpa uestra conijciantur.

Itaq; obtestamur uos, ut cupiditati uestræ Deum & parentes uestros anteferatis. Cogitate etiam in agone illo, cùm anima discedit à corpore, opprimi consolationem conspectu illius peccati, quod parentibus pro σοφγῆ, & pro omnibus beneficijs hanc gratiam reddidistis. Quoties audiuimus honestos adolescentes piè morientes dicere, se magis dolere parentum, quàm sua causa, quòd in ea ætate à uiuis parentibus abstrahantur. Quantò maior est dolor in his, qui sua petulantia, sese perdiderunt?

Innumerabilia sunt pericula ὃυκ ἀνθαλγετα, de quibus dixit filius Dei: **Orate, ne intretis in tentationem.** Quantò plus mali est, illis plura consulto addere? Ambulate, inquit Paulus, non ut fatui, sed cogitantes mandata Dei, & præsentiam Dei in pœnis petulantium, & in tuendis modestis eum inuocantibus.

Hoc nostrum edictum proposuimus paterno animo, & uice Parentum uestrorum, & ut ob-

temperetis seuerè præcipimus. Simul etiam precamur filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, custodem Ecclesiæ suæ, ut semper inter nos æternam Ecclesiam colligat, & nos omnes gubernet & protegat.

Datæ die Solstitij æstiui,
Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS

Comes à Nassaw, Ac Dominus in CattenElenbogen, Vianden & Dietz, &c.

LAudatio est uiri diserti apud Homerum; Σοὶ δ' ἐνὶ μὲν μορφὴ ἐπέων, ἐνὶ δὲ φρένες ἐσθλαί. Vtraq; laus magna est, sed alterum bonum, rectitudo uoluntatis & consiliorum antecellit. Ad id tamen cùm sermonis splendor antecedit, ingens decus est hæc copulatio.

Talis erat MARTINVS SEIDEMANVS. Valebat ingenio, & natura ad Eloquentiam idonea erat. Et optima doctrina excultus erat. Quare in ipsius Oratione eximia erat elegantia. Ad hæc bona addidit honestam morum gubernationem. Cumq; rectè didicisset doctrinam

de inuo-

de inuocatione Dei, Filius Dei in eo uoce Euangelij, & Spiritu sancto ueram pietatem accenderat. Quare & studia ad utilitatem Ecclesiæ referebat.

Diu multos rectè, & utiliter erudijt in schola Mansfeldensi, & in Academijs, Erfordiana & nostra. Vtinam uerò longiora ei uitæ spacia Deus tribuisset propter Ecclesiæ utilitatem.

Sed cùm euocauerit Deus eum ex hac militia, grati ipsius laborum memoriam retineamus, & studia ac honestos mores Iuuentus imitetur. In hoc longo morbo quotidie sese, Ecclesiam, honestißimam coniugem, & filium & filiam pia inuocatione Deo commendauit. Nec dubitamus, eum in illo cœtu esse, de quo scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur igitur Scholasticos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora duodecima conueniant. Die 14. Iunij, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Nescia mens hominum fatis sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

HAnc querelam ueram esse plurimorum excellentium hominum tristes exitus ostendunt.

dunt. Pompeij, Iulij, & aliorum innumerabilium, qui in secundis rebus securi, & negligentes subitò tristißimis casibus oppreßi sunt.

Natura hominum per seſe infirma est, & infinitis mutationibus obnoxia. Et accedunt insidiæ Diabolorum, qui delectantur pernicie hominum, sicut scriptum est: **Circuit Diabolus tanquàm Leo rugiens, quærens quem deuoret.**

Vult autem Deus nos, & infirmitatem nostram, & Diabolorum insidias considerare, & ad Dominum nostrum Iesum Christum confugere, qui adparuit, ut destruat opera Diaboli.

Vult etiam nos non accersere pericula cœcis cupiditatibus, sed uitare occasiones, sicut dicitur: **Vitare peccata est uitare occasiones peccatorum.** Item: **Qui amat periculum, peribit in eo.**

Has admonitiones à Deo traditas, sæpè auditis, & ex parentibus uestris, & ex alijs, qui uos docent. Et quotidie multa tristia exempla cernuntur. Sed tanta est in quibusdam feritas, ut securi contemnant Deum, Parentes, & omnia exempla iræ Dei.

Interfectus est heri ADAMVS SVENTER, natus in oppido Norico KELHEIM, qui

qui adhuc habet uiuos parentes, & orta est pugna ex leuissima occasione.

Obiecerat ei pedem in choreâ alter gladiator petulanter ὑποσκελίζων. Hinc furiæ Diabolicæ utrumq; commiserunt.

Perijt confossus gladio Adamus, quem rectius fuerat uitare occasionem tanti mali. Sed petulantiæ pœnam & alter dabit.

Dolemus autem & Adami uicem, cuius mores audimus sine crudelitate fuisse, & propter ipsius parentes, qui nunc in perpetuo luctu uiuent, amisso filio tàm tristi casu. Ac uterq; non tantùm sese in periculum proiecit. Dolebunt hi amisso filio, Dolebunt illi, quòd filius cruore hominis consperſus est, à quo non fuerat ortum initium rixæ.

Præcipimus autem omnibus Scholasticis, ut sint modesti, & de ira Dei, & de suis periculis cogitantes, uitent pugnas, & pugnarum occasiones, & petant à filio Dei protectionem, qui dixit: Orate, ne intretis in tentationem. Hæc in funere iam cogitanda sunt, quod fiet hodie hora quarta, ad quod conuenientes suam uitam Deo pia precatione, & ueris gemitibus commendent. Die 14. Iunij, Anno 1558.

Rector

ANNO 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

EXimia uirtus fuit parentum Reuerendi uiri D. MARTINI LVTHERI, qui quidem & exempla esse poterant ueteris Germanicæ rectitudinis & modestiæ. Et facultates erant sufficientes ad honestam liberorum educationem, & ut inter honoratos ciues pater esset, & cum præcipuis familijs in ea uicinia adfinitate, & multis officijs coniunctus.

Mater fuit nata in familia LINDEMANNORVM, cognata uiri clarißimi Doctoris Laurentij Lindeman. Erat autem eius matronæ tanta prudentia & uirtus, ut Elisabetæ, Zachariæ coniugis aut similis sanctæ & sapientis matronæ mores referre uideretur. Illa sciscitantibus familiæ originem, tempus nati filij, indolis signa in adolescente multa digna consideratione commemorabat.

In ijs sermonibus & hoc fuit, semper filium Martinum fuisse fratri & sororibus rectorem morum, tantamq; fuisse mutuam beneuolentiam inter duos fratres, nullum ut sodalem alter alteri præponeret, nullo & cibo & ludo alter sine altero delectaretur.

Postea multi hîc uiderunt inter fratres Doctorem

ctorem Martinum Lutherum, & Iacobum Luthe-
rum perpetuum nequaquàm fucosum amorem, sed
ueram & innatam pectori mutuam σοργὴν, quæ
mutuis officijs utriusq; multis & magnis confir-
mata fuit.

Ac Dei beneficio uiuit adhuc Iacobus Luthe-
rus sæpè deplorans mortem fratris, cùm intuetur
multas tristes confusiones, quæ mortuo fratre ac-
ciderunt. Nunc ei ad hos dolores accedit & hoc
uulnus, quòd senex filium uirum ingenio & uirtu-
te præstantem, Martinum Lutherum, sic à patruo
nominatum, & patrem aliquot filiorum & filia-
rum immatura morte discedere uidet.

Dolemus igitur & nos, cùm propter mortem
honesti uiri, tùm uerò propter luctum parentum,
& honestæ coniugis, & propter sobolis orbita-
tem, & Deum oramus, ut his mœsticiam leniat.
Ipse Martinus Lutherus in hoc longo morbo & se-
se & Ecclesiam, & patriam & suos Deo fiducia
Mediatoris quotidie commendauit.

Hortamur autem Scholasticos, ut ad pias fu-
neris ceremonias hodie hora duodecima conueni-
ant, ubi singuli & suam uitam & Ecclesiam Deo
pijs precibus commendent, cùm quidem tàm mul-
tæ publicæ & priuatæ calamitates nos de petendo

auxilio

auxilio Dei commonefaciant. Datæ die 15 Iuſſi,
Anno 1558.

DE OBITV DN. MARTINI SIDEMANI, ET DN. MARTINI LVTHERI, IACOBI F. *ad honeſtiſsimum uirum, uenerandæ ſenectutis, Iacobum Lutherum Coſ. Mansfeltium.*

NEſcio quæ tangunt noſtras præſagia mentes,
Et ſeu facta prius ſiue futura monent.
Cùm redij notas undantis ad Albidos oras,
Omnia ſunt oculis triſtia uiſa meis.
Ecce ſalutanti quidam mihi dicit amicus:
Quem quæris, requiem nunc Sidemanus habet.
Nanq; hodie tumulatus homo eſt. Vix iſta locutum
Audio, deſtituit uiuidus oſſa calor.
Procedo mox alter adeſt, qui te quoq; mortem
Paulò obijſſe refert ante Luthere tuam.
Tunc ego pallidior cera buxoq; recenti
Viſus eram in geminos procubuiſſe pedes.
Iam ne uides quanum tua te fortuna fatiget
Mansfeltum, non tot diues ut ante bonis?
Vna dies terræ Sidemanum condit in aluo,
Teq; Luthere dies una eademq; necat.

Quos

Quos ego miratus patriæ uenerabar alumnos,
Ingenio magnos & pietate uiros.
Alter in arcanis Sophiæ penetralibus artes
Imbiberat, Latio norat & ore loqui.
Norat & ore loqui Graio, quo munere linguæ
Vix illi similes unus & alter erant.
Alter Iusticiæ normas & iura tenebat,
Ille è fratre tuus magne Luthere nepos.
Profuit is multis quoties respublica iußit,
Et Dominis carus Principibusq; fuit.
Hos adeò lugemus, & istud flebile tempus
Arbitrio ferimus sic Deus alme tuo.
Multaq; cùm ueniant, nam nuper & ipse Molerus
Doctor obit: ferre hæc tu mala Christe iuua.
At uenerande senex Iacobe Luthere, parensq;
Qui desles nati funera iure tui:
Respice iam sursum, reminiscere temporis acti,
Te fratremq; tuum ut texerit ante Deus.
Hoc etiam porrò faciet qui cuncta gubernat,
Et tibi turbato gaudia certa dabit.
Sic equidem spero, sic me consolor & ipsum,
Mortales animum cùm subiere uices.

Zacharias Prætorius.

Rector

ANNO 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS Comes à Nassaw, CattenElenbogen, Vianden & Dietz, &c.

ESse Deum, & talem esse, qualem se in Lege describit, sapientem, iustum, beneficum, castum, iudicem, & uindicem scelerum, Lex ipsa transfusa diuinitus in creaturas rationales testatur. Testatur idem legis conseruatio in executione pœnarum. Nam Deus custos Legis retrahit ad pœnam sontes, etiam cùm Magistratus aut negligunt officium, aut facere non possunt. Etsi autem exhauriri sapientia Legis diuinæ non potest, tamen de eius autoritate, quæ immota est, & de causis antecedentibus & sequentibus sæpè & reuerenter cogitandum est.

Vtilitas huius Legis, Non occides, manifesta est. Vult enim Deus conseruari societatem generis humani. Sunt autem & aliæ antecedentes causæ. Non uult Deus à Diabolis & Hominibus trucidari Filium Dominum nostrum Iesum Christum, qui est imago æterni Patris. Ad hunc filium Dei Lex illa primum referatur. Deinde nec reliquam massam naturæ humanæ uult Deus deleri, quæ est domicilium Dei, & in qua lucet Filius, qui est imago æterni Patris.

Cùm

Cùm pecudes interficiuntur, nihil pecudis superest, quod uiuat. Nec pecudes ad æternæ uitæ societatem conditæ sunt. Et subiecit eas Deus hominum dominio. At trucidato Christo supereſt diuina natura sociam massam desiderans, & uindictam ordine iusticiæ poscens. Trucidato etiam alio homine contra Legem Dei, supereſt anima, desiderans sociam massam, & uindictam poscens, sicut scriptum est: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nec homo sic in potestate sua est, ut ius habeat dissoluendæ copulationis animæ & corporis, quam condidit Deus, ut esset perpetua. Hæ tantæ causæ in Lege: Non occidas, considerandæ sunt. Sed auersos animos à cogitatione de Deo, de Lege, de causis tantæ Legis, incitant & armant Diaboli ad trucidandos homines contra legem Dei.

Vult autem Deus Magistratus suæ Legis custodes esse, qui utinam faciant officia diuinitus mandata. Nos non sumus armati gladio, sed sonamus uocem ueræ doctrinæ fideliter, & eos qui furenter ruunt contra Legem diuinam, iubemus ex nostro cœtu discedere, & pronunciamus eos infames, execrandos, & uitandos esse, ut uetustas nominauit ἀλάσορας, & in ueteri carmine execratio terribilis est, ἄφρικτως, ἀθέμιστον, ἀνέστιον ὄστιν ἐκεῖνον.

Cùm igitur Theodorus Hoken Danus interfecerit Adamum Suenter Kelheimensem, pronunciamus illum, eo ipso facto amisisse ius nostræ societatis, & eum perpetuò excluſum esse ex nostra societate & Academia uolumus.

Excludimus etiam ex nostra societate & Academia perpetuò Ieremiam Hintium Delicianum, qui gladium attulit Adamo ad dimicationem.

Excludimus etiam ex nostra societate & Academia perpetuò Georgium Dissenhusen Liuoniensem, & Iohannem Baumgartnerum Rigensem, quia alios ad dimicandum euocauerunt, cùm de prouocatione extet prohibitio nostra seuerè scripta. Petimus etiam à Magistratibus oppidi, ne tribuant his condemnatis hospitia.

Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς, ut cœtum nostrum pio studio docentem & discentem Ecclesiæ doctrinam gubernet & servet.

Hortamur etiam adolescentes, ut uoluntatem Dei, & parentum, & sua pericula considerent, & sint

& sint memores dicti: Sobrij estote, & uigilate, quia Diabolus tanquàm Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. *Aduersus hunc muniant se cogitatione Legis diuinæ, diligentia uitandi insidias, & malorum euentuum occasiones, & ardenti precatione, sicut Dominus inquit:* Orate, *ne intretis in tentationem. Nec existiment hunc cœtum, qui audit uocem Legis diuinæ, & Euangelij similem esse debere Cyclopum, & Læstrygonum agmini, sed Ecclesiæ Dei ciues, & membra filij Dei esse debere. Datæ die decimo nono Iunij, Anno 1558.*

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS

Comes in Nassauu, Ac Dominus in CattenElnbogen, Vianden & Dietz, &c.

REgula uitæ est: Milita bonam militiam, retinens fidem, & bonam conscientiam. Ac tales qui sunt, sunt uasa misericordiæ, id est, organa Dei, suæ animæ & alijs salutaria, quod maximè expetendum, & optandum est singulis hominibus. Talis fuit senex honestus, & sanctus, qui at-

tigit annum ſeptuageſimum, Cuſtos templi noſtræ Eccleſiæ IOHANNES ALBERTVS, natus in oppido ZERBEK, quod à ueteribus Sorabis nomen habet. Nam & Deum rectè inuocabat, in agnitione & fiducia Mediatoris, & genuinæ uitæ fuit utile diſcentibus. Arithmeticam & Catechesin docuit circiter triginta annos. Has doctrinas eſſe præcipuas, & maximè neceſſarias homini manifeſtum eſt. Deinde in templo annos ferè 26. ſeruiuit, non modò in aperiendis & claudendis ianuis, ſed illo maximo officio, quòd fideliter adiuuit Eccleſiam in precatione. Et uita domeſtica fuit caſta, & plena bonorum exemplorum. Hunc ei curſum gratulemur, & petamus à Deo ſinguli, ut nos quoq; uaſa miſericordiæ faciat. Id quantò melius eſt, quàm imperia & tyrannides tenere, cum contumelia Dei, & pernicie generis humani, ut tenent impij Pontifices, & eorum ſatellites, Tyranni & Sycophantæ. Simus memores dicti Pſalm. 84: Elegi potius habitare ad ianuam domus Domini, quàm in palatijs impiorum.

Hortamur autem Scholaſticos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta conueniant, & ibi cogitent, quantum bonum ſit pium & tranquillum uitæ genus, & utile communi uitæ, nec ardua adpetens, iuxta dictum: Superbis Deus reſiſtit, humilibus

milibus autem dat gratiam. Et commendemus in his congreßibus filio Dei, & nos ipſos, & publicam Eccleſiæ ſalutem, quæ in his Regum bellis, & ſæuicia & tanta rabie Sycophantarum magnas ærumnas ſuſtinet. Datæ die 12. Iunij, Anno 1558.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia VVitebergenſi M. Petrus Vincentius Vratislauienſis.

Poſtquàm ſæua ſemel totum Bellona per orbem
Concußit tremula dira flagella manu,
Facta ſit, ut rerum facies triſtißima, ſi quis
Non uidet, humanæ nil rationis habet.
Terretur uarijs belli rumoribus orbis,
Quorum principium iuſtaq; cauſa latet.
Horridus in campis miles graſſatur, & urbes
Vulnificus cogit ſæua timere Latro.
Fracta iacet legum quondam ueneranda poteſtas,
Quodq; libet ſibi nunc quiſq; licere putat.
Iura, fides, uirtus, tuq; ô Pax optima rerum
Nunc eſtis, præter nomen inane, nihil.
Quodq; magis doleas lacrymas effuſus in undas,
Sinceræ tangit quem pietatis amor,
Grata Deo pietas, & nomen amabile Chriſti,
Sub pedibus populo Principibusq; iacet.

Cunctaq; turbandi furor, & uesana libido
Futilitas linguæ stulta, nocensq; bonis,
Et dolus, & nimium rabiosa calumnia sanctum
Assertæ titulum Relligionis habent.
Solus hypocritica ueterator Apostata fraude
Regibus adplaudens & populo, ille placet.
Hæc inter, crescit feritas, mala, bellaq; bellis
Miscentur, cædes cædibus, ira dolis.

Quæ tu sancta uidens oculis Ecclesia Christi
Flebilibus, ueluti tristis & ægra uides,
Tolle oculos, & facta animis hæc subijce lætis,
Præsens festa dies quæ meminisse iubet.
Illius historia est quia temporis huius imago,
Baptistæ cunas actaq; prisca canens,
Iudæam multus ferro uastabat & igne
Miles, odoratis exitiosus agris.
Hinc Syrus, inde rapax septemplicis accola Nili,
Et niger, ac raso uertice toruus Arabs.
Tempore quo profugus regno Ptolemæus auito,
Iordanis madidam sanguine fecit humum.
Luce trucidatis ter denis millibus una
Infœlix, fines per, Galilæa, tuos.
Ignibus elixas matres, puerosq; tenellos
Immanes epulas patribus esse dedit.
Horresco referens, nec adhuc sunt tristia fata
Hæc satis, heu damnis addita damna malis.

Impius

Impius Herodes metuens regnoq; ſibiq;
Ciuili patrios ſanguine fœdat agros.
Ille ſuæ ſocrus, & caræ coniugis, & poſt
Natorum Lanio, totius atq; domus
Committit motis gentem ciuilibus armis
E quibus exoritur protinus omne nefas.
Virtutem exilio furioſa licentia plectit,
Omne Dei nomen pellitur, omnis honos.
Vt ſtatus in populo fuerit deflebilis iſto
Pro re nulla ſatis dicere lingua poteſt.

Attamen immanes furias pereuntis & inter
Iſraëliticæ fata dolenda domus,
Sedula protexit diuinæ dextera curæ,
Baptiſtæ cunas Zachariæq; domum,
Quæ ueluti ſynagoga fuit, pia dogmata ſeruans,
De nato fuerant ut patefacta Dei.
Huc Simeon, annis grauior rugaq; ſenili,
Huc mater longas uirgo profecta uias.
Huc ſancti circum tutos habuêre receptus
Vicini, uero dedita turba Deo,
Quando alios alij de Relligione monentes,
Meßiæ norant tempus adeſſe ſui.
Iamq; futura Dei genitrix caſtißima uirgo,
Intra uterum cuius clauſus Ieſus erat,
Sublatum è cunis, ulnisq; amplexa Iohannem
Sæpè datis, ſolita eſt dicere, baſiolis:

Viue puer, noſtri pignus mirabile partus,
Nam ſic Angelica uoce ego docta fui.
Viue puer cunctos inter, fœcunda puellos
Quos Iudæa tulit maxime, uiue puer.
Viue tuos implens celeres fœliciter annos
O Domini & nati præco future mei.
Dixit, & alloquio permiſcens oſcula ſouet
Infantem gremio caſta Maria ſuo.
Carmine grex reliquus ſoluit gratantia, ſummo
Commendans ſeſe, uoce manuq́: Deo.

Hæc tàm longa ſibi quid commemoratio tandem
Verſibus exiguis lector habeto, uelit.
Vtraq́; naſcenti & redituri, tempora Chriſti
Congruere ut rebus temporibusq́; ſcias.
Ille quidem ueniet, breuis eſt mora, uindice uultu,
Vt det pro meritis præmia cuiq́; ſuis.
Non tamen arbitrio, dum mundi ſæua tyrannis,
Omnia dum rabies uertit iniqua, ſuo,
Interea nobis, quos uerè diligit ipſe,
Et pater & tutor deſinet eſſe, Deus.
Ergò licet iuſto multum mœrore premamur,
Et pia multiplici corda pauore gemant,
Omnia luctifico quòd ſint ita plena tumultu,
Atq́; inſtet rerum maius ubiq́; Chaos,
Inſano propter graſſantes Marte Tyrannos,
Multaq́; quæ fatuus triſtia mundus habet:

Attamen

Attamen erigimus turbati lumina uultus,
Spe pleni, curet nos, quòd ametq; Deus.
Et ſcimus paruum defendi cœlitus agmen,
Quod Chriſtum iuſſa uoce fideq; colit.
Ipſe ſcholas, cœtum imbellem, paruamq; Sareptam,
Protegit inuicta ſæpè uocatus ope.
Hac ſpe commiſſa nos in ſtatione manemus,
Officij memores ordine quiſq; ſui.
Fecit ut Abiades, ſua quem caſa texit inermem,
Marte foris ualidas concutiente domos.
Atq; pijs operam ſtudijs nauamus, & illam
Nos ô ſumme tibi Chriſte dicare iuuat:
Non ridere iuuat, Staphylus ceu transfuga fecit,
Agnita iamdudum dogmata uera Dei.
Namq; impunitos, diuini numinis ira
Non ſinit in ſancta Relligione, iocos.
Illum ne dubitet, manet ultima pœna parati
Iudicij nato mox ueniente Dei.
Quem precor interea noſtros regat ille labores,
Et foueat cœtus hic & ubiq; ſuos.
Et quoniam noſtri tempus iam muneris inſtat,
In quo de ſtudijs colloquia eſſe ſolent,
Ingenijs & habetur honos, & candida uirtus
Ex merito iuſtæ nomina laudis habet,
Si quibus eſt animus ſeſe ſubmittere noſtræ
Cenſuræ ſua dent nomina, more ſcholæ.

Die Baptiſtæ, Anno 1558.

ANNO 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS Comes in Nassaw, Cattenelnbogen, Vianden & Dietz, &c.

MAgnitudo periculi debebat adolescentes mouere, ne flumen ingrederentur. Ac de periculis non tantùm Edicta nostra uos monent, sed multò magis exempla.

Meminimus honestos adolescentes natos in familijs nobilibus, & alijs, qui in flumine perierunt, Quosdam etiam penè obrutos aquis Deus ex morte eripuit, qui nobis narrarunt, se etiam cùm emergentes in extremo aluei fundo constitissent, tamen sensisse sibi pedes ui retrahi. Qua ex re iudicabant Diabolos in aquis insidiari hominibus. Et huic, qui heri perijt, fracta est ceruix, quod existimamus à Diabolis esse factum. Moueant hæc tristia exempla singulos, ne ingrediantur flumen, eamq; ob causam edictum nostrum rursus proponimus.

Quanquàm autem & Ecclesiæ nostræ, & Academiæ magnum dolorem adfert interitus ALBERTI FORNVVALT, & CVNRADI SCHILT Hannouerensium, qui heri in Albi perierunt, tamen non dubium est, mœrorem honestissimæ matris longè maiorem esse.

Erit & magnus luctus honestissimi uiri do-

trina & facundia præstantis Consulis HEZONIS GRANII, *qui sua liberalitate utriq; sumptus ad discendum præbuit. Propter hunc dolorem iuuentus maiore cura uitam tueri, & regere debebat. Laudat etiam uir eruditissimus, & censor ingeniorum prudens* IOHANNES GLANDORPIVS *utriusq; & indolem & studia. Quare & ipse dolebit, se hos discipulos, quorum uirtus ei in senecta & præsidio & uoluptati esse debebat, amisisse.*

Nos eò etiam magis dolemus, quòd Albertus non temeritate in hanc calamitatem incidit, sed pietate motus opitulari consobrino uoluit. Cùm autem mores alioqui fuerint honesti, & studia laudentur, speramus eos etiam in illo agone inuocasse filium Dei.

Et hortamur Scholasticos, ut ad funeris ceremonias conueniant è regione ædium honestæ matronæ Longicampianæ hora tertia, & singuli uitam suam & publicam tranquillitatem Deo pijs precibus commendent. Valdè etiam hortamur singulos, ut uigilantiores sint in cauendis periculis.
Date 28. Iunij, Anno 1558.

Rector

ANNO 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

VTinam tot triſtia ſpectacula moneant nos, ut in regenda uita diligentiores, & in precatione ſimus ardentiores.

Heri ſepeliuimus ALBERTVM FORNVVALT, *qui cùm uellet opitulari conſobrino in flumine, perijt. Hodie hora quarta ſepeliemus* CONRADVM SCHILT, *qui prior flumen ingreſſus eſt.*

Plena eſt exemplorum quotidiana uita, quæ oſtendunt uitam hominum incertißimam eſſe, & uelle Deum nos non accerſere pericula non neceſſaria, ſicut Petrus iubet nos pati εἰ θεὸν θέλοι.

Parcant adoleſcentes & ſuæ uitæ, & parentibus, & Eccleſiæ, cuius cauſa debent longiorem uitam expetere. Cogitent & uoluntatem Dei uerè paternam erga nos, qui uult nos & noſtræ & aliorum uitæ parcere. Et ſequuntur tales neces publicæ pœnæ.

Oramus autem filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut nos omnes gubernet, & ſeruet, & faciat nos σκεύη ἐλέους, & organa ſalutaria noſtris animabus, & alijs. Id iam in funere precandum eſt, ad quod conueniant Scholaſtici in uico

ante

ante ædes, quas heri conuenerunt. Die Apostolorum Petri & Pauli, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS

Comes in Nassaw, & CattenElnbogen, Vianden & Dietz, &c.

QVantum proh dolor humani sanguinis iniustè funditur, in toto genere humano omnibus temporibus, in bellis, in priuatis latrocinijs & rixis. Ac tantos esse hominum furores, eò magis mirandum est, cùm manifestißimæ pœnæ mox delicta sequantur. Et Deus sit præsens executor regulæ suæ: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit: Sed multi & incitati à Diabolis & sua audacia ruunt in prælia iniusta, cœci, spernentes Deum, Legem, comminationes, & tristißima exempla pœnarum. Videt Ecclesia ingenti dolore hanc impietatem, & immanitatem uident cœlum & terra, & gemunt cum Ecclesia deplorante hæc tanta mala, et precante, ut Deus seruet aliquas suas reliquias. Quanto in dolore fuisse Adam & Heuam, existimamus, cùm uiderent cruentum corpus Abel, & parricidæ fratris faciem respersam sanguine fratris. Dolemus & nos cum parentibus honesti & eruditi

eruditi iuuenis ZACHARIÆ BALHORN Luneburgensis, qui ex uulnere mortuus est, quod ei impius, & furens iuuenis IOHANNES BORCHERDES Hamburgensis fecit. Etsi autem mœsticia est ingens parentum Zachariæ: tamen hac se consolatione sustentent, quod Zacharias & antea semper ita uixit, ut pietatem erga Deum ostenderit, & modestia eius omnibus honestis hominibus probata fuerit, & in hoc tristi casu ipse non præbuerit causam sceleri, sed alius petitus sit. Vixit postea ferè duos menses, dum uulneris curationem expertus est, quo tempore quotidie se Deo pia precatione commendauit, & sæpè repetiuit sententiam: **Hæc est uita æterna, ut te solum uerum Deum agnoscant, & quem misisti Iesum esse Christum.** Sæpè etiam parentum mentionem fecit, quibus & gratias agi iussit, pro inenarrabili σώζῃ & omnibus beneficijs, & dolorem eis leniri hac consolatione, quòd innocens in hanc calamitatem incidisset, & discederet ex hac uita in inuocatione filij Dei, Domini nostri Iesu Christi. Nec dubitamus, quin sit in numero illorum, de quibus scriptum est: **Beati mortui, qui in Domino moriuntur.**

Et oramus filium Dei, Dominum nostrum Iesum

ſum Chriſtum, ut ſeruet inter nos Eccleſiæ ſuæ reliquias. Idem precari debent omnes in funere Zachariæ, quod fiet hodie hora quarta, ad quod, ut Scholaſtici conueniant ante domum Sartoris è regione uiduæ Franciſci Den, hortamur & præcipimus, ut tàm triſti exemplo commonefacti, petant à filio Dei protectionem, qa uidemus uerißimum eſſe uocem filij Dei: Sine me nihil poteſtis facere. Die 17. Iulij. Anno 1558.

EPITAPHIVM ADOLESCENTIS, ERVDITIONE & uirtute præſtantis, CASPARI SCHILTELII, Ratiſbonenſis, Anno 1559. die menſis Iulij 24. piè VVitebergæ defuncti.

VRbs iacet ad ripas ISTRI quæ limitis inſtar
Separat à Rhætis Norica rura iugis.
Hæc tibi naſcenti tribuit cunabula CASPAR
Qui de SHCILTELIA nomina ſtirpe tenes.
Sed cum Leucorea Muſis addictus in urbe
Imbiberes artes cum pietate bonas:
Inuidit patriæ tantum mors pallida lumen,
Et iuuenem terris abſtulit ante diem.
Nam moreris lenta conſumptus uiſcera tabe
Vt Roſa quæ ſucco deficiente cadit.

Sed

Sed ueluti granum tritici quod creditur aruis
Cûm putruit, uerno ſole reſurgit homo:
Corpora ſic terris quæ nunc putredo reſoluit.
E patulo tollent membra nouata ſolo.
Vita homini Chriſtus, cui qui confidere nouit,
Ille uel in media uiuere morte poteſt.
Hac ſpe, non alia, nato monumenta parentes
Hoc ipſo poſito conſtituere loco.

D. Iohanne Maiore Vallenſe
Autore.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS

Comes in Naſſaw, CattenElnbogen, Vianden ac Dietz, &c.

NOmen uſitatum Regenſburg à flumine, quod ibi in Danubium influit, ſumptum eſſe non dubium eſt. At Ratiſbonæ nomen, eruditi non à ratibus, ſed à Rhætis factum eſſe iudicant, qa limes eſt inter Rhætos & Noricos. Fuit autem ueteribus Auguſta Tiberia ornata nobilibus familijs Romanis, in qua & Euangelij ſemina primùm ſparſit Lucius Cyrenius, cuius mentio fit in Actis cap. 13. Nam in Colonijs Romanis, in Gallia, & Germania citò conſtitutæ ſunt Eccleſiæ, quia nobiliſſimi homines eò ducebant Apoſtolorum diſcipulos,

discipulos, & hi libentius in his gentibus uiuebant, quia modestia maior erat, quàm in Græcia, aut in Asia. Legimus igitur Dionysium Areopagitam uenisse Luteciam, Lazarum Massyliam, Maternum Argentoratum, Crescentem Moguntiam, Clementem Metin, Lucium Cyreneum Augustam Tiberiam, Marcum Pauli comitem ad urbem Passaw, Et citat Irenæus consensum Ecclesiarum Gallicarum, & Germanicarum aduersus hæreses, quæ à prima puritate discesserant. Tanta autoritas cùm fuerit, credibile est eas eruditione & pietate excelluisse. Nunc quoq; postquàm rursus illuxit Euangelij fulgor, inclyta ciuitas Regenspurg piè amplectitur doctrinæ puritatem, & uera inuocatione, & agnitione & fiducia Mediatoris Deum colit, curat rectè doceri iuuentutem, & refutat sacrificulos Papisticos, qui ibi Orgia Bacchi celebrant. Vixit autem in hac Academia adolescens, natus in Senatoria familia Regensburgensi CASPAR SCHILTEL, *cognatus uiri clarissimi Doctoris Georgij Schiltelij, qui Lipsiæ magna cum laude docuit artem Medicam, & multis fœliciter medicatus est Deo iuuante, & Philosophiæ cognitione & uirtute excelluit. Etsi autem bona cum spe adolescens studia doctrinarum inchoauerat, tamen corpus natura inclinatum ad Phthisin non fuit durabile. Cumq; totos sex menses ægrotauerit, quo-*

tidie sese & matrem, & fratres, ac sorores Deo pia precatione commendauit, & mœsticiam pia lectione sibi lenijt. Est igitur in numero eorum, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora duodecima in area Collegij conueniant, & singuli ibi suam uitam & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent. Audimus & Dysenterias uagari, quæ plerunq; oriuntur à biliosis cruditatibus, quas gignunt, & augent in æstu præsertim poma, et intempestiuæ potationes. Quare temperantiam ad corporis incolumitatem tuendam adhibete, ac præcipuè uitate pruna & potationes à cœna. Et sitis memores dicti Paulini, quod monet corpori tribuendum esse honorem, uidelicet, ut sit organum actionum diuinarum. Precamur autem filium Dei, ut nos omnes gubernet, & seruet.

Datæ die Iacobi Apostoli,
Anno 1558.

Epitaphium

EPITAPHIVM CA

BALCHILTEL VERE PII A

[illegible] pie memoriæ Dionysij Sc

[illegible] Basilienſis ex hac uita euoc

[illegible], Anno 1558. cùm attig

[illegible] annum ætatis suæ 19.

Ite pij nunc mœsti cunctis lugemus ade

Ardua in ingenium qui coluere bo

[illegible] esse modum luctus nullt cond

Cùm melior resset uita futura pi

[illegible] comes fidei patientia multa pia

Tristicia leuit, qua ratione p

Ergò patricio Cæsarum stemma

Defunctum quoq; se nemo

Nam uirtutis amans, studium pi

Ardor erat iuueni, ut uita m

Ast homo diuino decreto paret o

Ex misera uita dum pius egre

Præcipuè, si quando adijt certamin

Fortis & in Satanam militis

Quamuis haud fuerit tentatus ab

Cæsaris, uicit tristia quæq;

Non minùs fidem diuturni tem

Nil nocuit crebris mors quo

Dolentis patientis eum fiducia

Dyspiens esset semper & i

Cc

EPITAPHIVM CASPARI SCHILTEL VERE PII AC MOSTI iuuenis filij piæ memoriæ Dionysij Schiltel patricij Ratisbonensis ex hac uita euocati. Die 24. Iulij, Anno 1558. cùm attigisset annum ætatis suæ 19.

IVre pios iuuenes cuncti lugemus ademptos
Artibus ingenium qui coluere bonis.
Sed tamen esse modum luctus uult conditor ipse,
Cùm melior restet uita futura pijs.
Sicq; comes fidei patientia multa piorum,
Tristicia lenit, qua ratione potest.
Ergò patricio Casparum stemmate clarum,
Defunctum quoq; se nemo dolere negat.
Nam uirtutis amans, studium pietatis & ingens
Ardor erat iuueni, ut uita modesta foret.
Ast homo diuino decreto pareat omnis,
Ex misera uita dum pius egreditur.
Præcipuè, si quando adijt certamina iustus,
Fortis & in Satanam militis arma tulit.
Quamuis haud fuerit tentatus ab hoste bonorum,
Casparus, uicit tristia quæq; tamen.
Non minuêre fidem diuturni tempora morbi,
Nil ualuit crebris mors quoq; sæua minis.
Sed tenuit patientis eum fiducia Christi,
Vt patiens esset semper & ipse Deo.

tidie seſe & matrem, & fratres, ac ſorores Deo pia precatione commendauit, & mœſticiam pia lectione ſibi lenijt. Eſt igitur in numero eorum, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Hortamur autem Scholaſticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora duodecima in area Collegij conueniant, & ſinguli ibi ſuam uitam & Eccleſiam Deo pijs precibus commendent. Audimus & Dyſenterias uagari, quæ plerunq; oriuntur à biliosis cruditatibus, quas gignunt, & augent in æſtu præſertim poma, et intempeſtiuæ potationes. Quare temperantiam ad corporis incolumitatem tuendam adhibete, ac præcipuè uitate pruna & potationes à cœna. Et ſitis memores dicti Paulini, quod monet corpori tribuendum eſſe honorem, uidelicet, ut ſit organum actionum diuinarum. Precamur autem filium Dei, ut nos omnes gubernet, & ſeruet.

Datæ die Iacobi Apoſtoli,

Anno 1558.

Epitaphium

EPITAPHIVM CASPARI SCHILTEL VERE PII AC MOSTI iuuenis filij piæ memoriæ Dionysij Schiltel patricij Ratisbonensis ex hac uita euocati. Die 24. Iulij, Anno 1558. cùm attigisset annum ætatis suæ 19.

IVre pios iuuenes cuncti lugemus ademptos
Artibus ingenium qui coluere bonis.
Sed tamen esse modum luctus uult conditor ipse,
Cùm melior restet uita futura pijs.
Sicq; comes fidei patientia multa piorum,
Tristicia lenit, qua ratione potest.
Ergò patricio Casparum stemmate clarum,
Defunctum quoq; se nemo dolere negat.
Nam uirtutis amans, studium pietatis & ingens
Ardor erat iuueni, ut uita modesta foret.
Ast homo diuino decreto pareat omnis,
Ex misera uita dum pius egreditur.
Præcipuè, si quando adijt certamina iustus,
Fortis & in Satanam militis arma tulit.
Quamuis haud fuerit tentatus ab hoste bonorum,
Casparus, uicit tristia quæq; tamen.
Non minuêre fidem diuturni tempora morbi,
Nil ualuit crebris mors quoq; sæua minis.
Sed tenuit patientis eum fiducia Christi,
Vt patiens esset semper & ipse Deo.

Idcirco ueræ doctrinæ balthea lumbos
Communiuerunt undiq; firma satis.
Postea pectus erat pulchro thorace refulgens,
Iusticiæ nati, quam probat ipse Deus.
Apprendit scutum fidei, quo spicula mortis
Fortiter excußit nil remorante feræ.
Assumens posuit capiti galeamq; salutis,
Æternæ uitæ spe quia certus erat.
Spiritus armauit dextram gladio almus acuto,
Per Christum Iesum qui à Patre missus erat.
Flaminis est sancti gladius uox omnipotentis,
Quam sonuit cœli summus ab arce Pater.
Addidit ardenti quoq; uerba precantia motu,
Aeternum aßiduè corde loquente Deum.
Iusticia hac ratione fuit bene credita corde
Facta sed ore salus testificante fidem.
Hinc Caspare tuus loca spiritus alta petebat,
Angelico cœtu te comitante piũm.
Sede beatorum cura nunc libera ab omni
Viuit conspectu mens fruiturq; Dei.
Quodq; fuit corpus terræ mortale dedisti
Expectans melius conditionis opus.
Huicq; dedit iuxta templum Viteberga sepulchrũ,
Quando die celebris tunc, Iacobus erat.

Q. S. R.

CASPAR SCHILTEL AD AMICOS.

ERgò quid aßiduis inceſſere fata querelis,
Quid triſti luctu corda grauare iuuat?
Non penitus tumulata iacet mea corporis umbra,
Nobilior uiuit mens, fruiturq́; Deo,
In cuius manibus nunc commendata quieſcit
Vita, nec ulla timet, libera facta, mala.
Viuit adhuc Chriſtus mea ſpes, portusq́; ſalutis,
Atq́; pari regnum cum patre, iure tenet.
Et cum tempus erit mihi reddet is oſſa ſepulchro,
Inq́; mea ſummum carne uidebo Deum.
Eius in aſpectu mea mens lœtabitur, atq́;
Perpetuo diſcet plura, docente Deo,
Et qui cœleſtis ſenſit primordia uitæ,
Eſt ueluti carpens nocte uiator iter.
Qui gemit, in ſyluis errans ſine lumine Phœbi,
Sed ueniente, capit gaudia læta die:
Sic deſiderio quoq́; pectora ſancta tenentur,
Præcipuè aduentus, maxime Chriſte, tui.
In quo deterſa mentis caligine, luce
Implebis præſens pectora caſta, noua.
Ergo graues luctus pro me ponatis amici,
Et potius ſummo ſoluite uota Deo.
Eius uos uitamq́; piæ committite curæ,
Diſcite maturo tempore, uelle mori.

Vltima ne quando uos obruat hora, priusquàm Iram senseritis, iudiciumq; Dei.

Conradus Schop: Norimbergensis.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi M. Petrus Vincentius Vratislauiensis.

IN Colloquio Anni superioris, quod in urbe Vangionum inchoatum est, præcipuum fuit certamen, de norma iudicij in Ecclesia. Nostri defenderunt iudicij normam esse, scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola. Aduersarij contra, consensum omnium temporum, & hoc nomine consuetudinem suam intelligebant, quæ multa recepit ignota puriori antiquitati. Sed tamen hominum animi libenter retinent opiniones uetustate confirmatas, sicut Aristoteles inquit: ὥς ἐιώθαμεν οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι, τὰ δὲ παρὰ ταῦτα, οὐχ ὅμοια φαίνεται.

Sed mouentur aduersarij πανοζηλίᾳ politicorum iudiciorum. Vt reges in imperijs sunt interpretes ambiguarum legum, sic constituunt interpretem

terpretem ipsi non Regem, sed Tyrannum, quia uiciosa consuetudo est aspera tyrannis. Nec doctrina opus est, si tantum consuetudini tanquàm aulicis imperijs parendum est.

At nos sciamus immutabile mandatum Dei esse, ut de sua uoluntate ex doctrina, quam patefecit misso filio, iudicemus, sicut scriptum est: **Filius, qui est in sinu æterni Patris, ipse enarrauit nobis.**

Fatendum est igitur, necessaria esse doctrinæ studia, quæ quidem multa exercitia postulant.

Legendi sunt fontes, cognoscendæ linguæ, considerandæ phrasis, conferenda certamina & iudicia omnium temporum, intelligenda est & docendi ratio, ad quam necessaria est cognitio multarum artium, Dialecticæ & Physices, quæ extruitur ex Methematum initijs, ut est inter sese artium cognatio.

Habet Ecclesia multiplices hostes, quorum plurimi indocti, fascinati monstrosis opinionibus defendunt eas propter inscitiam. Aduersus hos certè muniri & armari iuuentutem doctrina oportet.

Alij pauciores non inscitia peccant, sed scelere & diabolico contemptu Dei. Aduersus hos etiam doctrina confirmari pias mentes oportet, ne deci-

piamur autoritate talium. Sed ut singularibus exemplis Deus *puniuit* IVDAM, MONTANVM, MAXIMILLAM, THEODORVM, *qui omnes laqueo se strangulauerunt:* Ita Deus *ostendet exempla iudicij sui in* STAPHYLO, *& similibus, qui scientes ueritatem manifestis mendacijs oppugnant.*

Oramus autem filium Dei, *Dominum nostrum Iesum Christum, qui sedet ad dextram* Dei *patris, ut det dona hominibus, ut nos omnes gubernet, & uos hortamur, ut studia doctrinæ ametis, ad quæ hæc exercitia scholastica pertinere manifestum est. Petimus autem, ut Doctores & Magistri hodie hora prima ad publicum* Examen *ueniant, ut adiuuent huius exercitij conseruationem. Datæ die 28. Iulij, Anno 1558.*

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS *Comes in Nassaw, & Catten-Elenbogen, Vianden & Dietz, &c.*

VEtus *familia est Baronum Lambergiorum non procul ab urbe Lyncea in Norico, quod nunc Austriæ nomen habet. Et cùm arcem ad Sauum habeat, sæpè Turcica latrocinia*

inde

inde depellit. Nec multò ante CHRISTOPHORVS *à Lamberg quadringentos Turcicos latrones ibi trucidauit.*

Talibus familijs, quæ in defensione patriæ uirtutem & exercent & ostendunt, certè gratitudo & honos debentur. Quare & nos in luctu familiæ Lambergiæ dolore adficiamur. Heri enim ex hac mortali uita decessit adolescens nobilis GREGORIVS BARO *in Lamberg, Dominus arcis, quæ nomen habet* LAPIS SAVI, & HAVGSDORFF, *cuius natura & doctrimæ capax fuit, & ad uirtutem incitata.*

Scripsit Latinè solutam orationem & uersus, & ab hoc tyrocinio, in quo eum fideliter exercuit Magister NICOLAVS AGRICOLA, *uir doctus & honestus, qui Ratisbonæ iuuentutem docet, processerat iam hic Baro ad cognitionem Græcæ linguæ, & ad elementa Philosophiæ.*

Erat autem præcipua cura discere limpidos fontes doctrinæ, quam filius Dei ex sinu æterni Patris protulit, & qua æternam Ecclesiam colligit. Erant igitur in hoc Lambergio, & harum uirtutum initia, quas filius Dei uoce Euangelij & Spiritu sancto accendit, quæ quidem & in ardenti inuocatione Dei, & in moribus castis, ac placidis in tota uita, & nunc in agone fulserunt. Quotidie donec potuit.

Legit igitur Prophetica & Apostolica scripta: Deo etiam & Præceptoribus gratias egit pro doctrinæ seminibus: Quotidie repetiuit clara uoce dulcissimas ꝓmissiones diuinas, ac nominatim hanc: **Sic Deus dilexit Mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.**

Vltima eius uox fuit: Credo, credo. Quotidie etiam precatus est pro sorore, pro Ecclesia, pro patria, pro Scholarum conseruatione. Talis cùm fuerit, non dubitemus, eum in hoc numero esse, de quo dicitur: **Beati mortui, qui in Domino moriuntur**, quod quidem dictum, & ipse sæpè in morbo repetiuit. Nec dubitemus, eum huius agminis manipularem esse, de quo dicit Dominus: Non est uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis istis.

Etsi igitur dolendum est, orbatum esse Rempublicam, & Ecclesiam tali milite, tamen ipsi gratulanda est talis migratio in meliorem & patriam & Academiam. Cogitemus autem & hoc: Fortassis eum ex hac uita euocatum esse, ne aliquando post spectator esset Turcicorum Latrociniorum in Austria. De his publicis & uestris periculis cogi-

tare

tare uos im funere decet, ad quod, ut hora duodecima conueniatis, uos hortamur, ubi & uitam ueſtram, & publicam ſalutem, Deo pijs precibus commendate. Die 2. Auguſti, Anno 1558.

EPITAPHIVM GENEROSI DOMINI GREGORII, BARONIS à Lamberg, Domini in Sauſtein & Haugsdorff, ſcriptum ad generoſum Dominum HENRICVM BARONEM à Starhemberg, à IOHANNE CHESSELIO.

Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα ἐπὶ σοὶ
ομ αἰ αἰ
ἡμέτερον γὰρ ἔχωσε κέας συγερῶς ὁλοὴ κήρ
πολλάκι, τοῦδ' ἔπεσ', θανάτῳ βέλεσ' ὀξυ-
ἰήεσσα.
ποιήσασ' ἀγαθοῖσῖ, πάλιν νέα χαύματ' ἄ-
ναυδῶς.
αἰ αἰ τῆς ὀδύνης: κεῖται ΛΑΜΠΕΡΓΙΟΣ
ἥρως,
τοῦ νῦν ἀνδρολέθροιο βίη μόρῳ ὄαστε κάλυψεν,
ἄνθεσ' ἀπερίδωμ, φάεσ' ἡμετέροιο λυκείου,
ἄμμι

ἄμμι λίπων ϛοναχὰς, γοερὸν δάκρυ, πένθι-
μον ἦμαρ
ἀὶ ἀὶ μουσάων ῥόδον ἱερὸν ἐξηράνθη.
πρῶτα δέτοι κλαίει ὄζον νεοθηλέα φοῖβος,
καίμιν κλαίουσιν χάριτες, μοῦσαί τε μετ' ἀν-
τῶν,
ἆισι τανῦν καὶ ἦρα φέρειν φίλον ἐστὶ θανόντι,
σῆμα φυλασσούσαις, καὶ ἐπικτέρεα κορεί-
ζειν,
ἄιλινα μυρόμεναι: κλαίει τ' ΕΝΡΙΚΟΣ ἀ
δελφόν.
τοὺς δὲ δύω καθαροῖο πόθος συνέδησεν
ἔρωτος
ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων, καὶ αὐτὴ ἔτρεφε πατρὶς.
ἀὶ ἀὶ ὤλεόμοι Λαμπέργιε πιϛὲ πρὸ μοίρας.
δεῦρ' ἅμ' ἐληλύθαμεν μουσῶν εἰς ἱερά τέμ-
πη,
εὐσεβίην τὴν χριϛοσεβῆ τέχνας τε ποθεῦντες,
ἐξ ὧν καὶ κρατεροῖς κλεὸς ἔρχετ' ἡγεμό-
νεσσιν,
ἀλλ' οὐκ ἐστὶν ὅμως ἀμφοῖν οἶκόν δε νέεσθαι.
χαῖρε φίλη κεφαλὴ, ὡς μοί σὺ μάλ' ἐσσὶ
πρθεινός
γρηγόρι, ἐκγεγαὼς προγόνων πολέμῳτ'
ἀρετῆτε,
ἠδὲ φρεσὶν πινυτῇσι καὶ εὐσεβίῃ κομοώντων
εὐσεβέως ἁγνῶστε σέθεν νεότητα διῆγες.

εὐχῇσιν

ἐυχῇσιν καθαραῖς, καὶ μολπαῖς ἀονίῃσι
τερπόμενος, τοῖος δὲ βίος θνητοῖσιν ἄρι-
ςος,
εἶτα θεῷ πισυνὸς, καλέσας, τόπερ ὄμμασιν
εἶδον,
οἰμωγῇ πυμάτῃ σωτήριον ὄυνομα χριςοῦ
ἔνθεν ἔβης μακάρων ἐς ὁμήγυριν ὀυρανιώνων.
ὅυτω σοὶ ὀλίγου ςάδιον δρόμου ἐξανύσαντι
ἐσθλὸς ἀγωνοθέτης πλυτίμιον ἆθλον ὀπά-
ζει
καίμοι ὀδυρομένῳ τόδε φάρμακον ἄλγεος
εἴη:
ἔσθ' ὅτ' ἀπ' ὀυλύμποιο θεοῦ μεγας ἄγγελος
ἥξει
θεσπεσίῃ σάλπιγγι πνέων βιεγερσιμον ἠχὼ,
καὶ καλέσει νέκυας τύμβων ἄπο, δὴ τότε
χ' ἡμᾶς
αὖθις ἔρως ἄλυτος, ζωήτ' ἀμέριμνος ἑνώσει:
ἐν δὲ θεῷ μαλακῶς σὺ ἀδελφὲ μεταξὺ κα-
θεύδοις.

Calendis Augusti, Anno 1558.

Epicedion

ANNO 1558.

EPICEDION GENEROSO DOMINO, DOMINO GREGORIO BARONI A LAMBERG, & Domino in Sauſtein, &c. ſcriptum à cognato ipſius, HENRICO BARONE à Starhemberg, & Domino in VVildberg, &c.

LECTORI S.

Cum nuper placido Baro Lambergenſis agone
Ex hac per Chriſtum ualle uocatus erat.
Noſtras contulimus communi uoce querelas,
Et triſtes lacrymas fudimus ante Deum.

Iuſtus enim dolor eſt nos funera flere piorum,
Eſt ſcelus horrendum ſtoica monſtra ſequi.
Carmina ſi forſan ſpernuntur noſtra, uoluntas
Hæc erit ingenuis fortè probata uiris.

Non tibi Liuori conſcripſimus iſta ſuperbo
Grex Aganippæus candidus eſſe ſolet.

EPICEDION.

CHriſte Dei ſoboles, qui triſti morte peremptus
Sanguine ſanaſti uulnera noſtra tuo.
Irrita ſunt hominum ſine cuius numine cœpta,
Quo ſine non fauſtum, quidquid agetur, erit,
Huc ades & tenues in carmina ſuggere uires,
Funera dilecti dum fleo fratris, ades.
Quem comitem fidum ſtudiorum ſemper habebam,
Qui fuerat cordis cura ſecunda mei.
Quem pietatis amor, mihi iunxit & inclyta uirtus,
Concidit, heu iuſtum concidit ante diem.
Cingite Pierides lugubri tempora ſerto,
Signaq́; mœſticiæ non adoperta date.
Flebilibus numeris nam carmina mœſta canemus,
Carmina, quæ ueri ſigna doloris erunt.
Occubuit moriens in primo flore iuuentæ,
Gregorius patriæ ſpesq́; decusq́; ſuæ.
Cuius erat bonitas primis laudata ſub annis,
Cuius in ingenio uiuida flamma fuit.
Qui coluit doctos, ſacras fouitq́; camœnas,
Qui pietate fuit præditus ille iacet.
Dum fuit in uiuis, quibus ille fauere ſolebat,
Non decet Aonides flere, dolere, queri?
Nam ſi multa canunt multi retinenda Poëtæ,
Prælia ſi celebrant & graue Martis opus.

Dicite

ANNO 1558.

Dicite (uos oro) mites Heliconis alumnæ,
Cur adeo pauci carmina digna canunt ?
At quia nunc tantum, quæ non ſunt dura leguntur
Carmina, & autori nullus habetur honos?
An quia clamoſum, demens & futile uulgus,
Carmine laudari dedecus eſſe putat ?
Quidquid id eſt tamen ô frater Lambergia proles,
Non tua lethæis fama tegetur aquis.
Semper honos, nomenq́; tuum, laudesq́; legentur,
Dum uagus inſtabiles Iſter habebit aquas.
Quamq́; ſuos latè pandit Germania fines,
Turba tibi uatum carmina mœſta canet.
Omnia noteſcent operum monumenta tuorum
Gloria uenturæ poſteritatis eris.
Hoc ego cùm meditor, ſubq́; imo corde uoluto,
Solamen noſtris, heu mihi, uile malis.
Virtutisq́; tuæ, frater dilecte, recordor,
Spes mea mœſticiæ fracta dolore cadit.
Nam ſubit huic animo quo me complexus amore,
Quaq́; fide fueris, dum tibi uita foret.
Tu mihi ſolus eras Theſæo iunctus amore,
Omnia de noſtris cognita rebus habens.
Rebus in ambiguis nunc hæc, nunc illa putanti,
Qui mihi conſilium præbuit unus eras.
Vt fuit Æneæ nemo mage fidus Achate,
Per terras quando uel mare fecit iter:

Sic

Sic mihi consilijs, alijs uel rebus egenti,
Nullus amicorum te mage fidus erat.
Hæc animo memori repeto, cineriq; rependo
Grates qua possum, cum pietate tuo.
Hei quàm me miseret patriæ, sortisq; scholarum:
Hæ decus, illa suam spem cecidisse sciant.
Nam fouisse scholas & sacri semina uerbi
Hoc studium, ista tibi maxima cura fuit.
Quin etiam quædam reputans in agone rogatus,
Quæ premeret mentem feruida cura tuam,
Qua possis inopes pueros ratione iuuare,
Hoc animi studium subijcis esse tui,
Hic labor, ista fuit tantùm tibi discere cordi,
Quæ possent patrijs commoda ferre focis.
Lustra tuæ fuerant tria uix transacta iuuentæ,
Et tibi non unquàm barba resecta fuit.
Ipse tamen perdoctus eras linguæq; peritus,
Quamq; tulit Latium Græcia quamq; tulit.
Non iactator eras uirtutis, sed mage factor,
Fronte puer, iuuenis corde, sed arte senex.
Esse bonus cupiens magè quàm bonus esse uideri,
Gaudebas studijs demeruisse bonos.
Hæc tamen exuperat studium pietatis & ardens
Cura, animo uerum nosse timente DEVM.
At recitare tuas prolixo carmine laudes,
Et lacrymæ prohibent & meus iste dolor.

Ergò iaces frater, patriæ ſperataq; terræ
Gaudia præcipiti tecum abiêre fuga?
Hei mihi quem cordi faciunt hæc fata dolorem?
Hei mihi quàm ſine te nil mihi dulce fuit?
Conſpectume tuo mihi dilectiſſime frater,
Amplius haud potero colloquioq; frui?
Ergò iaces patriæ columen, pietatis alumnus,
Ingenij iuuenis dexteritate potens?
Ah, ah, qui mecum uiuebas quinq; per annos,
Germaniq; mihi qui uice fratris eras.
Quiq; mihi ſtudijs fueras coniunctus ijſdem,
Ergò iaces gelida contumulatus humo?
Hei mihi ſi tecum potuiſſem frater abire,
Non mihi tum fuerat claudere fata graue.
Vt fuit amiſſo Patroclo fortis Achilles,
Sic ego triſtatus te moriente fui.
Te, dilecte Baro, cœleſti ſede recepto,
(Vera loquor) cœpi parte carere mei.
Sed quid multa queror? manes quid turbo cubantis,
Qui nunc in Domino gaudia lætus habet?
Nam licet has terras, & nobis cara relinquas
Lumina, dum cineres accipit urna tuos:
Attamen in cœlo uiuis, uiuesq; per æuum,
Altaq; ſub pedibus conſpicis aſtra tuis.
Cum tua dixiſſes labi per uiſcera mortem,
Ad lectum timidus curro tremensq; tuum.

Cumq;

Cumq; mei fuerat tibi copia facta uidendi,
Iste tibi sermo multus in ore fuit:
In Domini commendo manus, mea, meq;, meosq;,
Ipse meus custos ipse redemptor erit.
Hunc tanto mundum Deus est complexus amore
Christus ut indueret debile carnis onus.
Ne pereat quicunq; ipsi confidere nouit,
Sed colat excelsi regna beata poli.
In Domino moriar, Dominoq; uolente resurgam,
Cum mundi Christo iudice finis erit.
Hæc memini moriorq; libens, ualeatis amici,
Est mea nunc alio uita futura loco.
Nunc Henrice tibi postremò porrigo dextram,
Ne lacryma, linquo tristia, læta peto.
Hæc tibi dextra mei constans sit pignus amoris,
Ante homines morior, uiuo sed ante Deum.
Vndecimæ frater spacium cum uenerit horæ,
In Domino moriar, ne mea fata gemas,
Cœlumq; tractusq; maris tellusq; peribunt,
Verba Dei uerò nescia finis erunt.
Hæc mihi promittunt cœlestis gaudia uitæ
Si modò credidero non dubitante fide.
Credo igitur credo, post hæc discrimina uitæ,
Hæredem regni me fore Christe tui.
Talia dicebas iam iam moriturus amice,
Et quis adhuc saluum te tamen esse neget?

Ergò meas ſiſto lachrymas, triſteſq; querelas,
Tempus, quo coràm plura loquemur, erit.
Viuere nunc ſine te cogar breue tempus in illud,
Quo nouus è ueteris carne reſurget homo.
Interea ualeas, uultu ſumaſq; ſereno,
Quas tibi cum lachrymis ſoluimus inferias.

EPITAPHIVM.

QVem florere uides hodie, cras occidit ille,
Quid ſumus ab miſeri? puluis et umbra ſumus.
Puluis et umbra ſumus, metam ꝓperamus ad unam,
Qui benè deſierit uiuere ſaluus erit.
Sic quoq; Gregorius lumen uitale reliquit,
Qui Lambergiaco ſanguine natus erat.
Viuus ad ætheream migrauit ſpiritus arcem,
Eius in hoc tumulo molliter oſſa cubant.

PARAENESIS GENEROSI DOMINI GREGORII BARONIS à Lamberg, &c. VVitebergæ piè & placidè defuncti, ad amicos, ſcripta à M. IOHANNE SPON Augustano.

Generoſo

GENEROSO DOMINO,
DOMINO HENRICO BARONI à Starhemberg, & Domino in VVildberg &c, Domino suo clementi IOHANNES SPON S.P.D.

Nostra uiatori fit uita simillima, noctu
Quem proficiscentem deuius error agit,
Ad rigidos cuius truncos uel ad obuia saxa
Sæpius impingunt languida membra pedes.
Quò magis atq; cauet foueas aut saxa uel antra,
Hoc magis in uastos incidit ipse specus,
Vel dumeta uirum cruciant, tenebræq; molestæ
Cùm sint, damna magis pernicioſa capit.
Sed si defessus tot post errata uiator
Augustum Phœbi sentit adesse iubar,
Præteritæ uoluit sua mente pericula noctis,
Quælibet hacq; sibi nocte peracta refert,
Iustas atq; Deo grates, defenderat ipsum
Quandoquidem clemens, sedulus ore canit.
Et tandem pergit proficisci lætus in urbem,
In qua pacifica uiuere sorte cupit:
Sic nos in tenebris sumus & caligine uitæ,
Cogimur ærumnas multiplices q; pati.
Sed tamen hæc supereſt satis ampla recondita nostro
Pectore spes, animi nec dubitata fides,

ANNO 1558.

Quod, quanquàm multis ſubiecti ſimus acerbis
Caſibus, in portu ſit tamen ille bono,
Qui ſua commendat Domino mala, credit in ipſum,
Atq; diem lætum geſtit adeſſe Dei.
In quo cœleſtis patriæ deductus ad urbem
Æterno Chriſti tempore ciuis erit.
Talis in hoc ſiquidem noſter quoq; ualle uiator
Gregorius fuerit, crediderit q; Deo,
Scimus perpetuos Domino coniunctus in annos
Quòd ſit, et hunc portum nos quoq; ſcire iuuat,
Ad quem tendemus, ſi nos aliquando neceſſe
Eſt homines, toto ſunt quot in orbe, mori,
Corporibus iuncti Dominumq; uidebimus ipſum,
Qui ſibi nos fratres fecit, & eſſe cupit.
Hos tenues elegos pietatis amore Baroni
Scriptos ſincero pectore dono tibi,
Quos, ueluti facies, ſincera mente probabis,
Et contra Momi ſcommata uana teges.
Te clemens ſeruet Deus, in tellure paterna
Vt ſarcire queas plurima damna. Vale.

Amno 1558.

Parænesis

PARAENESIS GENEROSI DOMINI GREGORII à Lamberg, &c. ad amicos.

Vita quid est hominis, nisi uasta ruina laborum
Plena dolorificis luctibus atq; malis?
Qui cupis ergò tuam sanctè perducere uitam,
Hæc animi semper cura sit una tui,
Ex hoc orbe bonos, uelut est diuina uoluntas,
Et uirtute graues & pietate rapi,
Ne uentura mali uideant certamina mundi
Hi, quibus hoc pietas dulcis in orbe fuit.
Flosculus irriguis ueluti marcessit in hortis,
Et rosa ceu casu præcipitante perit:
Sic quiuis hominum fert immutabile fatum,
Cùm se stare putat mox cadit ante diem.
Est multis adeò subiecta doloribus isthæc
Vita, nec his superest, proh, medicina malis,
Hanc præter solam, quòd, Christo dante, beati
In Domino placidè qui moriuntur, erunt.
Hac etiam gaudens ego spe sustentor. In ipso
Viuus perpetua namq; quiete fruor.
Atq; licet norim me per peccata sub ira
Esse, uel æternam commeruisse necem:
Sola tamen superat mea crimina gratia Christi,
Huius & effuso sanguine uiuo Deo.

Principium, mihi quod fuerat placatus Ieſus
Baptiſmi, quando naſcerer, unda fuit.
Inde tuum lucerna meis uenerabile uerbum
Dum uixi pedibus, Chriſte redemptor erat.
Hoc magis ut ſcirem, chari uoluêre parentes
Artibus ingenium percoluiſſe bonis.
Vnde rudimentum ſtudijs dedit Auſtria primum,
Strenuus Agricola ſub duce miles eram.
Allectuſq; tua Cygnea uoce MELANTHON
Leucoreæ uidi culta Lycæa ſcholæ.
Cum Starebergiaco uixi ſine lite Barone
HENRICO, nobis qui uice fratris erat,
Qui quamuis doleat mea funera ſæpè, dolores
Mente tamen placida fert, tulit atq; feret.
LVCIVS à Landau longo mihi cognitus uſu,
Ipſius & fratres me coluere fide.
Doctor ut in uita VITVS mihi fidus: In ipſo
Sic morbo medica præſtitit arte fidem.
In Præceptores reliquos mea gratia conſtat,
Inter quos PETRVS munere Rhetor erat.
Faſciculo grates reddo ſimul omnibus uno,
Quos ob doctrinam Relligionis amo.
Terra prius ſtellas gignet, cœlumq; roſeta
Adferet, aut nullas pontus habebit aquas,
Quàm pius intereat labor & ſtudioſa uoluntas
Veſtra, ſed hæc longis nota diebus erunt.

Ab quo

Ah quoties memori repeto tua pectore uerba
VITE, Machaonij gloria magna chori,
Cùm nos de rebus disceptabamus honestis,
Et nobis Christum discere cura fuit.
Cœpimus ah quoties nos uulnera flere, Tyrannus
Quæ Papa sub falsa Relligione facit.
Delirant reges, sequitur deliria uulgus,
Deliros iuste nos tot habere queror.
Scripta Sophistarum lacerantum dogmata Christi,
Vt Canis & Staphyli corde dolente tuli.
Non aurum rutilans neq; lucidus Hesperus, ullus
Aut Adamas adeò fulgidus esse potest,
Præstantum concors ut fulget sæpè uirorum
Mens in consilijs: In pietate magis.
Maius enim decus est sancti concordia cœtus,
Splendida pacis amans est uir imago Dei.
Ergò pijs uotis, Ecclesia posset habere
Vt pacem, petij nocte dieq; Deum.
Sed iam sunt homines, quibus est Pax nomen inane,
Et Cadmæa loco prælia pacis amant.
Barbarus & Cyclops etiam cum mundus ubiq;
Sit, trahat inq; suum tristia fata caput,
In sua uel moueat ciuilia uiscera bella,
Frater & in fratrem saucia corda gerat,
Sublatis manibus castis ad sydera Christum
Nunquàm sum ueritus sollicitare meum,

Deleat ut cupidos belli cædisq; Tyrannos,
Funditus Ausonium perdat & ipse Lupum,
Flectat ad unanimem cunctorum pectora pacem,
In sese concors ut Deus ipse manet,
Vrbibus & nostris tanquàm nutricibus eius
Saluifici uerbi tempora fausta precor.
Vtq; colant nomen diuinum Rhenus & Ister
Albis & Oceanus, Balticus oro sinus.
Diues Iberorum plebs, Anglus & accola Nili,
Liliger hospitium præbeat atq; Deo.
Vt pariter, Musis quasi præcentricibus Albis,
Vnum possimus concelebrare Deum.
Quæ uerò gnatis scripsistis symbola uestris
O Præceptores, hæc mihi scripta scio.
Namq; per hanc uitam, mihi quam dedit ipse Re-
Quottidie fudi talia uota precum: (demptor
O Iesu Deus omnipotens, homo uirgine nate
Perpetuæ uitæ fons, miserere mei.
Sudasti thrombos, in ligno mille tulisti
Ærumnas pro me scommata, flagra, necem.
Sanguine placasti Patris omnipotentis & iram,
Te iusto iustus sum sine fine fide.
Teq; redemptorem rogo per tua uulnera, Christe
O genuina Patris mens miserere mei.
Sis mihi propitius mea nunc errata fatenti,
Cùm cras aut hodie tempus agonis erit,

Me cùm

Me cùm deſtituent oculi, quaſi lumine caßi,
Vitaliſq; ſua Spiritus arce fugit.
Cùm mihi ſurdeſcent aures, & anhelitus æger,
Et uix lingua meo gutture rauca gemet.
Dificientq; mei cùm priſtina robora cordis,
Cumq; mei cerebri regia celſa cadet.
Quando me fragilem gelida cum morte ſecunda
Luctantem cauſæ deſtituiſſe uolent,
Ne me, quæſo, ſinas hoc in diſcrimine rerum
Labi: Me redimas pro bonitate tua.
Ex hac me clemens deducas ualle laborum,
Et mea fata manu cuncta potente leua.
A me depellas Satanam Satanæq; cohortes,
Flamine cum ſancto ſemper adeſto mihi,
Semper adeſto mihi, donec cum corpore iuncta
Eſt mea mens, moriens quam tibi mando Deo.
Hanc quia tu dextra ſeruas, in pace quieſcet:
Eſt tua, tu ueluti uis Deus eſſe meus.
Tu quia pectus habes clemens & robore plenum
Noſtra dabis placida membra quiete frui,
Donec erit tempus, quod adeſt inſtatq;, diei
Iuſtus quo Iudex poſterioris eris.
Tumq; reſurgentis uelut es modo, Chriſte, parentẽ
Sis interceſſor, te precor, ante tuum.
Credenti uitam gratis mihi redde perennem,
Æternam uitam, qui tibi credit, habet.

Vt mihi

Vt mihi promittit ſancti tua concio uerbi,
Cui ſummam ſtudeo ſemper habere fidem.
Quam pius in ſcripto pietate uolumine motus
Iohannes magna ſimplicitate docet.
Talia cum iurans perhibebas, Chriſte, Sophiſtis
Verba Palæſtinis, diſcipulisq; tuis:
Quiſquis amat, ſeruat, colit & mea uerba, parenti
Spirituiq́; meo credere corde poteſt,
Hic Phlegethontæis non excruciabitur undis,
Nec guſtare necis triſtia damna poteſt.
Is licet à Lacheſi ſemel arripiatur acerba,
Somnus ei non mors, quod ferret, illud erit.
Namq́; mei cœtus cùm pars ſit, tempus in omne
In uitam uita functus abibit ouans.
Ille meo factus germanus ſanguine frater
Cœleſtis uitæ iuſtus habebit opes.
Hanc pater, & gnatus nobis & Spiritus almus
Propter & in Chriſto det ſine fine precor.

Quottidianus erat modus hic & forma precandi
Simplice clementem ſimplicitate Deum.
Mens eadem, licet interdum non talia dixi
Verba, Redemptori tota dicata fuit.
Sed maiora meæ fidei tua ſcripta dederunt
Robora, Leucorei Paſtor EBERE gregis.
Cumq́; meis precibus Deus aſpirauerit, ipſi
Ex toto grates pectore dico pias,

Quód

Quòd confirmatus cœleſtis dogmate uerbi
Iuſtifica didici cognitione Deum,
Et me quòd membrum uoluit Deus agminis eſſe
Eius, quem uerbo colligit atq; regit.
Hanc propter cauſam didici tua ſymbola, uixi
Tam longos ideo, Chriſte benigne, dies,
Diſcere quò poſſem noſtris iuuenilibus annis
Eſſet quia ſancta cum pietate mori.
Exemplumq; meis illuſtre ſodalibus eſſem,
Quæ deceat quemuis mens in agone uirum.
In cruce namq; Deo ſis ſubditus, inq; moleſtis,
Ipſius expectes & pete rebus opem.
Si quibus ærumnis iam ſit mihi corpus onuſtum,
Soli confidat mens mea læta Deo,
Qui ſeſe trimum nobis patefecit in uno,
Quid magis hoc opus eſt, ſi pius eſſe uolo?
Non proprijs igitur meritis nitebar. In uno
Saluatore fides nam mea nixa fuit.
Vltima uox in agonis erat mea, gaudeo, puncto
CREDO, Credo: Fide iuſtificatus eram.
Deniq; confeſſus Chriſtum patriamq; poloſq;
Mandaui caſto pectore, Chriſte, tibi.
Vt benè cognatis chariſq; ſororibus eſſet,
Non ſegni moriens pectore uota tuli.
Quanta miniſterium Chriſti mihi cura iuuandi,
Cœtus egenorum quàm mihi charus erat,

Spero

Spero ſatis multos horum meminiſſe, nec ipſum
Me decet hæc elegis commemorare meis.
Dura pati graue ſit quamuis, ſit raraq́; uirtus
Fidere ſincero pectore poſſe Deo:
Attamen ante malis ſuetus patienter id omne
Quod Deus impoſuit, porto iuuante Deo.
Ergò Deo noſtris grates ſine fine Camænis
Reddo, quòd in gremium me tulit ipſe ſuum.
Me quòd & extrema clementer iuuit in hora
Perpetua iußit meq́; ſalute frui.
Poſtremò uobis cognatis omnibus opto
Hunc uos quem uiuus cerno, uidere locum.
Sed quia non homines punctum moriuntur ad unũ
(Viuorum Deus eſt nam ſine fine Deus)
Vobis in uita nil ſit precioſus unquàm,
Quàm benè ſaluifico credere uelle Deo.
Sic uobis placidum certè concedet agonem,
In noſtro præſens ſicut agone fuit.
Corpus habet tumulus (Mens certa ſede recepta
Viuit in æternos non moritura dies)
Donec ad extremum tempus mundiq́; ruinas
Vos iterum præſens carne uidebo mea,
Cumq́; Deo ſocius uiuam per ſecula cuncta
Adiunctus gnatæ, mi THEODORE, tuæ.
Mittite quæſo pias lacrymas, quibus iſte dolori
Eſt obitus. Somnus nam breuis ille manet.

Viuimus in manibus Domini ſumus atq; mouemur?
In Domino ſaluus qui morietur erit.
Proſpera fata precor cognatis atq; ſorori
Iam morior, paulò poſt rediuiuus ero.
Viuite per Chriſtum, Chriſteq; regente ualete.
Hic uelut eſt ueſter ſic mihi Rector erit.

EPITAPHIVM.

HAc cubo ſub bibula Baro Lambergenſis arena
GREGORIVS, dormit corpus & ante Deũ,
Donec ab angelicis reſonabit in aëre turmis
Buccina iudicij nuncia certa Dei.
Quod Pater æternus Gnato mandabit, ut ipſe
Humanum iuſtè iudicet omne genus.
Tum ſibi credentes ex tumbis ire iubebit
Chriſtus, & in regnum transferet ipſe ſuum,
Cum quibus in certa ſpe uitam ducar in ipſam,
Gratuita Dominus quam mihi tradit ope.
Hic ſiquidem pro me concretas ſanguine guttas
Sudauit, paſſus corpore mille cruces,
Hoc ſibi me genuit charum modo ſanguine gnatum,
Ante Patrem fratrem me uocat ille ſuum.
Et Legis maledicta tulit, benedictus ut eſſem,
Liber ab innumeris ſic ego uiuo malis.
Quare propitius cùm ſit mihi Filius, atq;
Ipſius æternus Spiritus atq; Pater,

Morſus

Morſus non curo mortis, cùm uicta ſit ipſa
Per Chriſtum, quanquàm ſentio mortis onus.
Viuo Deo moriorq; Deo. Sic mortuus atq;
Viuus in æternum ſum maneoq; Dei.
Cuilibet eſt equidem fragilis natura, potenti
Crede Deo, ciuis ſi cupis eſſe Dei.
Sic tibi tranquillum quondam concedet agonem,
Hæredem regni te facietq; ſui.
Viue Deo. Moriare Deo. Nam quiſq; beatus
In Domino placidè qui morietur, erit.

Diſtichon in memoriam obitus.

EX IſtA VItæ ſeCeßI VaLLe CaLenDIs
AVgVſtI, ſaLVVs VIVIfiCante Deo.

GREGORIVS BARO A LAMBERG ETC. SIC LOquitur.

ANtea ſuſtuleras dulces, mors mœſta, parentes,
Et mihi tunc magni cauſa doloris eras.
Sed nunc optata recreas me dote, parentes
Efficis ut læta mente uidere queam.
Efficis ut Chriſtum cum Patre & Flamine uerum
Aſpiciam, mirans uincula mira, Deum.
Nunc oculis Chriſtum cupidis obſeruo, nec illum
Noſſem, ni uerbo me regat orta fides.

Nil

Nil mors ſæua noces, Chriſto me reddis iniqua,
Cuius in effuſo ſanguine uincta natas.
Chriſte Dei Patris uerè conformis imago,
Cum Patre, cum ſancto Flamine uere Deus.
Auſtriacas etiam iam reſpice mitis in oras,
Reſpice, næ multum, quod miſereris, habent.
Cernis oues miſeras campos errare per omnes,
Paſtorum fidas non habet ulla manus.
Fac tua iam miſeris contingant uerba ſalutis,
Augeat & ſanctos Auſtria clara greges.
Hæc loquor: Et Chriſtus mox annuit ipſe petenti:
Quod petis, eſt nondum, ſed citò, dixit, erit.

M. Gregorius Burckricher F.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia VVitebergenſi M. Petrus Vincentius Vratislauienſis.

QVoties recitamus in Symbolo hæc uerba: Credo eſſe Eccleſiam ſanctam catholicam, mente circumſpectemus, quæ, & ubi ſit, & ſciamus mandatum Dei eſſe, ut ſinguli fiant ciues ueræ Eccleſiæ, & ut ſinguli uelut ad aram ſupplices, ad filium Dei confugiamus. Hæc certè omnes, qui non ſunt Epicurei & hoſtes Dei, cogitare neceſſe eſt. Sed multi partim ironia, ut

prætextum habeant suæ impietatis, partim scrib dubitantes uociferantur: Quam monstratis Ecclesiam, quò in tanta dissimilitudine opinionum transibimus? Vos ipsi qui aduersamini Pontificum tyrannidi, dimicatis inter uos, ut Cadmei fratres, seu ut Curetes & Ætoli, postquàm simul Aprum Calydonium ceperant. Scimus hæc dissidia multipliciter nocere & studijs & Ecclesiæ, & dolemus. Precamur etiam filium Dei, ut reprimat illos Thersitas, qui serunt calumnias, & odia accendunt. Nec tamen Ecclesiæ noua est hæc magna calamitas, etiam Apostolorum tempore repressis Iudæis, erant Ebionis & Cerinthi factiones, & aliæ, quæ se Christianas nominabant, & tamen pugnantia dogmata spargebant. Iulianus etiam ad Ethnicos redijt, offensus dissidijs Christianorum, quæ multa & atrocia tunc erant. Contra orthodoxos alij Samosatenum, alij Arium, alij Manichæos sequebantur. Etsi autem his spectaculis turbantur animi, tamen retinenda est adseueratio: Credo esse sanctam Ecclesiam catholicam, nec propter ullas difficultates deserendus est Deus. Nec difficilis est dijudicatio, quæ sententiæ ueræ sint, si normam diuinitus propositam intuearis, uidelicet, scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola. Nec obscuritas, nec ambiguitas in his tanta est, ut quid uelint, statuere non possis, si bona conscientia fateri uoles, quid

intellis

intelligas, Sed accedant studium, collatio cum pijs & amantibus ueritatem, consideratio sinceræ antiquitatis, inuocatio Dei, qui promittit se mentes discentium gubernaturum esse.

Semper etiam uox est aliqua ueræ Ecclesiæ consentiens, ac nunc Dei beneficio consensus est omnium nostrarum Academiarum, Tubingensis, Heidelbergensis, Marpurgensis, Ienensis, Francofordianæ, Rostochianæ, Griphisuualdensis, Danicæ, Lipsicæ, & nostræ, & Ecclesiarum in præcipuis urbibus, Noriberga, Argentorato, Lubeca, Hamburga, & alijs multis. Nec si sunt alicubi uomicæ quædam, uel in Academijs uel in urbibus, propter has, boni & docti dissentire existimandi sunt. Nec nos pudet uti testimonijs Ecclesiarum & Academiarum Germanicarum, cùm sciamus & Ireneum Germanicarum Ecclesiarum testimonia magnifacere. Sunt autem passim & indocti & mali aliqui, quorum nonnulli contra conscientiam defendunt manifesta mendacia. Talium non sit tanta authoritas, ut cùm gignunt ex sese falsas interpretationes, propter eos uocifereris ambigua esse scripta Prophetica & Apostolica & Symbola. Nascuntur in ipsis malæ opiniones, non hauriuntur ex sacris literis.

Quanquàm autem inſcitia cum multitudinis adplauſus nacta eſt, & armata eſt factione, diratyrannis eſt, & multos deterret à ſtudijs, tamen Deo obtemperemus, ſeueriſſimè præcipienti, ut doctrinam, quam nobis tradidit, diſcamus & docea-mus, nec frangamur animis propter aduerſariorum odia, ſuperbiam, ὕβριν & rabiem. Virtus igitur laudanda eſt eorum, qui & recta diſcunt, & amant ueræ Eccleſiæ concordiam. Hæc cùm profiteantur hi, quorum nomina adſcripta ſunt, & cùm ſint rectè eruditi & honeſti, cras, Deo iuuante, ornabuntur gradu Magiſterij Philoſophici.

Hortamur igitur omnes Doctores, Magiſtros, & auditores, ut ad hanc publicam teſtimonij noſtri renunciationem conueniant, & oſtendant ſua de ſtudijs iudicia, & nobiſcum precentur filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut nos omnes gubernet, & reprimat omnes ueritatis hoſtes, & ſemper æternam Eccleſiam in his regionibus colligat. Datæ die Auguſti tertio, Anno 1553.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS Comes in Nassaw, Catten Elnbogen, Vianden & Dietz, &c.

Diuinitus insitæ sunt humanis pectoribus σοργαὶ, *ut sint commonefactrices de amore Dei erga nos. Cogitet igitur unusquisq; de ingenti amore suorum parentum erga sobolem, & gratitudinem præstare studeat.*

Adficiamur etiam dolore propter luctum eorum, qui in docendo, & in multis alijs officijs paternam erga uos pietatem præstant.

Vtilißima est Græcæ linguæ cognitio. Hanc fideliter docet uir clarißimus VITVS VVINSHEMIVS, *Doctor artis medicæ, cuius etiam eximia est in medicatione multorum fides, & aßiduitas.*

Necessaria est etiam cognitio Arithmeticæ, & doctrina de Anno. Hanc planè & perspicuè tradit uir doctißimus, M. SEBASTIANVS THEODORICVS.

Cùm autem heri ex hac mortali uita decesserit ANNA, *filia Sebastiani Theodorici, & auus & pater, & auia & mater sunt in magno dolore.*

(Nam in hominibus honestis σοφγαὶ sunt acrio-
res) horum causa nos quoq; doleamus. Sed leni-
ant ipsis mœsticiam consolationes diuinitus tradite.
Filia iam didicerat plurimas Euangelij sententias,
& precationes. Et in hoc ipso morbo sæpè hanc
uocem filij Dei recitauit: **Sinite paruulos**
ad me uenire, quia talium est regnum
cœlorum. Sæpè etiam repetebat Symbolum,
in quo clarissima professio fit de æterno patre, filio
Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, &
ordinè beneficia commemorantur: Creatio, redem-
ptio, & Ecclesiæ collectio, & uitæ æternæ hære-
ditas. Tantaq; erat in recitatione alacritas, ut
conspici posset, iam in puella lucere initia uitæ
æternæ. Aliquoties etiam dixit: Scire se transitu-
ram esse ad filium Dei, Dominum nostrum Iesum
Christum, à quo redempta sit, & ibi se rursus ui-
suram & complexuram esse dulcissimos paren-
tes.

Hac igitur consolatione parentes mœrorem
leniant, & sciant, uelle Deum utrunq;, & ut do-
leamus, & ut dolorem moderemur, intuentes cœ-
lestia bona, cùm q̄dem nominatim de pueris insertis
Ecclesiæ dicatur: **Non est uoluntas Pa-**
tris, ut pereat unus de paruulis istis.

Nos

Nos etiam oramus filium Dei, ut consoletur & seruet parentes.

Hortamur autem Scholasticos, ut ad funus hodie hora duodecima ante ædes Doctoris VITI *conueniant, ubi singuli suam uitam, & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Et ut uota sint ardentiora, intueantur funera iuniorum, qui immatura morte extinguuntur, sicut pulchri flosculi facilè decidunt, ut sciamus uitam à Deo petendam esse. Datæ octauo Augusti, Anno 1558.*

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS

Comes in Nassaw, Ac Dominus in CattenElnbogen, Vianden & Dietz, &c.

MVlta sunt signa in hominibus, quæ ostendunt hanc excellentem naturam non conditam esse tantùm ad hanc mortalem uitam, quorum signorum consideratio etiam Ethnicos saniores mouit, ut maluerint sentire animas hominum immortales esse.

Inde illud dulcißimum argumentum eſt Platonis in ſecunda Epiſtola: ἃι βέλτιστα φυχὴ μαντεύονται ταῦτα οὕτως ἔχειν, ἃι δὲ μοχθηρόταται οὐ φασι, κυριώτερα δὲ τὰ τῶν θείων ἀνδρῶν μαντεύματα, ἢ τὰ τῶν μηδὲν ἀλλὰ ἐνδεικνύμενα. Ipſæ etiam ingentes ærumnæ, & aſſidui dolores in hominibus oſtendunt hanc præſtantiam mentis non tantùm ad has miſerias, & ad hunc tetrum carcerem naſci. Sed reſtare alium portum, in quo bonæ mentes acquieſcent, & lætabuntur ſapientia & uirtute. Hoc argumento & Cicero ſe confirmat.

Sed nos in Eccleſia intueamur reſuſcitationes mortuorum hominũ, & teſtimoniis à Deo traditis nos confirmemus, & diſcamus hanc ærumnoſam ultam tantùm eſſe iter ad meliorem, ad quam tamen præparanda mens eſt agnitione filij Dei. Quare & optanda ſunt mediocria uitæ ſpacia, ut diſcamus doctrinam de filio Dei, & eam in mentibus noſtris aſſidua inuocatione confirmemus, & propagemus ad poſteritatm.

Cùm igitur VRBANVS NORIBERGIVS, natus in urbe Pomeraniæ CAMINO, attigerit annum uiceſimum, & rectè didicerit doctrinam de filio Dei, habuit curriculum non infœlix. Vtinam uerò dediſſet ei Deus etiam longiorã

uitæ

uitæ ſpacia ad alios docendos. Nam & doctrina ſic inſtructus erat, ut uox eius Eccleſiæ profutura fuerit, & lucebant in eo uirtutes, non ſolùm à natura inchoatæ, ſed etiam accenſæ à filio Dei uoce Euangelij, & Spiritu ſancto. Et mens publicæ concordiæ amans erat, ſed Deo euocanti nos, obtemperandum eſt.

Oſtendit autem & in morbo pietatem ſuam confeßione fidei, & inuocatione filij Dei. Nec dubitamus eum eſſe in illo numero, de quo ſcribitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Monet autem cæteros Deus euocans iuniores ex hac uita, ut cogitent de fugacitate uitæ, & ſe agnitione filij Dei præparent. Simul tamen ſciant uitam opus eſſe Dei, ſicut ſcriptum eſt: Ἐφ' ἑαυτῶν ζῶμεν, καὶ κινδυνεύωμεν, καὶ ἔσωμεν, & ſeriò petant à Deo ſpacia uitæ longiora, nec impediant inuocationem uulneribus conſcientiæ.

Hæc cogitentur nunc etiam in funere huius Vrbani Caminenſis, ad quod ante ædes honeſtæ uiduæ uiri doctißimi Anthonij VValtheri conueniant Scholaſtici hodie hora duodecima. Die 9. Auguſti, Anno 1558.

ANNO 1558.

PETITIO ELEMOSYNÆ.

SCitis recens accensum esse Cometam, in hoc mense Augusto, quem adhuc initio noctis conspicimus sub coma Berenices, ac propter figuram ensi similem ξιφίαν nominare possumus. Mucro directus est uersus ortum Brumalem, etsi non uni tantùm genti minitatur, quia regula est: ὀυδεὶς κομήτης ὅσις ὀυ κακὸν φέρει.

Sciamus igitur nos omnes moneri, ut petamus mitigari pœnas, & ut precatio sit ardentior simus modesti. Monent idem pœnarum exempla, alibi alia.

Nuper pagus uicinus incendio perijt. Nomen pagi est BERKITZ à Betula, Bircken, quæ Græcis est σημύδα, quæ gignit succum ualde salubrem contra calculum renum.

In eo pago, & Pastoris domus, & horreum, & huius anni fruges perierunt. Ideò uos hortamur, ut iam egenti opem feratis, & in hoc officio exerceatis precationem ad Deum, & fidem, & spem, petatis, ut Deus uobis & Ecclesiæ pœnas leniat, ut uos & Ecclesiam protegat, & hæc beneficia à Deo expectetis propter filium intercessorem. Et hac spe erecti mementote etiam gratitudinem erga Deum declarandam esse his elemosynis,

nis, ſicut ſcriptum eſt: Date & dabitur uobis. Et in ſecunda ad Corinthios ſcriptum eſt: Qui ſuppeditat ſemen ſeminanti, præbeat & panem ad cibum, & augeat ſemen= tem ueſtram. *Datæ die 20. Auguſti, An=* no 1558.

Philippus Melanthon.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOL= PHVS COMES IN NASSAVV, CattenElnbogen, Vianden & Dietz, &c.

SCitis conſpectum eſſe Cometam hoc menſe Au= guſto, qui tamen aliquanto ante accenſus eſt, quàm à nobis uiſus eſt.

Erat autem cùm nos uidimus die Auguſti 17. *proximo ſub coma Berenices, quam* CAL= LIMACHVS *collocatam eſſe ſcribit inter Vir= ginis & Leonis ſpacia, ut eſt in Catulli uerſibus:*

Virginis & ſeui contingens namq; Leonis,
Lumina Calliſto iuncta Lycaoniæ.

Et qui=

Et quidem figura erat ξιφίας: Cauda porrecta uersus ortum Brumalem. Quare & bella minantur. Non enim existimentur hæc miranda spectacula iam in cœlo casu fieri, & nihil significare. Sed experientia ostendit uerum esse hunc uersum:

ὀυδ'εἰς κομήτης, ὅσις ἐυ κακὸν φέρει.

Quàm tristia bella secuta sint Cometam, qui fulsit ante biennium, res ostendit. In Italia, Gallia, Belgico, Anglia, fiunt horrendæ uastationes. In Liuonia Mosynœci magnam crudelitatem exercent, abducunt magnam multitudinem, quam uendunt Tartaris. Multis honestis matronis & uirginibus præcidunt ubera, & alia tristiora faciunt. Metuamus ergò & huius noui Cometæ significationes, & filium Dei precemur, ut pœnas sua intercessione nobis mitiget.

Etsi autem gratulanda est pijs migratio ad cœlestem Ecclesiam, tamen orandus est Deus, ut Ecclesiæ aliqua bona ingenia seruet. Decessit autem hac nocte, honestus & eruditus adolescens, catarrho necatus, IOHANNES CRVKENBERG Hildesius, qui sese uera inuocatione assiduè filio Dei commendauit, sæpè repetens hoc dictum: Scio, quòd Redemptor meus uiuit, qui me deinde ex terra resuscitabit, & pellis mea rursus circumgi-

rabit

rabit me. Et in carne mea uidebo Deum. *Hac illustri consolatione sese confirmabat.*

Funus autem fiet ei hodie hora duodecima, ad quod ut conueniatis, uos hortamur, & ibi singuli sese & Ecclesiam Deo pia precatione commendent.
Datæ die ultimo Augusti, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS Comes in Nassaw, & Catten-Elnbogen, Vianden & Dietz, &c.

IN Argonautico carmine describitur immanitas τῶν μοσυνοίκων, quos esse Moscouios consentaneum est, & in Psalmo queritur Ecclesia se exulare in Mesech, quos esse μοσυνοίκους existimo, qui noti esse Dauidi & Phœnicibus poterant, cùm tenerent ea loca, quæ postea occupárunt seu Galatæ seu Cappadoces.

Nunc uerò exempla crudelitatis multa ostendunt Mosynœci in Liuonia, ubi multi sunt docti & boni uiri, coniuncti Ecclesiæ nostræ, qui uerè iam sunt inter Mesech, quos ut filius Dei protegat et liberet, precemur. Petamus etiam à filio Dei, ut mitiget nobis pœnas.

Heri

Heri deceßit adoleſcens natus in uicina urbe AKEN *orphanus*, SEBASTIANVS ENGELBERGK, *qui aßidua precatione ſe commendauit filio Dei.*

Hortamur autem uos, ut ad funus conueniatis ante ædes honeſti uiri Georgij Scribæ Senatus, & ſuam uitam & Eccleſiam ſinguli Deo piè commendent. Datæ die quarto Septembris, Anno 1558.

ELEMOSYNAE ALIA PETITIO PASTORI IN BERKITZ *data.*

S. D. *omnibus lecturis has literas.*

IN Argonautico carmine deſcribitur immanitas τῶν μοσυνοίκων, quos eſſe Moſcouios conſentaneum eſt. Et in Pſalmo querela eſt Eccleſiæ, quòd exulet inter Meſech, quos etiam Moſcouios interpretamur. Poterant enim noti eſſe uicinis Phœnicibus, quia tunc ea loca tenuerunt, quæ poſtea Galatæ & Cappadoces occuparunt.

At nunc quidem crudelitatis exempla Moſcouij oſtendunt in Liuonia, ubi magnam multitudinem in Tartaricam ſeruitutem abducunt, & honeſtis matronis ac uirginibus, tutantibus pudicitiam, ubera

ubera præcidunt. Sed, ut Psalmus inquit, semper aliquos habet Ecclesia hostes illorum similes, ut nunc in multis regionibus sæuicia exercetur.

Recens etiam in Bauaria exasperata est. Vt autem Deus protegat has regiones, in quibus hospitia Ecclesiæ tranquilliora præbuit, crescat in nobis pietas, & simus officiosi erga miseros Pastores.

Ideò cùm nuper in incendio Berkitz, conflagrauerint & Pastoris domus, & horreum, & fruges hoc anno natæ, oro ut egenti Pastori opem feratis, & in hoc officio exerceatis precationem ad Deum, & fidem, & spem, petatis, ut Deus uobis & Ecclesiæ pœnas leniat, & hæc beneficia à Deo expectetis propter Filium intercessorem. Et hac spe erecti, mementote etiam gratitudinem erga Deum declarandam esse his elemosynis. Sicut & scriptum est: Date & dabitur uobis. Et in secunda ad Corinthios: Qui suppeditat semen seminanti, præbeat & panem ad cibum, & augeat sementem uestram.

Datæ Nonis Septembris, Anno

1558.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS Comes in Nassaw, CattenElnbogen, Viandden ac Dietz, &c.

IN Harcinij saltus radicibus non procul ab urbe ueteri Northusen, quæ Theodosij Iunioris tempore condita est, fuit Collegium monachorum, cuius nomen est ILFELD. In eo Collegio, uir honestus, & Deum rectè inuocans, senex Albas ante aliquot annos amplexus Euangelij puritatem, deleuit Idola, & instituit piam scholam, cuius nunc est mediocris frequentia.

Vtinam uerò multi Abbates sancti uiri exemplum imitarentur, & in Collegijs suis rursus constituerent pias scholas, sicut uetustas uoluit eas esse domicilia doctrinarum, disciplinæ, & exercitiorum pietatis. Ita CAROLVS MAGNVS adolescens in monasterio institutus est.

Regit autem studia in collegio Ilfeldensi, uir honestus & excellenter eruditus M. MICAEL NEANDER, cuius extant scripta Græca & Latina.

In eo Collegio adolescens GVNTHERVS CRATO, honesti uiri Consulis filius, in inclyta urbe Sangerhusen, Neandrum audiuit, & ad latinæ & græcæ linguæ tyrocinium ibi adiunxit studium

dium doctrinæ Christianæ Postea in hac Academia didicit initia Philosophiæ, & piè processit in studio doctrinæ Christianæ. Nam & rectè Deum inuocauit in agnitione & fiducia Mediatoris, & animi pietatem honesta gubernatione morum expressit. Sed corporis magna fuit imbecillitas, nec dysenteria, sed tabe extinctus est. Quotidie autem morbi tempore sese, senem patrem, familiam, & Ecclesiam Deo commendauit.

Etsi autem pater non potest non dolere propter σοργήν, *de qua dicit Nazianzenus :* φίλτρον γὰρ συνέδησε φύσις τοκέας τε γονῆς τε, *tamen hanc consolationem diuinitus traditam cogitet, quòd filius est in eo numero, de quo scriptum est : Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Hortamur autem Scholasticos, ut ad pias funeris ceremonias conueniant hodie hora quarta, propè ædes Collegij, & ibi singuli suam uitam, & Ecclesiam pijs precibus Deo commendent. Datæ 7. Septembris, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS *Comes in Nassaw, &c.*

Dignæ sunt consideratione uenæ metallicæ, quas esse singulare opus & beneficium Dei

non dubium est. Et cùm manifestum sit, nec agriculturam, nec architectonicam ferro carere posse, & in emptionibus commodissima media esse aurum & argentum, Deo pro his donis gratias agamus, & eis rectè utamur.

Chalybes & Ibericelebrati sunt apud ueteres propter metallorumeffossionem, & coctionem. Est autem nomen χάλυβες ex dictione ἀλύβη, quod est apud Homerum Locus uenarum argenti. Et Alybe est à Iobel, quod Ebræis propè significat Metalla. Inde est nomen Tubal, cuius fit mentio in Mose, quasi dicas Metallicum. Iberus simpliciter significat fossorem.

Sunt autem hodie Ibericæ uenæ uberes in Asia. Inde nauigarunt Iberi in occidentem, & Hispaniæ nomen dederunt, quæ uenas adeò fœcundas habuerunt, ut Hannibal ex eis quotannis acceperit duodecim Tonnas auri. Hæc recitamus, ut magis miremur hæc beneficia Dei, & Deum precemur, ut uenas metallicas harum regionum faciat fœcundas. Amemus etiam honestos homines, quorum industria, & magno labore effodiuntur & coquuntur metalla.

Natus autem fuit in oppido Sneberg, ubi olim fuerunt uberrimæ uenæ, adolescens Christo-

pherus

pherus Forsterus, cuius & ingeniũ doctrinæ capax fuit, & mores casti & modesti, qui heri dysenteria extinctus est, cùm sese, & matrem & sororem pia inuocatione filio Dei quotidie commendasset. Nec dubitamus eum in eo numero esse, de quo scribitur: Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Hortamur autem uos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora duodecima ante Nosocomium Academiæ conueniatis, ubi singuli suam uitam & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Datæ die 9. Septembris, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS Comes in Nassaw, & Catten-Elnbogen, Vianden & Dietz, &c.

ETsi celebratur hoc uetus dictum: τυχὴς ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος, tamen propter disciplinam publicam & domesticam multum refert, quæ sit patria, quæ non solùm nascentes excipit, sed etiam postea tenella pectora format doctrina, & assuefacit ad intellectum uirtutum, & regit mores.

Est autem inclyta urbs Luneburga publicè ornata Ecclesijs, scholis, & censura morum, quæ ab honestißimo Senatu sapienter & seuerè exercetur. Et in domestica disciplina iuuentus ad agnitionem ueri Dei, ad castitatem, & ad modestiam singulari diligentia adsuefieri solet. In ea urbe CASPAR MEIER natus est ex honestis parentibus, qui eum & domi ad pietatem & ad alias uirtutes adsuefecerunt, & publicè erudiri curauerunt. Et fuit ingenium capax doctrinæ, & quasi præsagiens uitæ suæ breuitatem, à ludis iuuentutis abhorruit, & studiosè didicit doctrinam filij Dei, & plus temporis tribuit precationi, quàm plerique solent.

Cùm attigit annum climactericum primum & uicesimum, Phthisis paulatim eum tabefacere cœpit. Toto igitur hoc tempore lectione doctrinæ diuinæ, inuocatione & colloquijs piorum amicorum sibi & morbum lenijt, & animum, erexit. Ac nunc inagone crebrò repetiuit hanc firmam consolationem: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Et cùm oues filij Dei sint, qui uocem eius audiunt, esse me partem eius gregis non dubito, quia & credo Euangelio, & lætor eius cogitatione, & oro filium Dei, ut fidem in meo pectore confirmet, & luceat in mente mea. Credo Domine, opem fer imbecillitati meæ. Hæc sæpè

sæpè repetens, dicebat se expetere cœlestis Ecclesiæ studia, in qua coràm disceret causas mirabilium operum Dei, quæ & in creatione & in restitutione generis humani fecit.

Cùm igitur in hac fide, et in inuocatione decesserit, nõ dubitamus eum in eo numero esse, de quo dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hac consolatione et senex pater sibi dolorem leniat, quòd filium in cœlesti consuetudine lætus lætum in colloquijs sapientum Prophetarum, & Apostolorum rursus complexurus est.

Hortamur autem Scholasticos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta ad uicum Cyprium conueniant, & ibi singuli & uitam suam, & Ecclesiam, & Ecclesiæ hospitia Deo commendent, de quibus cogitantes, nunc & Liuoniam intueantur, unde recens quindecim naues Lubecam uenerunt, quæ tantùm matronas, uirgines, pueros & puellas aduexerunt. Magna autem calamitas est diuelli coniuges, parentes, & sobolem, & relinqui patres sine spe defensionis. Oramus igitur filium Dei, custodem suæ Ecclesiæ, ut illis uicinis & amicis nostris opem ferat, & pacem eis restituat, depulsa crudeli gente. Die æquinoctij Autumnalis, Anno

1558.

ANNO 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS Comes in Nassaw, Cattenelnbogen, Vianden & Dietz, &c.

IN Imperijs distincti sunt gradus hominum diuino consilio, & uult Deus alios præesse, alios subditos esse, & præsentiam suam in conseruatione societatis humanæ illustribus testimonijs ostendit. Hoc beneficium Dei agnoscere debemus, & non turbare tranquillitatem.

Sustinet autem ordo Equestris præcipuam gubernationis partem. Quare debetur illi ordini reuerentia. Ac nobilis familia ab END celebris fuit in bello Friderici, cuius fuit admorsa gena. Tunc uir fortis ab END duxit exercitum, & aliquoties fœliciter dimicauit cum exercitibus Boiemicis & alijs. In ea familia natus fuit Ernfridus ab End, qui ad Nobilitatem generis etiam studia doctrinarum addiderat. Huius filius LOTH ab End, studioſè didicit & Ecclesiæ doctrinam, & initia Iuris, ut usui esset Reipublicæ. Sed dysenteria languefactus hodie decessit ex hac mortali uita, cùm quidem toto morbi tempore quotidiè se Deo in agnitione & fiducia Domini nostri Iesu Christi

commen-

commendauerit. Cumq; scriptum sit: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, in eo numero esse hunc honestum & pium adolescentem Nobilem Loth ab End, non dubitamus. Fortassis migratio eius significat impendentes alijs pœnas, ut migrationem fratris Abrahæ secuta sunt tristia exempla.

Hortamur autem uos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta conueniatis ante ædes in quibus habitat clarissimus uir Henricus Paxmannus Doctor artis medicæ, ubi singuli sese, & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent. Ad hanc precationem rectius est uos conuenire in tanto multorum honestorum hominum luctu, quàm ad spectandos ludus, qui minimè huic tempori congruunt. Datæ die æquinoctij Autumnalis, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS

Comes in Nassaw, CattenElnbogen, Vianden ac Dietz, &c.

Scripsimus nuper, familiam uiri excellentis eruditione & uirtute, Ioachimi Camerarij,

imaginem esse uniuersæ Ecclesiæ Dei, quam scitis esse in ingenti dolore propter horrendas contumelias Dei, & propter sæuiciam Tyrannorum, & sophisticam hypocritarum.

Ita cùm parentes ipsi communi dolore excrucientur, accedunt & domestica uulnera multa & magna, et nunc tristißimo in luctu sunt parentes orbati filia, et Magister Esromus, eruditione et uirtute præstans, orbatus honestißima coniuge ANNA filia Ioachimi Camerarij. Horum honestißimorum hominum ingentem tristiciam, simul et ipsorum causa doleamus, et cogitemus de omnium piorum mœrore in Ecclesia, de quibus Esaias inquit: Angeli pacis amarè flebunt, et ueris gemitibus petamus à filio Dei mitigationem priuatarum calamitatum, cùm quidem uideamus nos humanis auxilijs destitui, et sciamus seuerißimè præcipi, ut ad filium Dei custodem Ecclesiæ confugiamus, qui inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

Etsi autem recordatio uirtutum huius matronæ coniugis Esromi desiderium in parentibus & marito auget, tamen consolationem etiam aliquam adferat cogitantibus hanc migrationem fuisse iter ad cœlestem Ecclesiam. Qui audiuerunt hanc matronam in hoc morbo recitantem confessionem, diuinas promißiones, et precationes, adfirmant se

neminem

neminem audiuisse, qui ardentiore animi motu tales sententias recitasset. Integros Psalmos & longas Christi & Pauli conciones ad uerbum recitabat, seq; , & carissimum maritum, & dulcissimos parentes, & filiam, & uniuersam Ecclesiam domesticam & publicam Deo & Domino nostro Iesu Christo commendabat. Sæpè recitato Symbolo agebat gratias Deo, cùm pro omnibus alijs beneficijs, tùm pro donata redemptione per Filium, de qua repetebat dicta: Sic Deus dilexit mundum, & aiebat, se fide & erigi, & in Deo acquiescere, quem sciret ueracem esse, et certò se expectare lætissimam consuetudinem cœlestis Ecclesiæ, in qua sapientia, bonitate, & lætitia Dei fruitura esset. Hæc exordia uitæ æternæ sentiens placidissimè ex hac uita decessit, & haud dubiè in hoc numero est, de quo dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Hortamur igitur Scholasticos, ut iam hora nona ad pias funeris ceremonias conueniant, & singuli sese, & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Datæ die 17. Septembris, Anno 1558.

ELEGIA FVNEBRIS.

PVlueris ex massa Deus ut formauit Adamum,
Sic in humum tristi labe solutus eo.

Corpus enim fragile eſt, quod culpa & fata reſol-
Chriſte ſalus animæ ſolus es ipſe meæ. (uunt,
Mortis eram uiuus, moriens ago tempora uitæ,
Dum uidet in mortem mors mea Chriſte tuam.
Vita mihi melior iam pro peiore reperta eſt,
Nam dum funus ago, nobile fœnus ago.
Vtq; opifex cinerem cum granis miſcet arenæ,
Et uitreum turpi puluere fingit opus:
Sic Deus hos cineres in corpus uertet amœnum,
Quod certet radijs ſplendide Phœbe tuis.
Labe carens, lethiq; expers quod ſurgat in auras,
Et conforme Deo uitam agat ante Deum.
Gratia debetur Chriſto, qui uictima factus
Morte ſua meruit cœlica regna mihi.
Illum ego uelatum noſtra cum carne uidebo,
Carne noua indutus quando leuabo caput.
Chriſte tuo reditu mihi uita ſaluſq; parata eſt,
Interea tumulo molliter oſſa cubent.
Nunc tegitur terra mœſtum & ſine honore cada-
Tunc ubi reſtitues omnia, pulcher ero. (uer,
Vt nunc triſte mori eſt, ſic dulce reſurgere quon-
Vita mihi Chriſtus, mors mihi fœnus erit. (dam,
In terris labor eſt, requies ſed dulcis in urna,
In ſummo uenient gaudia ſumma die.

Ioban. Maior D.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS COMES IN NASSA VV. CattenElnbogen, Vianden & Dietz, &c.

Vixit in hac Academia circiter sexennium ingenio & uirtute excellens Iodocus Hall Hamelensis, cui annus climactericus, uidelicet, cùm annum uigesimum primum attigisset, semina morbi incurabilis attulit.

Cùm doctrinam Ecclesiæ Dei rectè didicisset, & in ea cognouisset politici ordinis dignitatem, & leges in politia sciret riuulos esse sapientiæ Dei, legum doctrinæ sese dediderat, & spes erat, usui & ornamento patriæ futurum esse, in qua erat in familia Senatoria natus ex patre Conrado Hall, Senatore Hamelensi. Sed hunc cursum morbus impediuit, qui cùm pertinaciter hæreret, omißis alijs curis animum crebra lectione Propheticorum & Apostolicorum scriptorum, & pijs colloquijs confirmauit, & sæpè confeßionem fidei & promißiones diuinitus traditas repetiuit, & sese filio Dei pia inuocatione commendauit. Nec dubium est, eum esse in eo numero, de quo dicitur: Beatì mortui, qui in Domino moriuntur.

Etsi autem pater naturali σοργῇ, magno in dolore est, tamen consolationem ei hæc adferant, quòd filius eam ætatem attigit, in qua doctrinam de Deo ita didicerat, ut iam dijudicare controuersias Ecclesiæ posset, & ueras sententias iudicio eligeret, & quòd animi pietatem honesta morum gubernatione declarauit, qui in eo non solùm naturæ moderatione, quæ eximia erat, regebantur, sed etiam luce diuina, quam filius Dei uoce Euangelij & Spiritu sancto accendit. Deniq; quòd placidè in inuocatione filij Dei ex hac mortali uita ad æternam Academiam decessit.

Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora duodecima ante ædes honestæ uiduæ Aurifabræ, ad pias funeris ceremonias conueniant, ubi singuli sese & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Die 17. Septembris, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS Comes in Nassaw, &c.

SEmper singularis coniunctio fuit Ecclesiarum & Scholarum gentis Pomeranicæ, cum Ecclesia nostra & scholis nostris. Et notum est multos excellentes uiros, nobilitate, eruditione, & uirtute.

uirtute in ea gente docentes, in hac Academia ſtudioſè lectores audiuiſſe. Erat eloquens PETRVS SVAVENIVS, *& didicerat Eccleſiæ & iuris doctrinam.* Is *poſtea fuit* Conſiliarius Inclyti Regis Danici. Regit Eccleſias *in magna parte* Pomeraniæ, *uir eruditione & rectitudine iudicij præſtans* IACOBVS RVNGIVS. Hi (*ut de alijs non dicatur*) *familiariſſimi fuerunt lectoribus huius* Academiæ, *& filium* Dei *oramus, ut compulet harum* Eccleſiarum *omnium mentes, ut ſint* VNVM *in* Deo.

Annumeramus autem doctis illis uiris, PAVLVM HOLSTEIN STETTINENSEM, *qui propter eruditionem & uirtutem delectus fuit, ut regeret ſtudia & mores* Illuſtrium *Comitum in Schaꝛwenberg. Et* Illuſtriſſimo Principi, *& ſapientibus uiris in aula, ita fuit probata ipſius integritas, ut honorifico teſtimonio ornatus ſit. Venam etiam ad fundendum carmen uberem habuit, eoq; exercitio utebatur, non ad maledicendum, ſed ad laudes* Dei *repetendas, & ad excitandam in ſuo pectore precationem.*

Hic Paulus *hodie manè in* Academiam cœleſtem diſceſſit, *cupidus uidendæ lucis diuinæ coràm, ut uiator, qui noctu fecit iter, expetit ortum ſolis.* In *hoc ipſo morbo ſæpè & ipſe recitauit*

Symbolum,

Symbolum, cùm se quotidie filio Dei *uera inuocatione commendaret, & hortatus est adolescentes ad crebram* Symboli *recitationem. Vtinam ea recitatio & crebrò fiat, & sit commonefactio de mirandis operibus* Dei: *de creatione & conseruatione nostri: de redemptione per* Filium: *de iudicio uenturo: de donatione* Spiritus *sancti: de miranda collectione & conseruatione* Ecclesiæ.

Hortamur autem Scholasticos, *ut hora quarta ad pias funeris ceremonias conueniant non procul à domo honesti* BLASII MATTHEI, *& ibi singuli sese &* Ecclesiam Deo *pijs precibus commendent.* Datæ *pridie diei, quo celebratur recordatio* Matthæi Apostoli, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS

Comes in Nassaw, CattenElnbogen, Vianden & Dietz, &c.

HEster *non tantùm apud* Regem *deprecatrix est pro populo, sed multò magis apud* DEVM. *Ita sanctæ matronæ in nostro cœtu sunt deprecatrices pro familijs, & pro tota* Ecclesia, *& earum precatione multas pœnas leniri non dubium est. Quare doleamus auelli à nobis*

sanctas

ſanctas matronas precum monſtrarum ſoci-
as.

Heri deceßit ex hac mortali uita honeſtißima coniunx Magiſtri Andreæ Roſæ, uiri præſantis eruditione & uirtute, qui natus eſt in urbe Francica, quam Troiam nominare ſolemus. Matrona nata fuit in ualle Ioachimica ex patre Senatore, & ſoror fuit reuerendi uiri CHRISTOPHORI FISCHERI, qui gubernat Eccleſias in tota ditione Illuſtrium Principum Hennebergenſium, & benè de Eccleſia meretur. Vt autem huic matronæ nomen fuit CATHARINA, ita ipſa uerè fuit καθαρὰ, uirtutibus ornata omnibus, quas Paulus in ſancta matrona neceſſarias eſſe ſcribit, cùm ait: Σώζεται ἡ γυνὴ διὰ τῆς τεκνογονίας ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης. Fuit in ea fides, qua rectè inuocauit Deum in agnitione & fiducia Mediatoris, dilexit Deum, parentes, maritum & ſobolem, & neminem læſit, fuit pudica, modeſta & œconomica. Talis cùm eſſet in ſua militia, recens puerpera, morbo oppreſſa eſt, in quo, cùm ſe filio Dei commendauerit, in eo numero eſt, de quo ſcriptum eſt: **Beati mortui, qui in Domino moriuntur.** Hac conſolatione & parentes & maritus dolorem

ſibi

sibi leniant, & cogitent in cœlesti Ecclesia filium Dei redditurum esse ipsis dulcissimam consuetudinem & colloquia de sapientia, cuius initia in hac uita simul didicerunt.

Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora duodecima ad pias funeris ceremonias ante auditorium Iurisconsultorum conueniant, ubi singuli sese & Ecclesiam Deo pia precatione commendent. Datæ die 24. Septembris, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS *Comes in Nassaw, &c.*

BOiemiæ limites nominantur à ueteribus, uersus meridiem montes SVDETES. *Inde Norici sedes tenuerunt. Ab altera parte nominatur sylua Gabreta, quod uidetur esse: ardua prata, Hohe Brayte. Inde Marcomanni sedes tenuerunt, cum quibus bellum gessit Marcus Antoninus Philosophus, qui uicit impetrata uictoria precibus Christianæ Legionis, quæ nominata est* MELITÆA *ab insula Melite, quæ est Maltha. Postea tamen potentia Marcomannorum tanta fuit, ut eorum Regi Gallienus Imperator tradiderit ius tenendæ superioris Pannoniæ.*

Aureliani

Aureliani tempore Sueui & Marcomanni ingressi Italiam Mediolanum cœperunt, & terrorem tantum urbi Romæ incusserunt, quantum olim Cimbri incusserant. Nunc ea regio, quæ olim sedes fuit Marcomannorum, nominatur à flumine MORAVA *Morauia, & tenetur magna ex parte à uetustæ & magnæ gentis Henetæ posteris.*

In ea regione oppidum est TRZEBITZ, *in quo natus fuit adolescens Paulus Saxeus ex patre Senatore. Ingenium adolescentis & doctrinæ capax fuit, & amans disciplinæ, ac uera inuocatione Deum in agnitione & fiducia Mediatoris coluit, eamq; ob causam à patria abfuit, ut ciuis esset nostræ Ecclesiæ. In hoc ipso morbo piam confessionem & inuocationem sæpè repetiuit, nec dubitamus eum in eo numero esse, de quo scriptum est:* Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Audimus eum non laborasse dysenteria, sed Climacterici anni imbecillitate natura superata existimatur. Attigit enim uicesimum primum annum. Hortamur autem scholasticos, ut hodie hora duodecima conueniant propè ædes ciuis honesti Iunioris Carpophori ad pias funeris ceremonias, & ibi singuli sese & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent. Anno 1558. die 26. Septembris,

quo ante annos 29. Vienna cincta est obsidione à Turcis, qui non multo post Dei auxilio fœliciter repulsi sunt.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS *Comes in Nassaw,* &c.

GRatias *agimus Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, creatori cœli & terræ, & castorum Angelorum & hominum, quòd castos Angelos creauit, & uult eos esse* λειτουργικά πνεύματα, *& custodes Ecclesiæ, ac oramus filium Dei, qui est dux Angelici agminis, ut per castos Angelos corpora nostra & hospitia protegat. Hi etiam, ut de Lazaro scriptum est, pijs morientibus adsunt, & sunt ductores ad cœlestem Ecclesiam, ut meminimus Reuerendi uiri domini D. Martini Lutheri pudicißimæ filiæ uirgini pridie ante mortem, oblatam esse imaginem duorum adolescentum nobilium, qui dixerant se missos esse, ut eam ad sacrum nuptiale ducerent, Et uerè adducta est ad sponsum filium Dei. Nec dubitamus adfuisse castos Angelos morienti Iohanni Mengio, nato in radicibus montis Daistri propè urbem Munderam. Nam penè ut Lazarus uixit,*

tulit

tulit paupertatem propter ſtudia doctrinæ, ac re-
gebantur eius mores non ſolùm naturæ moderatio-
ne, ſed etiam luce filij Dei accenſa uoce Euangelij,
& ſpiritu ſancto. Cumq; habuiſſet initio forma-
torem ingenij Reuerendum uirum Henricum Sthe-
nium, fœliciter coniunxerat puram doctrinam
Eccleſiæ, et linguarum & honeſtarum artium cog-
nitionem. Iamq; propter uirtutem & eruditio-
nem accerſitus fuit ad gubernationem ſcholæ in
Inclyta urbe Mundera. Sed Deus eum in ſcholam
tranquilliorem ad Prophetas, & totum agmen
cœleſtè tranſtulit, ubi eius ſapientiæ fontes iam
haurit, cuius riuulos in hac uita ſitiens guſtauit.

Hortamur autem Scholaſticos, ut hodie ho-
ra quarta conueniant ad pias funeris ceremonias
è regione ædium hæredum Reuerendi uiri Domini
Doctoris Martini Lutheri, & ibi ſinguli ſeſe
& Eccleſiam Deo pijs precibus commen-
dent. Die feſto caſtorum Ange-
lorum, Anno 1558.

ANNO 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS ADOLPHVS

Comes in Nassaw, & CattenElnbogen, Vianden & Dietz, &c.

VVlt nos Deus considerare discrimen, inter uasa iræ, & uasa misericordiæ, & uult nos petere, ut faciat nos organa nostris animabus & alijs salutaria Prodest igitur in historijs cursus excellentium uirorum intueri. Et quia annotatum est, die sedecimo Octobris Demosthenem extinctum esse, dies admoneat studiosos de eius cursu. In eo uiro uis ingenij excellens fuit, & eloquentia tanta, ut nullius orationes anteponendæ sint Demosthenicis. Sed dolendum est, hanc tantam uim ingenij consumptam esse in negotijs patriæ perniciosis. Duo summi Oratores Atticæ ciuitatis, Pericles & Demosthenes attraxerunt patriæ non necessaria & calamitosa bella, & cùm πολυπραγμοσύνῃ ac iniusta pertinacia peccant, tùm uerò in consilijs errant, imaginantes se necessarias causas bellorum habere. Hæc uicia intelligere & uitare discamus. Faciamus mandata diuinitus, & petamus nos regi à Deo, & fieri organa salutaria. Id assiduis uotis à Deo petamus.

Cùm autem sapienter constitutum sit, ut labores Scholastici Magistratus quolibet semestri transferantur

ferantur in alios, Deo iuuante, proximo die LVCÆ, eligetur alius Rector, cuius ut sit tranquilla & fœlix gubernatio faciat filius Dei, quem oro, ut Ipse sit perpetuus huius Academiæ Rector.

Hortamur igitur omnes Magistros & auditores, ut proximo die Lucæ hora septima in auditorio maximo conueniant, ut audiant, quem debeant agnoscere Magistratum. Turpe est enim non nosse magistratū. Cumq; sciatis mandatum diuinum: Necesse est obedire non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, propter Deum reuerenter legibus & Magistratui uestro parete, & totum ordinem politicum amate, qui & opus Dei est, & testimonium de sapientia & iusticia Dei, & de præsentia eius in hac honesta societate, quam & clementer protegit ipse, sicut scriptum est: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam.

Oramus igitur Deum, æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorē generis humani, uerè colligentem æternam Ecclesiam uoce Euangelij, ut hanc Ecclesiam & Academiam & nos, & uos omnes clementer gubernet & protegat. Datæ die 16. Octobris, Anno 1558.

ANNO 1555.

RESIGNATIO RECTORATVS ILLVSTRIS ET GENEROSI Domini, D. ADOLPHI, Comitis in Nassaw, CattenElnbogen, Vianden & Dietz, in consilio Doctorum, Magistrorum, & Professorum Academiæ priuatim hac oratione ab ipso D. Adolpho Comite, Rectore Academiæ, habita.

DOctißimi uiri & Præceptores uenerandi, honestum & Deo gratum est, uenerari ac tueri politicum ordinem, & iustis legibus obtemperare. Cùm igitur in hac Academia leges bono consilio quolibet semestri transferant labores in alios, ego iam uolens depono Magistratum, quem mihi singulari beneuolentia Calendis Maij mandastis, & uobis gratiam habeo pro iudicio de me uestro, & pro hac beneuolentiæ significatione, & uicißim gratitudinem animi uobis præstabo, & ubi potero huic Academiæ prodesse, quam ego quidem utiliter seruire Ecclesiæ Dei & studijs existimo, non deerit ei mea commendatio. Scio etiam Illustrem Dominum patrem meum charißimum de hac Academia benè sentire, & eam libenter ornare suo testimonio, quod scitis apud bonos uiros plurimum autoritatis habere. Gratias autem ago filio Dei, Domino nostrō Iesu Christo, crucifixo

pro

pro nobis, & resuscitato, colligenti æternam Ecclesiam uoce Euangelij, quòd hactenus & has Ecclesias, & hanc Academiam seruauit, & eum oro, ut deinceps nos omnes protegat & gubernet. Nunc Deo iuuante ad electionem Rectoris procedite, qui magistratu fungatur sequente Semestri, quæ electio ut sit fausta & fœlix, faciat filius Dei, sedens ad dextram æterni Patris, dans dona hominibus.

DIXI.

ORATIO QVA PVBLICE IN AVDITORIO ELECTUM Rectorem auditoribus renunciauit, eosq; illi obtemperare tanquàm suo legitimo Magistratui admonuit.

DOctissimi uiri, & cæteri huius Academiæ Magistri & Scholastici, bono consilio institutum est, ut labores magistratus in Academia quolibet Semestri transferantur in alios, & ut publicè exponatur, quis sit electus Rector, quia nosse uos Magistratum oportet, & scire consensu Senatus ei gubernationem mandatam esse. Expono igitur uobis, consentientibus suffragijs electum esse Rectorem Academiæ, qui proximo semestri hoc magistratu fungatur, Illustrem uirum HENRICVM BARONEM *in* STARhemberg,

HEMBERG, & ei adiunctum esse Vicerectorem uirum doctißimum VITVM VVINSHEMIVM, Doctorem artis medicæ. Ac simul tibi Illustris Baro Magistratum & signa Magistratus trado.

Scitis autem Deum immensa bonitate instituisse & tueri politicum ordinem, qui & testimonium est de Deo, & de præsentia Dei in genere humano. Ac notum est uobis præceptum: Obedite non solùm propter Iram, sed etiam propter Conscientiam. Nullis præsidijs, nullis armis magis muniri potest ordo politicus, quàm hac uoce diuinitus tradita. Quare hi, qui Deum timent, uerè ament & uera reuerentia tueri ordinem diuinum studeant. Cogitent etiam, Deum uindicem esse contumaciæ, & contumaciam horribile uulnus esse conscientiæ, ac uerè irasci Deum petulanter uiolantibus honestas leges.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut faciat, ut huius Rectoris gubernatio sit fausta & fœlix, & ut Ipse sit Academiæ Rector, & nos omnes gubernet, sicut utrunq; monet uox diuina, sine auxilio Dei non esse fœlicem cursum hominum, sicut inquit filius Dei: Sine me nihil potestis facere. Et uerè Deum opitulari inuocantibus eum, sicut inquit: Petite & accipietis.

tis. Item: Commenda Deo uiam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. Dixi. Datæ die 18. Octobris, Anno 1558.

RECTORATVS NOBILIS AC GENEROSI DOMINI, D. HENRICI BARONIS à *Starhemberg, & Domini in* VVildberg, *&c. à die Lucæ Euangeliſtæ, Anni* 1558. *uſq; ad feſtum Sanctorum Apoſtolorum* Philippi & Iacobi *Anni* 1559. *Fuit eius Vicerector, uir clariſſimus* VITVS ORTEL VVINSHEMIVS, *artis medicæ Doctor.*

ORATIO RECTORIS, NOBILIS ET GENEROSI *Domini* HENRICI BARONIS *à Starhemberg, &c. quam habuit ad Illuſtrem* D. ADOLPHVM *Comitem in* Naſſaw, *&c. Ac ad Senatum Academiæ, cùm ei Magiſtratum Scholaſticum offerrent atq; demandarent.*

MAgnifice domine Rector, Comes generoſe, & mihi ſemper colende, clariſſimi & ornatiſſimi uiri, Præceptores reuerendi

atq; charißimi, Quòd à me petitis, ut Rectoris, in hac celebri Academia munus, in hoc ſemeſtre ſuſcipiam, agnoſco ueſtram erga me beneuolentiam. Et pro hoc ueſtro de me iudicio gratitudo mea uißim erga uos omnes ac ſingulos totamq; hanc ſcholam conſtabit. Sed cùm modeſtiæ & uerecundiæ leges me doceant, quàm impar ſim huic officio ſuſtinendo, non mirum eſt, quòd iam perturbor, ac dubito ſanè quid reſpondeam. Neq; enim conſilium ueſtrum reprehendere me aut improbare decet, & tamen mea imbecillitas, & rerum imperitia mihi non ignota eſt. Cùm primum huc ueni, promiſi me huius Academiæ gubernatoribus obedientem fore. Quare autoritatem ueſtram non facilè defugere poſſum.

Etſi igitur me minime idoneum ad hanc functionem eſſe intelligo, & ob eam cauſam meritò illam detrectare poßim, tamen ne uobis minus obediens, aut contumax eſſe uidear, quod Deo ac Redemptore noſtro Ieſu Chriſto duce & auſpice fœlix fauſtumq; ſit, ueſtræ uoluntati obtemperabo, fretus beneuolentia ueſtra, mihiq; certò perſuadens, uos & candido de me iudicio hunc Rectoris titulum atq; officium ad me detuliſſe, & in hac gubernatione, tùm me, tùm eum quem mihi adiumenturi eſtis, ueſtro conſilio, præſentia, opera, & autoritate benignè adiuturos eſſe.

Deum

Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oro, ut per hoc Semestre tranquillitatem his regionibus concedat, & hanc Scholam nosq; omnes clementer gubernet, protegat & conseruet. DIXI.

CASPAR PEVCERVS STVDIOSIS MATHEMA-tum S. D.

SAepè cogitent studiosi, commendari nobis Astronomica studia diuina uoce & autoritate, cùm dicitur in Genesi, Lumina & Stellas conditas esse, ut sint in signa, tempora, dies & annos, & collocatas esse in firmamento hoc fine & consilio, ut radijs collustrent ac foueant suis terram, & præsint diei & nocti. Vtrunq; uult Deus, & ut perpetuas ac miranda sapientia uariatas & distinctas progressiones conuersionesq; corporum cœlestium scrutemur atq; inuestigemus, metasq; & curricula temporum metiamur ac notemus, quæ completis eorundem circumactibus describuntur ac designantur: & ut discamus, experientia duce, magistra atq; interprete ratione, qua ui & uarietate uibrati diuersimodè luminis elementarem orbem undiq; cœli circumflexui inclusum, stellæ afficiant ac gubernent.

Hinc artes natæ atq; industria artificum con-

sectæ

fectæ & constitutæ sunt, quarum quæ motus explicat & periodorum tempora definit, eam Astronomiam & Astrologiam, alteram quæ luminis effectiones uarias obseruat, προγνωστικὸν δ' ἄστρων νομίας *nominarunt. Nec fuit ulla unquam gens tàm fera & barbara, quæ anni rationem aliquam descriptam habere, & colere conseruareq́; atq́; in notationibus & designationibus rerum gestarum usurpare & sequi non studuerit, etsi exactius cultiores gentes, negligẽtius rudiores, id præstiterunt. Quàm operosa cura & diligentia, & quoties emendata ratione Græci suos Lunares annos accommodarint & exequarint solaribus: Quàm pertinaciter Ægyptij sui anni constitutionem distributionemq́; retinuerint, notum est. Sed Ægyptios sui anni* διάταξιν *ab Ebræis sumpsisse, principijs mutatis, & uariata cùm mensium digestione, tùm insertione redundantium dierum horarumq́;, quæ duodecim æquales menses superant: Græcos ab Ægyptijs, rursus aliter uariata descriptione, consideratio docet.*

Prorsus dubium non est, annum Ebræum initiò & monstratum fuisse & commendatum sanctis patribus diuinitus. Ratio anni illius ex utriusq; fuit deducta & temperata Luminis cursibus, ea lege, ut penderent principia perpetuò à momentis Nouiluniorum, quæ æquinoctia Verna proximè uel antecesserunt

ceſſerunt uel ſunt conſequuta. Ita totam ſeriem continuò fluentis temporis dirimi Deus ac ceu diſſecari in iuſta & congruentia ſpacia hoc Solis periodico ambitu, redituq́; ad idem Cœli punctum, & congruente ad hunc reditum Nouilunio: Ipſaq́; ſpacia cum dierum noctiumq́; gratiſſimis uicibus, tùm quatuor diſtinctorum temporum cardinibus uariari, Solis progreſſu proprio, communiſq; ac primi motus circumactu uoluit, ut & comprehendi initia conditi, lapſi, & per Mediatorem reſtituti generis humani, collectæq́; ac conſtitutæ Eccleſiæ, & numerari ac percipi poſſent articuli patefactionum diuinarum & mirandarum protectionum ac liberationum Eccleſiæ: incrementaq́; durationes, ruinæ & colliſiones Imperiorum.

At quatuor cardines anni Solaris rurſus in minutiores alios articulos temporum findi diuidiq́; uoluit Deus curſu Lunæ. Hinc & anni in menſes duodecim digeſtio, dierumq́; triginta in unum menſem congeſtio nata, de duodenis Lunæ cum Sole congreſſibus, quouis annuo ſpacio, nimirum redeunte continuò poſt exactos triginta dies noua Synodo Solis & Lunæ: & menſis cuiuſq; in hebdomadas quatuor partitio, quater uariantis ſeſe poſt dies ſeptenos ſingulos luminis Lunæ effigie primùm demonſtrata.

Atq;

Atq; *ut hæc Anni mensium et Hebdomadarum ratio perpetuò congrueret, cùm inter sese, tùm ad operas œconomicas, & quas instituerat ac præceperat, sacrorum rituum tractationes certis Anni temporibus suscipiendas ac peragendas, inchoari Annum à Nouilunio uoluit. Ne uerò propter uariantium sese Nouiluniorum incertitudinem, oberrarent sedibus incertis principia, et incerta esset Anni magnitudo, discreparetq; à Solis conuersionibus, quibus uicissitudo temporum præcipuè effi-citur, alligauit initia ad ea Nouilunia, quæ proxima æquinoctio Verno fuerunt. Ita et periodorum Solarium uicibus seriem temporum distinxit diuulsam uelut in partes, et singula annua spacia distribuit secundum Lunæ cursus miranda sapientia, et consilio rebus agendis accommodatissimo, Deus naturæ opifex in Menses & Hebdomadas.*

Ex *hoc anno Ebræo Aegyptium esse deriuatum, narratio de historia diluuij ostendit euidenter, in qua scribitur, die decimo septimo secundi mensis cœpisse diluuiũ, et decimo septimo die septimi mensis constitisse arcam. A principio ruptarum cataractarum, usq; ad hoc tempus, numerat Moses dies centum quinquaginta seu Menses quinq;. Distributis ergò diebus centum quinquaginta in Menses quinq;, cedunt uni mensi dies triginta. Tot dierum*

etiam

etiam fuerunt singuli Menses Ægyptij. Sed Annum Aegyptij inchoarunt à meridie primi diei Mensis Toth, qui propter quadrantes reliquos quadrimestri quolibet migrasset in diem præcedentem, & periodo Annorum 1460. peruagatus omnes anni dies redijsset ad principium. Hoc uago motu prorepentis paulatim principij propter quadrantes, qui ad integros dies trecenos sexagenos quinos annuatim accedunt, ne turbaretur Mensium & quatuor anni cardinum conuenientia, excluserunt Quadrantes à singulis annis, & quadriennij cuiusq; decurso spacio. Et post confectam demùm 1460. annorum periodum, omnes collegerunt in annum unum totidem dierum, numeraruntq; pro 1460. annis, 1461. annos æquales.

Fuit itaq; utrisq; Annus duodecim Mensium, & Mensis unus dierum triginta. Sed Aegyptijs æqualis perpetuò, dierum scilicet trecentorum sexaginta quinq;, quorum quinos postremos ἐπαγόμενας adijciebant ultimo mensi Mesori. Ebræis inæqualis, quòd cùm Nouilunia proxima quandoq; priora fuerint æquinoctijs, quandoq; posteriora, numerum dierum ἐμβολίμων inæqualem fieri fuerit necesse. Hæc anomalia ita fuit correcta, ut quod uni defuit, restitutum fuerit atq; expletum in proximè se-

quente

quente, & contrà quo redundauit unus, hoc alteri decesserit, ne à periodis solaribus Lunaris ratio discreparet. Et fuit subtilior inquisitio obseruatioq; & notatio horum temporum commendata Sacerdotibus.

Hæc considerent adolescentes, & doctrinam de motibus & effectibus stellarum ament ac magnifaciant propter Dei mandatum & ordinem, & necessariam utilitatem. Cumq; plures alias requirat & complectatur disciplinas motuum doctrina, ut Geometriam, qua consensus & congruentia assumptarum Hypothesium cum φαινομένοις atq; obseruationibus, demonstratur: Arithmeticam, qua motus & motuum tempora, momentaq; ortuum & occasuum ex constituta iam & demonstrata doctrina numerantur: Harum etiam artium cognitionem adiungant, quæ reuera sunt alæ, quarum illa remigio subuolat in cœlum ad quandam quasi ἀνάδοσιν præsentium motuum. Ne desint autem occasiones scholasticis hæc discendi & excendi, decreui Theorias Planetarum percurrere, uel hoc potißimùm consilio, ut quæ in ueteribus Hypothesibus desiderantur, & quomodo quæ desunt expleri posse atq; emendari existimem, ut Tabulis recentibus congruant, moneam, quantum potero. Qua in re Ptolemaica præcipuè et Proclea sequar. Die 23. Octobris, Anno 1558.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRI

cus Baro à Starenberg &c.

IN ea Norici parte quam tenet Princeps Palatinus Elector, hoc anno in oppido Chamo plurimæ domus conflagrarunt. Mouit ea calamitas uicinas urbes coniunctas in ueræ doctrinæ professione, ut uicinis miserias lenirent. Senatus in ueteri COLONIA TIBERIA, quæ nunc est **Regensburg** / seu Rhetisbona, à Rhetis dicta, misit Chamensibas aureos ducentos, Amberga misit centum & quadraginta aureos. Aliæ frumentum dederunt. Princeps Elector paterna pietate ex suo granario frumentum donat ciuibus, & ligna dat ædificaturis, & quadriennij tributum remittit. Nos grati agnoscamus esse beneficium Dei, quòd hactenus & nos seruati sumus, & seruati sunt niduli nostri, & eum precemur, ut et deinceps nos et nostra protegat et seruet, et clamemus singuli: **Minor sum cunctis miserationibus tuis.** Sed cùm iusseris opem ferre egentibus, et immensa bonitate longè maiora certò reddas, admonemus nos ipsos hoc exiguo officio in iuuandis egentibus de tua promissione, et petimus amplissima bona, ut propter filium uni-

uersam Ecclesiam serues, & nos in ea, & protegas nos & nostra, quia:

Nulla uenit nobis, te nisi dante, salus.

His cogitationibus excitati hi, qui aliquid largiri possunt, opitulentur Chamensibus, quorum Ecclesia cum nostra coniuncta est, & Deum pro nostris Ecclesijs etiam inuocat. Datæ anno 1558. die decimo Nouembris, quo die reuerendus uir Martinus Lutherus natus est Anno 1483.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENricus Baro à Staremberg &c.

HOc die quotannis celebratur recordatio piæ matronæ Principis Elisabetæ Turingicæ, quæ fuit filia Regis Hungarici, & nupta Ludouico Landgrauio Turingiæ. Virtus eius fuit eximia in rebus secundis & aduersis. Nam cùm maritus proficiscens ad exercitum qui Ierosolymæ erat, ductus eò à Friderico II. Imperatore, mortuus esset, filium etiam amisit. Deinde ipsam mariti frater ex tota Turingia ui eiecit. Sed is postea pœnas dedit. Nam cùm arma contra Fridericum Imperatorem gereret, in obsidione Vlmæ interfectus est. Matrona Elisabeta post mor-

tem

tem mariti & filij Bombergæ in uirginum Cœnobio uixit. Filia uerò eius SOPHIA nupta fuit Hollandiæ domino, ex qua Landgrauij Haßiaci orti sunt, qui adhuc Haßiam tenent.

Hanc commemorationem hîc scripsimus, cùm hodiè mortua sit Elisabeta, filia honesti & eruditi uiri Magistri PAVLI PFEFFINGERI, qui habet hanc consolationem, quòd ea ætas fuit filiæ, de qua dicitur: Talium est regnum cœlorum. Et nos res secundas & aduersas exemplo Elisabetæ feramus.

Puellæ mortuæ funus fiet hodie hora duodecima. Hortamur igitur studiosos, ut ante ædes in quibus Magister Paulus Pfeffinger habitat, è regione Collegij conueniant, & singuli ibi suam & publicam salutem Deo commendent. Datæ die Elisabetæ Turingicæ, Anno 1558.

CASPAR PEVCERVS
AVDITORIBVS S. D.

CRas Deo iuuante, ad institutas & inchoatas operas reuertar. Deum oro, ut & conatus meos in explicatione rei difficilis regat ac iuuet, & huic cœtui tribuat dulcem & ad colenda studia necessariam pacem.

ANNO 1558.

Vidimus his diebus stellam Mercurij, quæ cum Venere matutino ortu Solem præcedit, interuallo in Ecliptica partium penè nouemdecim. Sed remotior à Sole, & paulò altior Veneris locus est, decliuior & humilior Mercurij. Cùm itaq; propter λοξότητα circuli perpetuò declinantis in Austrum rarius conspiciatur, fruantur Scholastici data cognoscendæ huius stellæ occasione, & mane circa sextam horam in plaga cœli Orientali Mercurium requirant ac considerent.

Vetustas σίλβοντα nominauit, à micante uibratorum radiorum nitore, ac Scintillatam, quòd percellit ac præstringit oculos. Rubore enim tenui ac ceu diluto rutilæ flammæ Martis cedens, & Saturni ex plumbeo pallore liuescentem lucem superans, ita micat, ut scintillare uideatur: Talis nitor non est in reliquorum radijs. Datæ 21. Nouembris, Anno 1558.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM IVRIS GEORGIVS RACOVIVS Iuris Doctor.

GRatias agimus Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, propter filium & per eum hactenus regenti harum regionum Ecclesias,

clesias, & earum hospitia, politias, leges, iudicia, doctrinas & disciplinam, & multa uitæ commoda & ornamenta : & ardentibus uotis eum precamur, ut deinceps nos & gubernet & protegat, ac hortamur iuniores, ut multarum regionum calamitates intueantur, & simul de Germaniæ periculis cogitent.

Recens in Pannonia nobilißima matrona Filia Regis laudatißimi Sigismundi, dissecta est, Filius captus. In Gallia & Belgico toto biennio magnæ uastationes factæ sunt. Ad hoc malum accedit seuitia, quæ exercetur propter Ecclesiæ doctrinam. Nobilißimi homines, & alij excellentes uirtute, partim in carcere tenentur, partim interficiuntur. Et in Germania rursus ciuilia bella formidantur. Nec uerò dubitemus filium Dei inter tantas Imperiorum ruinas seruaturum esse Ecclesiæ suæ reliquias, & ut seruet petamus.

Cùm autem & in Ecclesiæ hospitijs opus sit neruis politici ordinis, legibus, iudicijs, & multiplici doctrina, hæc Dona Dei etiam tueamur, & conseruare studeamus. Quare uoluntas illorum & Deo grata est, & digna laude, qui Legum doctrinam discunt & conseruare student. Cùm igitur uir honestus & eruditus Magister Matthias Colerus Aldenburgensis Iuris doctrinam præclarè

didicerit, & iam testimonio publico, in quo decernetur ei honestißimus gradus Doctorum in Iure, ornandus sit, petimus ut ad eam testimonij renunciationem omnes Magistri & auditores huius Academiæ primo die Decembris in templo Arcis conueniant, eoq; officio ostendant, se uenerari leges, quod doctos maximè decet, qui sciunt leges radios esse sapientiæ Dei, & politici ordinis conseruationem uerè Dei opus, & ingens beneficium esse, eaq; cogitatione in eo ipso congressu se ad precationem excuscitent, ut Deus in his regionibus Ecclesias & politias clementer seruet et protegat. Datum 27. Nouembris, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENricus Baro à Starenberg &c.

QVæ nunc GELDRIA nominatur, id est, Gallorum ripa, hæc olim Sicambria fuit, quasi Sigkempffer/ id est, uictores milites, seu uictores Cimbri. Semper autem & genuit bellicosos homines, & opportuna sedes fuit transituris in Galliam. Inde & Franci paulatim ad Rhenum, & Mosam transierunt, & Honorij tempore Celticam occuparunt, Sunt & ingenia multorum ad doctrinas idonea.

Natus

Natus ibi fuit HENRICVS ZVTPHANIENSIS, *qui semina Euangelij primùm sparsit Bremæ, in quo non solùm eruditionis & iudicij rectitudo eximia fuit, sed etiam præsentia Dei in ipso conspecta est in confessione, in qua crudelissimum supplicium constanter tulit.*

Heri etiam decessit ex hac uita IOHANNES REMLING *natus in* Geldria, *honestus & eruditus adolescens, qui primùm in Schola Hamburgensi optimè constituta, didicit & Ecclesiæ doctrinam, & linguam* Latinam. Inde liberalitate *honesti ciuis* Hermanni Holthusij *in Academiam missus est, ubi ad Ecclesiæ doctrinam adiunxit initia* Philosophiæ, *& studium* Græcæ, et Ebrææ *linguæ. Sed filius Dei eum in cœlestem Academiam transtulit, ubi eius doctrinæ fontes iam haurit, cuius hîc initia gustauit. Cumq; antea mores eius casti et pij fuerint, nunc in morbo adsidua et ardens fuit inuocatio, qua et sese et suam matrem uiduam, et patronum Hamburgensem, filio Dei commendauit.*

Hortamur autem scholasticos, *ut hodie hora duodecima ad pias funeris ceremonias è regione ædium, quæ sunt hæredum* Reuerendi uiri D. Martini Lutheri, *conueniant, et singuli sese et Ecclesiam ardenti precatione Deo commendent.* Anno 1558. Die 28. Nouembris.

ANNO 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO à Starenberg, &c.

SAepè aliàs tanquàm picturam regionis Mysorum ostendimus, ac diximus triangulum esse, cuius basis est Montes Boiemici, qui Sudetes nominantur. Latus alterum est Albis, alterũ fluuius Pica, Nihil deest cacumẽ nõ procul à Salinis, ubi Pica in Salam influit. Intra hunc triangulum, Dei beneficio, cùm alia multa sunt ornamenta, tùm uerò urbes multæ, quæ Ecclesias habent rectè constitutas, & honestam disciplinam.

Est in eo triangulo & urbs ALDEBVRGA, quæ olim fuit inter eas, quæ nominantur propriè Imperatoriæ urbes. Suntq; ibi monumenta Friderici Barbarossæ, & filij Henrici Sexti, quia Fridericus in ea urbe fuit, cùm ad bella Danica proficisceretur, & Imperio adderet inclytam urbem Lubecam, pace harum regionum honestè constituta.

In ea urbe Aldeburga natus fuit VALENTINVS FORSTERVS, cuius integritas Illustrissimis Principibus ita probata fuit, ut ei Quæstura hîc commendata sit. Deinde à Senatu hîc Senator & Iudex factus est. Mores eius & honesti

nesti & pij fuerunt, & in gubernatione labores as-
siduos sustimuit, neminem læsit, & multis benefecit.
Cumq; adolescens didicisset literas, erudiri etiam
filium curauit, qui ingenio & eruditione excellit.
Senexaũt annos aliquot ægrotauit, ac morbi tempo-
re hanc leuationem præcipuam habuit: Lectiones li-
brorum sacrorum: Inuocationem, qua sese, famili-
am, Ecclesiam & patriam Deo commendabat: et
pia colloquia generi, uiri honesti et eruditi. Heri
in inuocatione pia ex hac uita decessit. Horta-
mur autem Scholasticos, ut hodie hora tertia ante
ipsius ædes ad pias funeris ceremonias conueniant,
et singuli sese et Ecclesiam Deo commendent. Datæ
die Andreæ Apostoli, Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO *à Starenberg, &c.*

EX duabus celebribus Academijs, Lipsica et Tubingensi, tanquàm Colonia ducta est Academia VVitebergensis. Et Deo gratias agimus, quòd eadem uox ueræ doctrinæ est in his tribus Academijs, et docentium omnium dulcis amicicia. Ac filium Dei oramus, ut semper unum sint in Ipso.

Adducti sunt autem ex Tubinga huc tres Iurisconsulti, excellentes ingenijs & eruditione, VOLLANDVS, VVOLFGANGVS STEHELIN, & HIERONYMVS SCHVRF. *Hi tres uiri diu utiliter Reipublicæ seruierunt, & in Legum interpretatione, & in Iudicijs, ac iusticiæ doctrinam ornarunt iusticia morum.*

Fuit autem filius Doctoris VVolffgangi, Doctor artis Medicæ Hieronymus Stehelin, cuius industriam & fidem honesta ciuitas FRIBVRGA, *quæ multis Dei donis in Mysia excellit, laudat. Huius Doctoris Hieronymi Stehelin coniunx fuit* DOROTHEA *nata in familia honesta & celebri,* ALPEKIA, *quam in hac mortali uita uiuentem ijs uirtutibus ornatam esse uidimus omnibus, quas Paulus in matrona pia necessarias esse scribit, cùm ait:* Σώζεται δὲ ἡ γυνὴ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης.

Gratum est bonis recordari uirtutem maiorum. Ideò & de auia paterna filiæ huius Dorotheæ, uidelicet de matre Doctoris Hieronymi Stehelin, quæ hîc sepulta est, hoc adscribendum duximus. Fuit ea matrona coniunx Doctoris VVolffgangi Stehelin, uelut mater omnium honestarum

mulierum

mulierum in hoc oppido, plerasq; pijs consilijs rexit, & omnibus in morbis & in partu adfuit.

Talis & Soror eius fuit in patria, in thermis uicinis oppido CELLÆ in sylua Martiana, quæ cùm sint admodum salubres, multi omnium ordinum homines eò ueniunt. Ibi cùm ægrotis honesta officia plena pietatis præstaret, multi testes uirtutum ipsius adhuc uiuunt. Harum matronarum recordatio huic familiæ Stehelin grata sit.

Decessit autem ex hac mortali uita Dorothea, sæpè repetita confessione & inuocatione filij Dei. Quare non dubitemus, eam in eo numero esse, de quo dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funus conueniant hora duodecima ante ædes sitas non procul ab ædibus uiri honesti Quæstoris Academiæ, & ibi singuli sese & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent. Datæ die 23. Decembris, Anno 1558.

Scripta

ANNO 1559.

SCRIPTA PVBLI= CE PROPOSITA ANNO 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO à Starenberg, &c.

OMnipotens, æterne Deus, qui cuncta creasti,
Nostra tibi grates pectora & ora sonant,
Quòd genus humanum non dira in morte relin=
Effigiemq; tuam non perijsse sinis. (quis,
Sed gnatum donas, qui nostros induit artus,
τὸμ λόγον ἀϊδίϑ πατρὸς ὕφισάμενον.
Hic est promissus patribus cognomine Siloh,
Isacide gnatos ut moriture doces.
Namq; erat hic χοϱίῳ similis, tenera atq; cruenta
Fascia, pro nobis uictima quando fuit.
Cumq; sit Emmanuel, non tantùm crimina tollit,
Gaudia sed reddit non moritura pijs.
Semper adest nobis, semper sibi colligit agmen
Æterni λόγ☉ hic, uiua & imago Patris.
O res mirandas, mirando fœdere iuncta est
Humani generis languida massa Deo.
Credimus hæc tibi gnate Dei, sic credere uoci
Prolatæ ex patrio præcipis ipse sinu.

Sed

Sed tamen hæc fidei modica est scintillula, fiat
Auxilio petimus fortior illa tuo.
Ac ueluti lucis radios Sol spargit in orbem,
Tu sol iusticiæ nos rege luce tua.
Et non extingui patiare in pectore nostro
Noticiamq; tui noticiamq; Patris.
Hospitiumq; tuæ doctrinæ protege Christe,
Emmanuelq; tuo semper adesto gregi.
Et quia debentur doctori iusta didactra,
Qui populo exponit dogmata pura Dei,
Vos gratæ mentis cras signa feratis ad Aram,
Exemplo hoc alios nos monuisse decet.

In Festo quo publicè celebratur recordatio mirandæ natiuitatis filij Dei ex uirgine Maria, qui est יהוה צדקנו *Deus iusticia nostra. Anno*

1559.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia VVitebergensi Paulus Dumerich Hallensis.

VEre Deus sapiens uerbo qui cuncta creasti,
Et certis annum legibus ire iubes.
Cumq; uelis pulchri metæ spectentur ut anni,
Miranda Solis tu regis arte uias.

Effice

Effice ut iſte tuo nobis ſit numine fœlix
Annus, qui nouus hoc incipit eſſe die.
Da pacem, uigeantq; bonæ te præſide leges,
Ac Euangelij nos rege luce tui.
Infirmum ſcis eſſe gregem, qui dogmata diſcit
Viuifica gnati tradita uoce tui.
Adſis in nobis igitur cuſtosq; Paterq;,
Nulla uenit nobis, te niſi dante, ſalus.
Et quia tu legum fons, pulchri ac ordinis autor
Es Deus, & cuſtos legitimi Imperij:
FERNANDO tribuas longa & fœlicia regni
Tempora, da fauſtus ſit Pater ut Patriæ
Succedit fratri frater tibi CAROLE, cuius
Virtutem ſemper ſecla futura canent.
Viciſti quoties, bonitas tua lenijt iram,
Ne bellum poſſent triſtia plura ſequi.
Ex auro frenos dat Pallas Bellerophonti,
Seruet ut in bellis cum ratione modum.
Par bonitas fratri eſt, qui parcere ciuibus optat,
Et contra Turcos qui pia bella gerit.
Quos procul à nobis depellas Chriſte precamur,
Bellaq; nemo domi ſeditioſa gerat.
Tu quoq; quæ uiuis ſtudijs addicta iuuentus
Officio rectè fungere quæſo tuo.
Dent igitur ſolito nobis ſua nomina more,
Cenſuram ſtudij qui ſubijſſe uolent.

Non his officium nostrum, nec amica uoluntas
Deerit ingenijs officiosa bonis.

Anno 1559. Calend. Ianuarij.

LECTORI SALVTEM ET FOELIX HVIVS ANNI AVSPICIUM Georgius Maior Doctor.

COEpimus ordinè enarrare Epistolas Pauli, & cùm iam absolutæ sint, quæ scriptæ sunt ad Romanos, Corinthios & Galatas, nunc inchoanda erat, quæ ad Ephesios extat.

Prius uerò quàm eam ordimur, decreui breuiter explicare Psalmum dulcissimum septuagesimum secundum: Deus iudicium tuum Regi da, &c. hoc tempore in Ecclesia explicari solitum, in quo Propheta concionatur de æterno & florentissimo regno Christi, & interpretatur promissionem Abrahæ datam: **In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.** Ostendit enim quis sit ille Rex promissus, Deus nempe & Homo filius Regis, accipiens à Deo patre iudicium & Regnum æternum. Deinde cur sit mittendus, & quæ huius Regis sint beneficia, & quale sit futurum regnum, & quàm latè propagandum, qui cultus Regis, & effectus regni.

Simul

Simul etiam proponuntur Loci doctrinæ multiplices, uidelicet: de Deo: de discrimine personarum in unitate diuina: de duabus naturis in Christo: de uera inuocatione: de discrimine iusticiæ Dei, & iusticiæ humanæ, & alij multi loci cognitione dignissimi, quos in enarratione ostendemus.

Ruentibus igitur in hac senecta mundi Regnis orbis terrarum, & se inuicem collidentibus, simul etiam Ecclesiam miserè quassantibus, lætemur nos esse ciues huius Regni, consolemur & erigamus nos fiducia Regis æterni, Domini nostri Iesu Christi, & ardenti precatione ad ipsum confugiamus, ac petamus, ut nos suos ciues defendat & protegat, & glorioso suo aduentu liberet pauperem clamantem, & adflictum, cui non erat adiutor, ut parcat pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciat, ac tandem calumniatorem conterat, sicuti huius Psalmi promissiones sonant. Valete.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO *à Starenberg,*

&c.

MAnifesta est utilitas legis: NON OCCIDES. *Non enim conseruari genus humanum posset, si nec legibus nec metu pœnarum*

pœnarum frenarentur iniusti hominum impetus. Etsi autem uult nos Deus utilitatem intueri, quæ ingens Dei beneficium est, tamen & alias priores causas uult nos considerare, uidelicet, Autorem ipsum Deum, & consilia Dei. Memineris Deum & ferre hanc legem, & executorem esse pœnæ, sicut scriptum est: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Et congruit cum hoc dicto experientia omnium temporum in toto genere humano. Lata est igitur hæc lex & ob hanc causam, ut executio illustre testimonium sit de ꝓuidentia et præsentia Dei inter homines. Lata est item, ut sit commonefactio ostendens Deum talem esse, qui ipse uelit conseruari homines, sicut scriptum est: Non delectaris perditione nostri. Et iurat ipse: Viuo ego, dicit Dominus: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Sed omnium causarum summa est: Qui uult hanc legem non esse, uult sibi permitti, ut filium Dei interficiat. Vult autem æternus Pater filium, quem immenso amore diligit, uiuere. Sancit igitur hanc legem: Non occides, seuerissimè, & uoce & pœnarum exemplis, ut cogitemus horribiliter irasci æternum Patrem interfectoribus filij & membrorum eius. Quisquis es, qui alium interficere conaris, nihil esse uis legem: Non occides. Idem deleta hac lege, uis tibi permitti, ut filium Dei, & eius membra trucides. Num hunc hor-

rendum furorem existimas negligi à Deo ? *Hæc de legis causis, de ira* Dei, *& certa executione pœnæ omnes homines sæpè cogitare prodest, & excitare mentem, ut ardenter petat propter filium regi cor & manus Spiritu sancto, ne impellantur ad faciendam iniustam cædem.*

Antithesis etiam aspiciatur. Diaboli *qui sunt hostes* Dei, *odio ipsius sunt & homicidæ, delectantur non solùm aliorum hominum pernicie, sed, si possent, filium* Dei *& æternum* Patrem *uellent in nihilum redigere. Hi cùm incitant homines ad iniustas cædes, uolitant in eorum corporibus, & adflant cerebro & cordi tales impetus, sicut scriptum est: Satanas intrauit in eum.* Cogitet *igitur latro, se iam imagine* Dei *corrupta,* Diabolorum *similem, & eorum domicilium esse, hostem* Dei, *& perniciem hominum.* Tales *fuerunt* Phalaris, Nero, Bassianus, *& alij* Tyranni *innumerabiles. Ac sapiens uetustas tales nominauit* καθάρματα *&* περιψήματα, *quòd tolli eos necesse sit, ne totæ gentes conflagrent ira* Dei *accensa aduersus homicidas & cæteros qui eorum consuetudine polluuntur.* Et *quidem* Deus *præcipit* Magistratui, *qui armatus est gladio, ut homicidas interficiat. Ac addit uox diuina* Deut. 19: Non *parcas ei, sed auferas malum de medio uestri, ut cæteri audientes timeant,*

meant, &c. Nos uerò, qui non ſumus armati gladio, exemplo Eccleſiæ ſontes excludimus ex cœtu noſtro notatos infamia.

Cùm igitur VVenceslaus Richter Senfftebergenſis, lethale uulnus ſine iuſta cauſa fecerit honeſto & erudito adoleſcenti Ioachimo Dobbin Lubecenſi, filio uiri honeſti Henrici Dobbin ciuis Lubecenſis, & quidem hero ſuo famulus contumax & crudelis, nos re cognita in iudicio, reum VVenceslaum Richter Senfftebergenſem ex cœtu noſtro excluſimus, & ex oppido diſcedere iuſſimus, ac pronunciamus ſemper alienum à cœtu noſtro, & infamem habendum eſſe. Ac Deo quidem gratias agimus, quòd ſingulari beneficio & miraculo uitam Ioachimo ſeruauit, tamen uulnus lethale fuit factum in collo, ubi ferrum infixum penè trachéam arteriam & pulmonem attigiſſet. Sed tamen ſceleris magnitudo pœnam meretur.

Hæc publicè ſignificamus, ut & ſententia noſtra omnibus nota ſit, & ut alij commonefacti, maiore cura mores regant, & Diabolorum inſidias uitent. Extare etiam teſtimonium de noſtra ſententia uoluimus propter honeſtiſſimam ciuitatem Lubecenſem, quæ & Eccleſiæ hoſpitium eſt, & in gubernatione politica ſeuerè iuſticiam tuetur, & meritò laudata eſt à Carolo IIII. Imperatore, qui dixit ſe lætari pulcherrimam urbem eſſe in hac

extrema ora Romani imperij Lubecam. Est autem non solùm ædificijs, sed etiam forma Ecclesiarum & gubernationis Dei beneficio, pulchra & splendida. Ac rectè nomen conuenit. Significat enim Lubeca coronam. Oramus autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut clementer regat ac protegat & eam urbem & cæteras, quæ sunt ueræ Ecclesiæ hospitia. Datæ die nono mensis Ianuarij, Anno 1559.

STVDIOSIS MATHEMATVM S. D.

ARistotelem referunt matutinas & pomeridianas horas ita partiri solitum, ut τὸν ἑωθινὸν ἀφορίσατον, sicut nominauit, tribueret explicationi meditationiq; ἀκροαμάτων: τὸν δ' ἑσπερινὸν exercitijs ἐξωτερικῶν, quòd illa animum excitatiorem acrioremq;, & in hanc unam rem omni cura cogitatione & attentione conuersum defixumq; : sensus item uegetiores minusq; uel occupatos alijs rebus, uel usu fatigatos, uel grauatos onere cibi : & cerebrum, quod τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος, & cogitationum ἡγεμὼν διανοήσεως officina est, minus turbatum ceu nebulis fumorum, qui de cibis exhalare consueuerunt, requirerent. Hæc facilius citiusq; arriperentur, & nego-

& negocio ac labore discerentur aliquanto minore. Vocabat autem ἀκροαματικὰ, quæ complecterentur subtiliores argutias Dialecticas, & abstrusiorum in natura causarum considerationem difficiliorem, numerorumq; doctrinam, & uniuersim, quæ de Mathematicis demonstrationibus constituuntur aut absoluuntur. ἐξωτερικὰ, quæ continentur studio comparandæ facultatis dicendi, & Rethoricis exercitijs, & cognitione doctrinæ de moribus ac ciuili prudentia, explicante rationem benè beateq; uiuendi Philosophicam.

Hoc Aristotelis consilio & exemplo, & quòd ipsa id studiorum ratio exigeret, plerunq; in publicis scholis disciplinarum Mathematicarum tractationi fuerunt destinatæ horæ matutinæ. Cumq; in hac etiam Academia idem seruatum meminerim, qua tamen occasione mutatum sit, nescio. Est enim omninò matutinum tempus totius diei pars optima, serijsq; ac grauibus meditationibus & intentioni firmiori accommodatissima. Cùm & corpus post quietem ad omnia est expeditius ac habilius ministeria, & alacer uiget animus. Cùm cerebro nocturna quiete suauiter rigato refectoq;, Sol nouus exoriens uigorem adfert & alacritatem, & reparatos, qui absumpti defecerant, adauctosq; spiritus uiuifici luminis fulgore ceu serenat & collustrat,

& uegetat afficitq; ſenſus ac δωάμεις corporis omnes, quodq; de amota ex coctionis foco alimenti materia adhuc in cerebro reliquum eſt fumorum, diſſipat ac diſcutit, ut exonerato his cerebro, & ductibus omnibus ac ſinubus expurgatis, ſpirituum ſit motus liberior & agitatio in cogitationum formatione. A prandio uix dimidium mentis cedit uſui noſtro, cùm ſarcina cibi corpus onuſtum aggrauat ſenſuum & cogitationum organa, præſertim tempore æſtiuo, quo & ſolis ardoribus, & largiore ingurgitatione potus, & orto inde ueterno uelut uincti & ſtupefacti ſenſus aut languent aut torpent, uel oberrat & uagatur animus. Nec tutum eſt nimia intentione animi applicationeq; ſpiritus ab officina ſtomachi, ubi fouendo augendoq; uentris calorem, coctionem adiuuant, euocare ad ſuperiora & diſtrahere. Quod cùm fit, non ſolùm coctio impeditur aut peragitur languidius, ſed cum ſpiritibus etiam educitur in ſublime maior halituum crudorum moles, quàm cui excipiendæ conſumendæq; par ſit cerebri calor & δώαμις. Eam rem detrimenta plurima ſequuntur & incommoda.

Eraſmum Roterodamum accepimus tempore matutino ſerijs ſtudijs & ſcriptionibus uacare ſolitum, hauſto pro ientaculo ouo ſorbili: prandium quo ſolo cœna intermiſſa uſus eſt, in multam diem

diem ad horam circiter ſecundam diſtuliſſe. Reli=quum à prandio tempus ad ſomnum uſq; aut dulci=um colloquiorum oblectamentis conſumpſiſſe, aut tribuiſſe commentationibus de ſuauibus rebus uel ludicris etiam, qualium exempla habent Colloquio=rum formulæ, quas ſtando dictitaſſe ferè aut obam=bulando excipientibus dicitur. Idem omni tem=pore fecerunt docti omnes.

Publicè decreuimus ergò de more atq; inſtitu=to ſcholæ ueteri ab horis pomeridianis lectionem demonſtrationum Mathematicarum reuocare ad matutinas, permutatione horarum ſeptimæ & ter=tiæ, qua lectionem M. Caſparis Crucigeri in ter=tiam pomeridianam, Meam in ſeptimam matuti=nam transferemus. Id ſignificandum duxi publicè, & hortor auditores meos, ut poſthac conueniant hora ſeptima matutina, & cogitantes ſe accedere ad ἀκροάματικὰ, non ἐξωτερικὰ, conueniant ſo=brij & alacres, quod fiet, ſi commeſſationibus no=cturnis abruptis, & omißis euagationibus ac diſ=curſationibus, uel etiam intempeſtiuis ſtudiorum cauſa uigilijs, maturè ſeſe receperint cubitum. Id ſi fecerint, conſulent & ualetudini ſuæ rectius, & ſtudijs, & minus inutilium ſumptuum pro=fundent.

Plato inquit: σοφότατον ἀνάγκη τον ἀληθῶς ἀστρονόμον εἶναι. Verè enim Aſtronomia ita uelut in faſciculum colligit unum, cogitq; diſciplinas Mathematicas omnes, ut nullius earum carere opera poßit & præſidio, ſiue τὸ ἄυλον καὶ νοητὸν ἢ φανταſικὸν, ut uocant, ſiue ἔνυλον καὶ αἰσθητικὸν μέγεθος tractent, ſicut non de Arithmetica tantùm & Geometria, ſed Mechanica, Optice, Geodeſia, Logiſtice manifeſtißimum eſt. Et magnæ partis Phyſicæ, ac multarum aliarum artium fundamenta monſtrat & explicat. Eſt autem illa uera ſapientia, quæ cognitionem maximarum rerum, & plurimarum ex primis extructam principijs firmatamq; demonſtrationibus complectitur. Talem conſequuntur, qui uigilanti, ſobrio & aßiduo in eam ſtudio incumbunt. Ἀυὴ γὰρ ψύχη σοφοτάτη. Et cœlum oculis ſobrietate lucidis, uegetis & acutis, Non crapula caligantibus ac cœcutientibus aſpici: Animo uerò excitato, alacri & attento, non intemperantia languido, hebeti aut ſtupido, conſiderari uult. Die 15. Ianuarij, Anno 1559.

Caſpar Peucerus.

De Epiſtolis

DE EPISTOLIS CICERONIS.

MAgna pars humanæ uitæ regitur Epistolis, non solùm in gubernatione publica, sed etiam in priuatorum deliberationibus, quæ multæ & quotidianæ sunt. Reges & Principes edicta & consilia de maximis rebus scribunt ad suos & ad alios. Priuati ad Principes, & inter sese multa componunt. Si quis autem talia scripta sine sapientia, & sine cura rectè loquendi, formari posse existimat, prorsus insanit. Sit igitur diligentia in scribendis Epistolis, & sapientiæ, & eloquentiæ exercitium. Res ex fontibus doctrinarum sumendæ sunt, deinde sermo sit rectus, perspicuus, & sine sordibus, habeat etiam gestus conuenientes, ut familiare præsentium Colloquium, ἦθη & πάθη, gratulationes, figuras, sales, sententias: deniq; sit ceu uiuum colloquium sapientum & eruditorum de rebus honestis, publicis & priuatis, quales sunt dulcissimæ Epistolæ Platonis, Isocratis, Demosthenis, & aliorum quorundam apud Græcos. Et quales sunt Ciceronis in lingua latina. Nec tantùm ostendunt Epistolæ rectam uoluntatem, prudentiam, eruditionem, & genus sermonis, sed etiam naturam & mores scribentis. Oratio est character animi. Facilè igitur lector non imperi-

tus ex Epistolis iudicare potest, qualis quisq; sit. Nec ullis fucis, nec ulla arte occultari aut inuolui natura sic potest, ut qualis sit, in Epistolis non conspici possit. Τὸ ἐναργὲς σαφὲς, inquit Euripides. Est igitur ingenuæ & honestæ naturæ oratio uera, res honestas exponens perspicuè, sine insidijs & sine ambitiosis ornamentis. Contrà fucatæ, fallacis, arrogantis & insidiosæ naturæ oratio est perplexa, præstigiatrix, scurrilis, uenenata, monstrosa: deniq; nullæ tam artificiosæ ironiæ aut occultationes excogitari possunt, ut naturæ peruersitas, quocunq; in genere deprehendi non queat. Ipsa etiam diligentia rectè scribendi prodest moribus. Nec dubium est negligenter & futiliter scribentes etiam in cæteris uitæ officijs negligentes & futiles esse. Postremò excitet ad diligentiam & hæc causa: Honesta, non horrida, non insulsa oratio beneuolentiam scriptori apud Lectores parit, eiusq; rei multæ sunt causæ. Sed ipsa pulchritudo per sese quoq; delectat, ut Musæ cecinerunt, ὅτι καλὸν, φίλον ὅτι. Contrà turpitudo, & uerborum stercora alienant animos, quales hæc ætas habet insulsas, uirulentas, & scurriles criminationes plurimas, quas homines modesti ne quidem aspicere sine gemitu possunt.

Cùm igitur multæ grauissimæ causæ sint, cur uos ad rectè scribendum adsuefacere debeatis,

eam

eam ad rem ſæpè uos hortantur Præceptores. Et quia imitatione exemplorum in diſcendo opus eſt, uolunt optimos ſcriptores uobis familiariſſimè notos eſſe. Plurimum autem conducunt ijs, qui rectè ſcribere ſtudent, Epiſtolæ Ciceronis. Ideo mihi mandatum eſt, ut tribuam eis ſingulis ſeptimanis duas horas. Quantum igitur poſſum, argumenta, conſilia, ſeriem membrorum oſtendam, ut & ordinem & quaſi ædificij formam, & genus ſermonis in ſcribendo intueamini. Aut hac imitandi diligentia proficere in ſcribendo poſſunt ſtudioſi, quibus non repugnat natura, aut nullo modo alio. Sicut Iſocrates inquit, quorum oratio non fit melior, cùm optima exempla intuentur, horum uel naturam monſtroſam eſſe, uel negligentiam turpiſſimam. Non deſinimus igitur uos hortari, ut ſæpe multumq; legatis & conſideretis Ciceronis Epiſtolas, quod eò faciatis libentius, quia citò animaduertetis eum laborem uobis ad melius ſcribendum prodeſſe, & multa monere in uita digna conſideratione. Sunt enim Epiſtolæ illæ, partim Reipublicæ, partim priuatorum officiorum imagines.

Philoſtratus inquit magnum decus eſſe, τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰδε καινὰ κοινῶς eloqui, Quæ ſententia ex Iſocrate ſumpta eſt. Ac uidemus eloquentes uiros mirabiliter hoc efficere, ut rebus notis & uulgatis quaſi induant ſplendidiorem ueſtem.

contrà

contrà uerò abstrusas & difficiles materias transferre ad ea quæ obuia & usitata sunt, ac facilius intelliguntur. Vtrunq; Cicero optimè efficit. Nos uerò magnum decus etiam esse sciamus κοινὰ κοινῶς dicere, id est, res honestas, communes & notas, sumptas ex ueræ doctrinæ fontibus, exponere proprio & recto sermone, non sordidis, non prodigiosis uerbis, non monstrosa confusione membrorum. Deniq; curam rectè loquendi propter mandatum Dei amemus, quia ne fieri quidem potest, quin & ambigua & falsa multa effundant, & magnas res scelerate corrumpant, qui non habent rectè loquendi studium, Vt proh dolor in Ecclesia accidit, in quam & tetra mendacia & idola inuecta sunt omnibus temporibus ab indoctis, qui non sumpserunt doctrinam ex sermone Prophetico & Apostolico, qui perspicuus est, sed uelut fanatici folia Sibyllæ sparserunt, nec ipsis nec alijs intellecta. Nec uerò intelligere aliorum scripta possunt, qui ipsi rectè loqui non didicerunt. Quare cùm Deus seuerissimè præceperit, ne discedamus à sermone quem tradidit, necesse est discere rationem rectè loquendi, & quærere natiuam sententiam in scriptis diuinitus traditis.

Incipiam autem cras Deo iuuante, hora tertia post meridiem. Die 15. Ianuarij.

Caspar Cruciger.
Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO à Starhebmerg, &c.

ANte biennium menſe Ianuario deceßit ex hac mortali uita ANTONIVS VVALTERVS, uir excellens eruditione & uirtute, & de ſtudijs multorum optimè meritus. Is ante mortem petiuit ab affine ſuo honeſtißimæ coniugis fratre Magiſtro ANDREA CRAMIO, ut biennium maneret apud Sororem tanquàm tutor filiorum, & Sororis adiutor in tuenda œconomia. Quod expreßit biennium, nunc euentus oſtendit uaticinatum eſſe. Nam mox circumacto biennio, & hic Magiſter Andreas Cram menſe Ianuario ex hac mortali uita deceßit. Ac ipſe quidem in Academiam longè tranquilliorem migrauit, ubi ſapientiæ fonte fruitur, & coràm cernit Deum, & intereſt ſapientißimis & dulciſſimis colloquijs Chriſti, Prophetarum, Apoſtolorum, & uniuerſæ cœleſtis Eccleſiæ, & uiuens uiuentem Adfinem cariſſimum Antonium complectitur. Vixit enim in uera inuocatione Dei, & in laboribus neceſſarijs Eccleſiæ: fideliter docuit publicè & priuatim, & fiducia filij Dei, etiam moriens conſolationem & inititia uitæ æternæ ſenſit. Nec dubitemus, cum eſſe

in eo

in eo numero, de quo dicitur: Beati mortui, qui *in* Domino *moriuntur.* Non igitur tantum ipsius causa dolendum est, quantum nostra. Orbata est enim familia Antonij fidelissimo tutore, nos quoq; laborum socio orbati sumus. Et quanquàm nunc quoq; precibus suis nos iuuat, tamen cùm Deus ex hac consuetudine meliores aufert, significat impendere cæteris pœnas, quas ut mitiget filius Dei assiduis uotis & gemitibus petamus. Et ut mentes sint intentæ in precatione, sint mores modesti, qui eo maiore cura regendi sunt, ne magis irritetur ira Dei.

Hortamur autem scholasticos, ut ad pias funeris ceremonias hora duodecima ante ædes honestissimæ uiduæ Magistri Antonij conueniant, & ibi singuli se Deo seria precatione commendent. Datæ die 17. Ianuarij, quo die nunc est terribilis oppositio Saturni & Martis, quæ multa mala minitatur. Et si qui hoc tempore uulnerabuntur, experientur curationem fore difficiliorem. 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENricus Baro à Starhemberg &c.

OPtimus status Regni describitur in Psalmo, cùm dicitur: Vt conueniant Reges & populi in unum, ut seruiant Domino. Quid

melius

melius est in genere humano, quàm Principum & populi consentiens uox in confessione de Deo, & in inuocatione, & uoluntas eadem in tuenda honesta disciplina, iuxta legem Dei?

Talis, Dei beneficio, nunc in Regno Danico status est. In cæteris Regnis Europæ ferè omnibus Reges sunt hostes filij Dei, & populi horribiliter distracti sunt opinionibus. In Gallia, Hispania, Belgico Reges defendunt idola, & exercent sæuiciam in membra filij Dei, & maxima multitudo hominum cogitur idola colere.

Has tantas calamitates mentibus intueamur & deploremus, & petamus ut filius Dei nostras Ecclesias protegat & gubernet, & alijs etiam opem ferat. Agamus etiam Deo gratias pro beneficijs, quæ nobis tribuit.

Ostendit & inuocatio piorum in agone, qui in his Ecclesijs moriuntur, quantum bonum sit uera Euangelij cognitio? Quàm dissimilis exitus uitæ fuerunt Latomi Louaniensis, et Magistri Andreæ Cramij nuper extincti? LATOMVS Louaniensis aliquot diebus horribili mugitu uociferatus est, se damnatum esse, quia contra conscientiam adiuuisset oppressionem ueritatis. At noster hic Andreas Cramius placidissimè adijt mortem, dicens, se certò scire, se transire ad Ecclesiæ cœlestis societatem.

Ita

Ita & nunc honestus & eruditus uir, ANDREAS ERASMVS, *natus in urbe Danica* ROSCHILD, *cùm in agone sæpè repetiisset dictum*: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Addidit, *se lætari, quòd in* Ecclesia Christi moriens, *transiturus esset ad cœlestem Ecclesiam, ubi coràm cernere posset fontem sapientiæ, cuius initia inter eos didicisset, de quibus scriptum est*: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Non dubitandum est igitur, & ipsum in eo numero esse, de quo scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Hortamur ergò Scholasticos, *ut ad pias funeris ceremonias ante ædes honestæ matronæ uiduæ* Gregorij Pontani iunioris hora duodecima conueniant, *ubi singuli & sese & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent.* Datæ die 21. Ianuarij, Anno 1559.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MAGISTER Paulus Dumerich Hallensis.

NArratio Euangelij heri recitata, commonefacit nos de Ecclesia, de qua inquit: Exijt seminans, uidelicet, filius Dei, proferens Euangelium ex sinu æterni Patris, & hoc semine

semine colligens Ecclesiam omnibus temporibus. Hæc doctrina et in Symboli articulo cogitanda est, cùm dicis: Credo esse Ecclesiam Dei catholicam. Vtrunq; cogitato: & certò semper aliquam Dei Ecclesiam esse, quanquàm multæ tetræ & horrendæ confusiones sunt generis humani, inter quas difficile est conspici Ecclesiam: & tamen certò statuendum est, quæ & ubi sit, uidelicet, ubi uox Euangelij incorrupta sit, & non stabiliuntur pertinaciter Idola.

Vt igitur & ipsi ueræ Ecclesiæ ciues efficiamur, doctrimæ cognoscendæ & conferendæ sunt, & tenenda est uox filij Dei: Oues meæ uocem meam audiunt. Item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud ipsum faciemus. Necessaria igitur sunt doctrinarum studia. Nam hæc ipsa sententia iam recitata, quomodo potest sine eruditione enarrari? Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum. Hîc necesse est discerni Legem & Euangelium, & uocabulum SERVARE *intelligi non νομικῶς, sed iuxta Euangelium: retinere fide doctrinam, & inchoare obedientiam. Nec efficimur Ecclesiæ ciues fanaticis Enthusiasmis sine cogitatione doctrinæ, ut Stenkefeldiana colluuies imaginatur. Cùm igitur necessaria sit uox doctrinæ,*

oremus filium Dei, ut semper Ecclesiæ tribuat cætus fideliter docentes & discentes, & eos gubernet.

Vsitatum est autem fieri doctrinæ explorationem, quæ utilis est discentibus, & decet uos hæc exercitia adiuuare. Petimus igitur amanter, ut Magistri ad publicum examen hodie hora prima conueniant. Datæ pridie Calend: Februarij, Anno 1559.

ORATIO MAGNIFICI ET GENEROSI DOMINI, DOmini Henrici Baronis à Starhemberg, &c. Rectoris Academiæ, qua petijt, ut ab examine petituri gradum Magisterij dimittantur, & eorum studia honestißimo Collegio commendauit.

CLarißimi uiri, Domini & Præceptores reuerendi, uerè affirmare possum, me ex animo recreari conspectu honestißimi cœtus Præceptorum, ac uirorum doctissimorum: & gratias ago Deo, cuius beneficio mihi hac ætate huic cœtui interesse contigit. Precor igitur æternum Deum, qui pater est Domini nostri Iesu Christi, ut hos congressus scholasticos, & in his Ecclesiam suam, nostrosq; Præceptores, à quibus diuinis beneficijs

ficijs afficimur, clementer conseruet ac tueatur. Etsi enim omnis communicatio beneficiorum inter homines Deo placet, tamen non dubium est, quin piæ ac ueræ doctrinæ communicatio præ omnibus Deo gratissima sit.

Iam uerò cùm hi, qui Magisterij in Philosophia titulum petunt, priuato & publico examine satis auditi atq; explorati uideantur, reuerenter peto ab ornatissimo domino Decano, cæterisq; collegis uiris doctissimis, ut ab examine iam benignè dimittantur, & ipsorum studia honestissimo collegio reuerenter commendo. Atq; Deum oro, ut efficiat ipsos organa ac uasa gratiæ & misericordiæ suæ, utilia Ecclesiæ & Reipublicæ, in Christo, & per Christum redemptorem nostrum, Amen. Calendis Februarij, 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO à Starhemberg, &c.

QVid cogitari maius aut mirabilius potest, quàm quòd mittitur filius Dei, ὁμοούσιος æterno Patri, ut adsumat no-

ſtræ naturæ maſſam, & fiat uictima pro nobis, ut nos ceu ſurculi ipſius maſſæ inſerti reuiuiſcamus? Huius conſilij cauſæ in tota æternitate conſideran-dæ erunt: Nec tamen in eam Academiam ulli pa-tet aditus, niſi huius ſapientiæ initia diſcat in hac uita, de quibus dicitur: Ex ore infantium & lac-tentium perfeciſti laudem.

Mirabiliter & Iuſticia & Miſericordia miſ-centur. Recipimur per miſericordiam, & tamen iuſticiæ Dei ſatisfieri oportuit. Nec aliud æquiua-lens precium oſtenditur, niſi miranda Filij humi-litas.

De his tantis rebus: de iuſticia Dei: de mag-nitudine iræ aduerſus peccata, de magnitudine bo-nitatis Dei: de miſsione Filij: de fœdere duarum naturarum in filio, aſsiduè cogitemus. Magnitudo iræ conſpicitur in horribilibus pœnis uagantibus per totum genus humanum. Bonitas conſpicitur in reſurrectione Filij, & multis Eccleſiæ liberationi-bus. Aſsiduè autem deploremus caliginem noſtram, & petamus, ut fulgeat Deus in nobis, & doceat ac confirmet nos, & clamemus: Credo Domine, opem fer imbecillitati meæ.

Vt autem Diaboli Deo illuderent has tantas res agenti, excogitarunt Lupercalia & Baccha-nalia, quæ furenter ab Ethnicis hoc ipſo tempore

celebrata

celebrata sunt, quo filius Dei in uirgine humanam naturam induit, & quo postea uictima factus est. Iam cogita, quàm indignum sit, nos in Ecclesia imitari illa diabolorum Orgia, contumelioſa aduersus Deum? Tota rerum natura ostendit dolorem in morte filij, SOL contra naturæ ordinem amittit lucem, TERRA tremit, SCOPVLI debiscunt. Interea homines furenter ludis Bacchanalium & Lupercalium se oblectant.

Ne igitur huius turpißimæ & diabolicæ consuetudinis exempla hîc tacentibus nobis tolerari existimentur, seuerißimè prohibemus discursationes Laruatorum nocturnas & diurnas, item ludos qui à mußitatione nomen habent, & uociferationes nocturnas, & armorum gestationes & dimicationes.

Speramus pios & modestos malle cum Ecclesia recordari beneficia & mirandos agones filij Dei, quàm imitari diabolica Orgia. Si qui uerò alij nostrum edictum contemnent, cogitent se similiores esse Lupercalium, & Bacchanalium autoribus, quàm membris filij Dei. Nec defutura est Politica potestas in cohercendis & puniendis contumacibus. Datæ 5. Febr.

Anno 1559.

ANNO 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO à Starhemberg, &c.

HEri cœnæ tempore MARTINVS PREVVER *iniustè pcußit adolescentes generosos contra hospitij & mensæ iura: Postea repressus cùm in lectum collocatus esset, ex interuallo circiter undecimam horam noctis rursus tumultum excitauit, fregit fores cubiculi armatus sica, & uerberauit honestos homines, qui defensionis causa occurrerunt.*

In eo tumultu accersiti uigiles, iussu Rectoris duxerunt hunc Martinum ebrium & furentem in custodiam publicam, ubi promisit se cognitionem Rectoris subiturum esse, quod & antea ministro Academiæ promiserat. Manè abijt, nec scimus quò abierit. Etsi cùm ex custodia fugerit, nec promissa præstet, mox excludi ex Academia cum infamia poterat: tamen eum uocamus in iudicium ad dicendam causam, & mandamus ut cras, uidelicet, die Februarij duodecima, hora duodecima adsit in domo Academiæ, in qua Iurisconsultorum auditorium est, & respondeat ijs, quæ contra eum auditis narrationibus honestorum hominum, qui pars

periculi

periculi fuerunt, publica autoritate proponentur. Huic noſtro edicto ut obtemperet religione Iuramenti Martinus Predwer, mandamus. Mandamus etiam ijs, qui uelut receptores, latebras ei præbent, ne eum retineant in ſuis habitationibus. Si non ueniet in iudicium, ſententia feretur ut iuſtam eſt, nec deerit nobis politica poteſtas, quæ tueri iuſticiam & publicam pacem debet.

Pater Martini huius oppidi hoſpitio & multis noſtris officijs uſus eſt. Eam ob cauſam debebat modeſtior eſſe: Sed ſæpè experimur hoſpites ingratos, contra quos tamen Deus nos protegit, & ut nos protegat aſſiduis eum uotis oramus. Quia labores noſtros in docendo pios eſſe non dubitamus, noſq; hac conſolatione confirmamus: Labor ueſter non erit inanis in Domino. Hac nocte etiam Deus nos clementer protexit, ne iſta furia plura nocere poſſet. Extare autem hanc uocationem ad iudicium publicè uoluimus, quia turbulentus ille latitat. Datæ die undecimo Februarij, Anno 1559.

ANNO 1559.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MAGISTER

Paulus Dumerich Hallensis.

IN *narratione Euangelij proximè lecta de Sycamino, dulcis allegoria est: Vt uideat Christum* ZACHEVS, *ascendit in arborem Sycaminum, id est, audit eum populum, cui scripta Prophetica tradita sunt. Cùm enim Sycaminus arbor fuerit propria Palestinæ terræ, significat eam gentem. Est autem similis moro, sed gignit fructum, qui fòris refert ficum, intus est liquor mori similis. Ac luserunt græci in Etymologia Mori, quasi* αἱμόῤῥοα *dici. Ter in una æstate parit ea arbor. Cùm tam sit fœcunda, in difficultate annonæ admodum prodest populo, fructu uescuntur & familiæ & pecudes. Nec rectè matureſcit fructus, nisi scalpatur & ungatur oleo. Ita ut fruerentur familiæ labor etiam accessit. Significatum est autem, hunc populum ubicunq; est ministerium docendi, scalpi, id est, argui oportere uoce Legis, & ungi Euangelio. Et hæc non fieri sine labore.*

Hæc imago est piæ scholæ, Vt Christum uideas, sis in cœtu discentium doctrinam Propheticam & Apostolicam. Voce Legis & coherceantur membra, & cor arguatur & foueatur Euangelio, ut in agnitione & fiducia Mediatoris Deum rectè

inuoces. Hæc *non fiunt sine magno labore.* Huius *allegoriæ autorem habemus* AMOS, *qui ait* 7. Cap. *se uellicare Sycomora* בלם שקמים, *id est, scalpere fructus illos, sicut usitatum erat, id est, se arguere populum, & rursus consolari.*

Cùm igitur commendet nobis doctrinæ studia hæc imago Sycamini, legentes eius nomen in sacris libris, hanc dulcem allegoriam cogitemus. Simul etiam cogitemus, Deum *pinxisse uarias imagines in rebus nascentibus, & testimonia de prouidentia ostendere.* Teipsum *aspice:* Noticiæ Legis *in* Mente *tua, & uindex dolor in* Corde, *sunt illustria testimonia de* Deo.

Meminerint *studiosi &* Theophrasti *uerba de hoc fructu libro* 5. *de causis plantarum:* ὃν πεπαίνει δὲ καλῶς μὴ ἐπιχνιοθέντων καὶ περιαλειφθέντων ἐλαίῳ.

Athenæus *scalpi inquit, & deinde flatu* Zephyri *molliora & matura* Sycamina *fieri, quod ipsum quoq; concinnum est ad* Allegoriam: Dulcissimis Zephyris *spiritus* Sancti *corda foueri.* Ait *& uncta oleo cùm stomacho imponuntur, tollere febres. Sunt & aliæ utilitates in medicatione, glutinant uulnera, medentur auribus, & splenı. Sed legantur alibi.*

Cùm autem sciamus necessaria esse studia doctrinæ in Ecclesia, *faueamus eorum exercitijs,*

ad quæ pertinent Examina gradibus additâ: Nunc igitur facta exploratione doctrinæ horum, quorum nomina adscripta sunt, Deo iuuante decernemus eis gradum Magisterij Philosophici decimo sexto Februarij. Ad eam renunciationem ut conueniant Doctores, Magistri, & auditores, petimus, quia & renunciationem testimonij decet esse publicam, & preces nos coniungere iubet filius Dei, ut ipse gubernet studia & protegat nos, sicut inquit: Vbicunq; duo aut tres conuenerint in meo nomine, in medio eorum sum, Et scit ipse, qui est καρδιογνώστης, nos quærere ueritatem.
Datæ die 12. Februarij, 1559.

RECTOR ACADEMIAE
VVITEBERGENSIS
H. B. A. S. &c.

CErtò *statuamus ueram esse regulam*: Nisi Dominus custodiat ciuitatem, humana defensio inanis est, *Et hac fide petamus & expectemus à Deo protectionem. Postulat autem Deus, ut misericordia adficiamur erga calamitosos, eisq; leniamus mala quantum possumus, & pro his beneficijs uicißim*

sus

sua bona promittit, ut inquit: Beati misericordes, quia misericordiam consequentur. *Perierunt autem in Academiæ Pago* COPNIK *aliquot domus incendio. Ibi egentibus familijs Academia publicè aliquid largita est. Nunc oramus ut priuatim quoq; fiat collatio, & largiantur aliquid auditores, qui rectè docentium labores non contemnunt.*

Semper in Ecclesia fuit collectio Elemosynæ. Inde nomina sunt Missæ & ἀγάπαι. Nec sine mutuis auxilijs cœtus hominum esse possunt. Quanquàm autem nobis priuatim nihil petimus, tamen ut beneuolentiam erga nos declarent in ijs iuuandis, qui & ipsi conferunt ut Academia conseruetur, pium est. Oramus autem filium Dei, ut nos omnes clementer gubernet & protegat. Datæ 12. Februarij, Anno 1559.

IN SECVNDVM LIBRVM RHETORICES.

DE ELOCVTIONE.

Hactenus exposita est docti pars prima libelli,
Rhetoris argutum qui profitetur opus.
Ille, quis utilium rerum delectus habendus,
Quiq; bonis rebus congruat ordo, docet.
In tenui positus studio labor ille uideri
Possit, & , ut fatear, commoda parua feret,

Docta

Docta nisi Eloquij ratio iungatur, & usus
Crebrior, artifices qui facit esse bonos.
Ergò operis restat pars, omni tempore laudem
Iudice præcipuam quæ Cicerone tulit.
Cuius ope ora hominum solers Orator & aures
Detinuit toto sæpè fremente foro.
Cuncta quis antiqui monumenta reuoluerit æui,
Priscaq; laudati temporis acta legat.
Facundæ inueniet sub iura potentia linguæ
Isse, uagi quidquid circulus Orbis habet.
Eloquio populosq; truces cessisse, Ducesq;,
Fortunata quibus Regna stetêre diu.
Eloquio uictus Mars proijcit impius arma,
Eloquio constat Relligionis honos.
Adduxit Christo Pauli facundia Gentes
Per mundi Eoas occiduasq; plagas.
Tu quoq; postremi secli facunde Propheta,
Hac sternis Latij regna, Luthere, lupi.
Ardua res nimium est (quis enim neget) ista facul-
Omnia sub Leges quæ uocat una suas. (tas,
Et paucis concessa uiris, quos secula tales
Singula per longas uix habuêre uices.
Non tamen abijciat studium ingeniosa iuuentus,
Prouehit audentes fortia sæpè Deus.
Dicendi ratio reliqua est mediocris: Vtranq;
Arte regi, ueterum nos monumenta docent.

De qua

De qua posterior cùm det præcepta libellus,
Hunc etiam solita sedulitate legam.

Idibus Februarij 1559.

Hora & loco consuetis.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO à Starhemberg, &c.

MAgnum decus est publici status & salutare hominibus Nobilitas erudita, et iusticiam intelligens ac amans, quæ regit publica consilia. Gratulanda est igitur hæc fœlicitas Pomeraniæ, quòd plures ex Equestri ordine in ea natione doctrinas intelligunt, quàm in quacunq; alia Germaniæ parte. Quanta dignitas est Senatus Ducis PHILIPPI, in quo multi eruditione excellunt, inter quos est BALDASAR à Vuald, non solùm in Iure, sed etiam in Philosophia præclarè eruditus. Huius agnatus ANDREAS à Vuald, diligenter hîc ad Iuris studium adiunxit Ecclesiæ doctrinam, & exercitia utilia linguæ latinæ. Mores eius semper honesti, pij, & placidi fuerunt. Et in

hoc longo

hoc longo morbo pietatem eximiam ostendit, lectioni Euangelij miscens assiduam inuocationem Dei, recitationi Psalmorum, sermonibus eruditis & confessioni doctrinæ. Et animi tranquillitas fidei robur ostendit. Non dubitemus igitur, eum in numero esse illorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Precamur autem Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut matri ipsius uiduæ, honestissimæ matronæ, in hoc luctu dolorem leniat, & multis bonis ingenijs tribuat spacia uitæ longiora, ut prodesse posteritati queant, de qua profecto nos sollicitos esse decet, quia proh dolor crescunt dilacerationes Ecclesiæ, quas ut sanet filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, assiduis eum gemitibus precemur.

Hortamur autem Scholasticos, ad ut sunus Andreæ conueniant hodie hora quarta, in uico in quo est auditorium Iurisconsultorum, & in talibus congressibus sese & Ecclesiam Deo commendent pia precatione. Et narratio Historiæ de Cananea matre heri recitata, nos commonefaciat de publicis & priuatis periculis, & excuscitet nos ad precationem. Datæ die 20. Februarij.

Anno 1559.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NErui sunt Iurisdictionis nostræ Iuramentum, & uinculum uocationis ad iudicium. Hos neruos tueri nos necesse est, etsi pœna est lenior, quàm in politica gubernatione esse debet. Imitamur enim Ecclesiam, quæ non lacerat corpora, sed dimittit reos ex suo cœtu, & crimen & sententiam effert in publicum, quia iudicia debent alijs nota esse,

Cùm igitur uocatus sit in iudicium religione Iuramenti Martinus Prewer, *nec in iudicium uenerit, nec se ullo modo excusauerit, excludimus eum ex Academiæ societate. Fuitq; magna causa, propter quam uocatus est. Ebrius iniustè uerberauit nobiles adolescentes. Id ebrio fortassis condonari poterat. Sed illud fuit atrocius, quòd collocatus in lectum, media nocte ex interuallo nouum tumultum excitat. Frangit fores cubiculi armatus ferro, & rursus uerberat obuios, Ac difficulter tàm diu reprimitur, donec & in alia habitacula adolescentes euadunt nudi, & accurrunt alij, qui eum coherceant.*

Mittitur statim & ad Rectorem, ut iubeat istum, qui non iam ebrietate peccet, sed alio impetu iniusto, abduci in carcerem. Rector mandauit, ut Vrbani uigiles eum in custodiam usi-

tato

tato more ducerent. Promisit autem ministro Academiæ, se iudicium Rectoris subiturum esse. Nos igitur postridie citò eum in iudicium uocauimus, quia latere eum audiebamus, eoq; magis properauimus, quia maiora pericula metuebamus, si ex latebris erumperet, & nouos tumultus excitaret.

Hæc cùm ita acta sint, perspicuè intelligi potest, graues causas fuisse, & cur auxilium ab excubijs petitum sit, & cur postea ad iudicium uocatus sit. Nunc cùm Iurisdictionem nostram sprenerit, sciat se à nostra societate exclusum esse, & petituros nos esse à Magistratibus, ne desint officio. Omnes sani intelligunt, gubernatores quantum fieri potest, Deo iuuante, honestam pacem tueri oportere. Nec alia ulla causa mouit nos, ut hac seueritate usi simus, nisi ut tranquilla domus esset, quæ multorum Nobilium, & honestißimorum iuuenum hospitium est. Datæ die 24. Februarij, Anno 1559.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

IN ea regione in VVestualia, ubi HARMINIVS Cheruscorum Dux, id est, Harciniorum, deleuit Romanum exercitum, in quo erant

erant uiginti millia militum, familia Equestris est uetustæ nobilitatis, cognomine MVNCH. In ea familia natus fuit uir Nobilis IOHANNES MVNCH, qui fuit in comitatu uiri Nobilis & uirtute præstantis, ADRIANI à STEINBERG, cui illustrissimus Dux Saxoniæ, Elector AVGVSTVS, hanc uicinam regendam commendarit. Fuerunt autem honesti mores huius Iohannis Munch, & mens pia, amans Christianæ doctrinæ, & rectè inuocans Deum. Iusticiam & fortitudinem ostendit in castris Pannonicis, ubi in militia honestissima in repressione Turcicorum Latrociniorum reipublicæ fideliter seruiuit. Nunc etiam in morbo se piè commendauit filio Dei, uitam eò optans, ut diutius prodesse in militia honesta posset, sæpè quasi uaticinans, & in Germania rursus domesticas seditiones futuras esse, & magnos exercitus Turcicos aliquanto post in Pannoniam & uicinam Austriam uenturos esse.

Cùm autem heri piè decesserit ex hac uita, hortamur scholasticos, ut hodie hora quarta ad pias funeris ceremonias ante Arcem conueniant, & ibi singuli suam uitam Deo commendent, & pia precatione Ecclesijs, & Germaniæ salutarem pacem tribui petant, sicut sciunt scriptum esse: Nisi Dominus custodierit ciuitatem,

fruſtra uigilat, qui cuſtodit eam.

Datæ die Februarij 26. Anno 1559.

GEORGIVS MAIOR PIO LECTORI.

REdit iam tempus, quo Eccleſia tota angelorum & hominum, memoriam ſacroſanctæ paſſionis & reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti celebrare, & æterno Patri pro hoc inenarrabili beneficio redemptionis generis humani per filium factæ, gratias agere ſolet. Etſi enim Eccleſia noui Teſtamenti, non ut ſynagoga, ſit alligata certis menſibus, diebus aut Feſtis. Tamen uult Deus in Eccleſia, ſua beneficia agnoſci, & ad omnem poſteritatem prædicari, & propagari in omnem æternitatem, & dulcis recordatio & prædicatio beneficiorum Dei eſt, eo ipſo tempore, quo illa beneficia exhibita ſunt, & impietas & barbaries magna eſt, ignorare, aut nolle diſcere, quo anno, & quo tempore anni, ſingula beneficia à Deo nobis ſint exhibita. Quomodo enim mentes ad inuocationem & gratiarum actionem, quam Deus à nobis omnibus requirit, exuſcitari poſſunt, ignoratione beneficiorum Dei?

Et hoc ipſum tempus menſis Martij, quantis de beneficijs nos commonefacit? quo mundus conditus eſt, quo, die 25. eius Menſis, cùm Adam in

peccatum

peccatum & mortem ac horrendam iram Dei prolapsus esset, per filium ex arcano sinu patris promissio, de reparatione hominis perditi, prolata, & miserrimis hominibus Adæ & Euæ, ne in desperationẽ & æternũ interitum ruerent, ne se, ut paulò ante uiderant, angelos inobedientes Deo abiectos perpetuo putarent, patefacta est, quo iuxta patefactã promissionẽ, filius Dei in utero uirginis Mariæ, de Spiritu sancto conceptus est, Quo item die idem filius Dei annò postea ætatis suæ 34 inchoato, iam ante annos 1525 in cruce pro nobis uictima factus est. Hæc tanta beneficia Dei, & ipsius filij Domini nostri Iesu Christi, pecudum more, non curare, nolle agnoscere, nec pro ijs æterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias agere, quàm immanis inquam, & tetra impietas & barbaries est?

Cùm hoc tempore filius Dei horrendam iram æterni Patris, in sese propter peccata humani generis ut in κάθαγμα effusam, sentiret, & hanc ardentissima precatione, densas guttas sanguinis, præingenti dolore exudans, deprecaretur, et audiretur eius tristissima uox: Deus meus Deus meus, quare me dereliquisti? Ac creatura uideret tàm atroces et indignas pœnas pati innocentẽ creatorem, De cœlo ueniunt angeli, qui luctantem cum morte & ira Dei, erigunt, obscuratur Sol,

concutitur terra magno motu, scinduntur durissimæ petræ, testantes simul suum dolorem ex afflictione creatoris Domini uostri Iesu Christi. Duriores igitur illis scopulis ad Ierosolymam sunt, qui sensu tantarum rerum, de quibus nos præsens tempus commonefacit, non tanguntur, nec flectuntur ad pœnitentiam, cùm propter sua & nostrùm omnium peccata hos tantos cruciatus internos, & lacerationes corporis externas, Filium Dei innocentem sustinere & pati audiant.

Vt igitur nos mutuò ad considerationem horum beneficiorum Dei, ad inuocationem & gratiarum actionem inuitemus, pro ueteri & usitato more decreui hoc tempore enarrare Psalmum 22. qui luculentam & illustrem Prophetiam de passione, morte & resurrectione Domini nostri Iesu Christi, de æterno eius sacerdotio & regno continet, à Propheta Dauide annis 1066. editam priusquàm uictima fieret Christus, cuius Psalmi uerbis, Christus ipse in aram Crucis exaltatus, Item derisores Christi, & Apostoli in descriptione Historiæ utuntur, ut nullum dubium sit, hunc Psalmum de nullo alio, quàm de Christo, & eius uictima & oblatione loqui.

Datæ 15 Martij.
1559.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS HENRICVS BARO à Starenberg, &c.

ANnus hic est à primo Paschate quod Israelitæ exituri ex Aegypto celebrarunt 3068. Tot annis continua serie & seruauit filius Dei Ecclesiam suam, & agnoscere ac celebrare eam sua beneficia uoluit, seruabit etiam deinceps hanc ipsam ob causam, ne in genere humano extinguantur uera ipsius noticia, & inuocatio Dei. Sed proh dolor, ut Sol medio die lucem amisit, & contra naturæ ordinem subitæ tenebræ fuerunt, cùm in cruce Filius Dei penderet: ita in hac mundi senecta tristes tenebræ erunt in magna parte generis humani. Quis non cohorrescat mente intuens Asiam & Africam, ubi Regna manifestè contraria Filio Dei constituta sunt, in quibus dominantur blasphemiæ, & tetræ confusiones libidinum? Et in Europa Pontifices & Reges Idola defendunt, opprimunt ueri Dei inuocationem, homines pios crudeliter interficiunt, & multa turpia exempla stabiliunt. Reliqua exigua multitudo in hac horrida Boreæ ora, quæ pulsam ex Asia, Aphrica, & magna Europæ parte uocem Euangelij sonat. In his reliquijs, quanquàm & hæ uariæ

lacerantur, tamen regnat filius Dei resuscitatus, sedens ad dextram æterni Patris, ac dona largiens hominibus. Hunc cœtum agnoscamus, & intueamur, cum dicimus: Credo esse Ecclesiam Catholicam, & lætemur nos, & audire doctrinam filij Dei, & esse ciues ueræ Ecclesiæ.

Tibi igitur omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator generis humani cum filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo & Spiritu tuo sancto gratias agimus, quòd immensa misericordia te nobis patefeciſti, & filium misisti, ut Euangelium ex arcano sinu tuo proferret, & uictima pro nobis fieret. Te etiam ueris gemitibus precamur, ut propter filium Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum & resuscitatum, & per eum nobis gratiam, iusticiam & salutem æternam tribuas. Sicut scriptum est: Agnitio serui mei iusti iustificabit multos, & corda nostra Spiritu tuo sancto gubernes, & nos protegas.

Tibi etiam fili Dei Domine Iesu Christe crucifixe pro nobis & resuscitate gratias agimus, quòd immenso amore nostri mitti ad genus humanum uoluisti, & adsumpsisti massam humanæ naturæ, & pro nobis uictima factus es, & colligis æternam Ecclesiam uoce Euangelij, & te ueris gemitibus oramus, ut nos recipias, ne frustra pro nobis

bis fusus sit sanguis tuus, sed remittas nobis peccata, & regas nos Spiritu tuo sancto.

Tibi etiam Spiritus sancte, procedens ab æterno Patre & Domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis & resuscitato, Viue, sapiens, uerax & caste, gratias agimus, quòd corda audientium Euangelium ad Deum flectis, & uis in eis lucere & ea regere, te oramus, ut nos semper gubernes, & in nobis fulgeas.

Vos uero huius Academiæ Scholasticos hortamur, ut ferias in Ecclesia cogitetis, non esse Ethnica Orgia, sed recordationem beneficiorum Dei, & exercitia pœnitentiæ & inuocationis. Zacharias inquit, ingentem fore luctum in passione Christi in urbe Ierosolyma, qualis luctus est in morte unigeniti, & qualis luctus fuit uulnerato Iosia in campo Hader Rimmon, & Mageddo. Quanto in dolore mater Maria fuit spectatrix mortis filij? Vult autem Deus nos uerè agnoscere iram aduersus peccata nostra, & quanquàm Propheta sumit exemplum à luctu in morte Regis Iosiæ præclarè meriti, tamen Ecclesiam his ipsis adpellationibus describit. Oppida Hader Rimmon & Mageddo non procul à Samaria uicina sunt littori. Significat autem Hader Rimmon ubertatem mali Punici. Mageddo eloquium.

Talis est Ecclesia, sonat uerbum Dei, et habet grana cum succo saluberrimo, qui similis est cruori. Membra Ecclesiæ aluntur sanguine Filij Dei, Fit etiam cruenta in confessione, Iubet Paulus, non epulari in Paschate, Sed ἑορτάζειν, quod est festum diem celebrare, & uerbum esse factum scribitur ab ἑοργα quod est sacrificaui. Sunt autem Sacrificia & λογικὴ λατρεία, audire, legere, & cogitare doctrinam Dei, conuerti ad Deum, dolore adfici propter nostra peccata, & pœnas publicas & priuatas, & petere remissionem, Deo gratias pro beneficijs agere, & inchoare emendationem. Pœnæ in conspectu sunt, Trucidantur in Liuonia & in Pannonia multi sancti homines, aut abducuntur in barbaricam seruitutem tristiorem morte, lacerantur Ecclesia dissidijs, & priuatæ calamitates multæ sunt. Et quotidiè Turci propius ad nos accedunt. Sciamus autem pœnas commonefactiones esse de conuersione. Nec simus ingrati filio Dei, qui sensum iræ Dei, & mortem propter nos sustinuit, Sed doleamus propter nostra delicta, & confugiamus ad Mediatorem, & petamus ab eo gubernationem & pœnarum mitigationem. Cùm autem Ecclesia uoce Euangelij colligatur, & Deus reuerentiam erga docentes Euangelium seueriùs mè præceperit, extet & significatio reuerentiæ in nostra Ecclesia, & hodie singuli offerant munus

ad

ad Aram, qua in re & alios exemplo nostro ad reuerentiam erga docentes Euangelium inuitemus.

In Pascate Anno 1559.

Anno à primo Pascate 3068.

PRECATIO.

QVod λόγος æterni demissus ab arce parentis,
Factus & humana uictima carne fuit.
Hæc est diuina sapientia tradita uoce,
Quam uerax testis comprobat ipse Deus.
Tanta Dei bonitas & tanta hæc fœdera cerni
Non possunt, doceas tu nisi corda DEVS.
Vis autem agnosci λόγον, ac ut nuncius iret
Misisti, nobis pignus & esse iubes.
Te pater ipse simul uis & tua munera sumi,
Te tribuas nobis & tua dona, fide.
ERGO Gnate Dei nobis da Christe precamur
Noticiam Patris noticiamq; tui.
Eq; tuo flammas in pectora spargito nostra
Vt celebrent uero semper honore, Deum.
Et tua sit concors crescatq; Ecclesia, & una
Voce tuas laudes & tua dona canat.

Philippus Melanthon.

ANNO 1559.

ORATIO ILLVSTRIS AC GENEROSI DOMINI DOmini Adolphi, Comitis in Nassaw &c. qua Academiæ Professoribus, Rectori, Doctoribus, & Magistris, die 28. Martij. Anni 1559 ad prandium inuitatis publicè gratias egit, & ualedixit.

CLarißimi uiri, & Præceptores Reuerendi. Et beneuolentia erga me uestra, quam multis officijs interea dùm hîc uixi, ostendistis, delector, & plurimum me uobis debere agnosco. Nam & exemplis uestris & doctrina aßidua ad pietatis uirtutum, & optimarum literarum amorem & studia excitatum me esse intelligo.

Quam rem ego quidem tanti facio, ut in præcipua parte meæ fœlicitatis ponam, quòd mihi uestra consuetudine hac ætate, quæ maximè diligentem institutionem requirit, frui aliquandiu, & pietatis uirtutumq; doctrinam haurire à uobis licuit. Itaq; gratias ago uobis omnibus quàm maximas, Ac si quid acciderit, in quo uobis meum studium aut opera prodesse queat, confirmo me operam daturum, ut intelligatis me & studia literarum magnifecisse semper, & uestrorum erga me meritorum memoriam grato animo conseruasse.

Oro autem Deum æternum Patrem Domini nostri

nostri Iesu Christi, unà cum filio coæterno & Spiritu sancto, ut nos omnes diu seruet incolumes, & uestras Ecclesias & Scholas protegat. DIXI.

FINIS *Intimationum.*

SEQVVNTVR ALIQVOT CARMINA PHILIPPI MELANTHONIS & aliorum doctißimorum Virorum.

IMAGO SOMNII.

Aiacem uidi stantem, iuuenilia membra
Qui fului indutus pelle leonis erat.
Fraxineamq; hastam cùm fortis dextra teneret
Leuum ipsi Clypei texerat umbo latus.
In quo magna boum dicuntur tergora septem
Artificis docta iuncta fuisse manu.
Sed supra caput Aiacis, mons eminet altus
Floribus & leto gramine ubiq; uirens.
Cuius in excelso uictor stat uertice Christus
Vnicus æterno de genitore satus,
Signa gerens reducem superata morte, triumphi
Qualia tunc comitum ferre caterua uidet.
Huius sub pedibus medioq; in monte tropheum
Angelica crux est aurea fixa manu.

Multa

Multa quidem pauidæ ſimulachra fugacia mentes
Quæ cœca uolitant irrita, nocte uident.
Sed tamen hæc ſi non luſit fallacibus umbris,
Talia ſollicitis forſan imago monet.
Irati quamuis mouerunt triſtia bella,
In ſua graſſantur uiſcera iamq; duces.
Et iam ciuili patria eſt polluta cruore,
Iuſtaq; nos ſontes opprimit ira Dei:
Vt tamen in medijs laceratus naufragus undis
Qui ſupereſt tabulas colligit ipſe ſibi:
Sic aliquem eripiet cœtum de fluctibus iſtis,
Aeterno Chriſtus de genitore ſatus.
Eſtq; inter dubios manſura Eccleſia motus,
Vt uictor Chriſtus montis in arce ſtetit.
Flecte precor nobis iratum Chriſte parentem,
Qui uis pro nobis ſupplicis eſſe loco.
Et quam ſparſiſti prolatam è mente parentis
Deleri uocem ne patiare tuam.
Doctrinæq; tuæ ſtudium, paruamq; Sareptam,
Doctrinæ hoſpitium protege quæſo tuæ.
Et placidam clemens nobis concedito pacem,
Tuq; Ducum mentes, tu populiq; regas.
Nemo meis manibus cœtum mea dicta colentem,
Sic inquit tua uox, eripuiſſe poteſt.
Hæc promittit opem nobis, & pectora, ut à te
Auſint auxilium poſcere, noſtra mouet.
Vt ſerues igitur, uotis te ardentibus oro,
Agmina quæ legis ſunt ſtudioſa tuæ.

Semper

Semper ut agnitio mortales luceat inter
Manſura æterno tempore, uera tui.

ARATI CARMEN, APHILIPPO MELANTH. REDditum.

MOrtales nondum deprendimus omnia ſigna,
Quæ Deus impreßit naturæ conditor, arte:
Sed nos multa latent quæ nondum comperit uſus,
Quorum aliqua oſtendet uenturis Iuppiter annis,
Qui genus humanum cum uerè diligat, augens
Muneribus uarijs toto ſe monſtrat in orbe.
Vt quoties oculis incurrunt undiq; noſtris
Eſſe Deum doceant ueſtigia talia, noſq;
Eſſe ipſi curæ monitos teſtentur, & ipſum
Agnoſcant noſtræ mentes, lucemq; ſequantur
Iuſticiæ quam noſtra opifex in pectora ſparſit.

IDEM ALITER REDDITVM A VITO VVINSHEMIO.

PLurima mortales fugiunt incognita mentes,
Quæ Deus æternus nõdum patefecit in arte,
Hoc duce mox eadem manifeſta in luce patebunt,
Quæ nunc ſub denſa caligine merſa premuntur.
Namq; ipſi ingenti genus hoc amplexus amore
Vndiq; conſpicuum ſeſe dedit, atq; per omnes
Naturæ partes oſtendit plurima ſigna.

HESIODI

HESIODI SENTENTIA REDDITA A PHILIPPO Melanthone.

QVi nullo monitore potest facienda uidere
Quæq; decent, quæq; euentus in fine secundos
Sunt tandem paritura, suisq; obtemperat ipse
Consilijs, mores uera ratione gubernans:
Anteit hic alios uirtute & laudibus omnes.
Sunt alij minus ingenio plæriq; sagaces
Qui parere tamen curant meliora monenti,
Laudandos inter rectè numerantur & isti.
Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monẽtes,
Nec patitur frenos, nec legum uincula curat,
Sed pronus sequitur, quo traxit cœca libido:
Hic malus ac odio dignus ducatur, & idem
Accerset pœnas sibi tandem & tristia damna.

DE TABVLIS GEOGRAPHICIS. PHILIPPI Melanthonis.

ESse Deum, ostendit mundi pulcherrimus ordo
Et distincta locis corpora prima suis.
In medio terra est, sedes animantibus apta,
Orbis quam circum lucidus astra uehit.
Sunt quibus arte uiæ factæ, metæq; perennes,
Ne casu ex atomis omnia nata putes.

Aspicias

Aſpicias igitur terras ac aſtra, ſciasq́;
Eſſe Deum, cuius nos quoq; cura ſumus.
Et uideas ubi non dubijs oracula ſignis
Et leges dederit conditor ipſe ſuas.
Quoq́; loco fuerint Chriſti ueſtigia certa
Qui λόγος eſt natus de genitore Deo.
Et ſpectes fuerint ubi primum maxima Regna,
Lapſa alijs populis cur dederitq́; Deus.
Has igitur tabulas Regionum cernere prodeſt
Quæ ſpectatorem talia multa monent.

ALIVD CARMEN PHILIPPI MELANTH.

VIncere difficile eſt, tentant cùm dulcia ſenſus,
Ni fugias, pœna eſt ſæua luenda tibi.
Sed fuge teq́; regi poſcas à numine Chriſti:
Offendent quæ non poſſe uenire putes.

DE LYRICIS POETIS PHILIPPI CARMEN.

DIſcite iuſticiam moniti & non temnere diuos,
Nam ſontes punit iudicis ira Dei.
Hæc, cum regna canunt euerſa ducumq́; furores,
Scriptores Lyrici nos meminiſſe iubent.
Pindarus hæc melius Cygnea uoce canebat
Tu tamen & Flacci carmina ſæpe legas.

Impetus

IMPETVS POETICOS ESSE DONA DEI.

HVmanas ſuperans uires Heroica uirtus
Tales qui motus dat, monet eſſe Deum.
Sic etiam ubertas fundentis Carmina uenæ
Eſſe Deum oſtendit, motus & ille Dei eſt.
Ergo agnoſce Deum & iuſto uenereris honore,
Cùm docti Vatis ſcripta ſonora legis.

COLLATIO DE IMPOSITIONE MANVVM IN DEdicando Sacerdote, & dedicanda uictima.

MOs uetus & prima deductus origine mundi
Traditus & ſancta relligione Patrum.
Sacrifici manibus pecudis contingere frontem,
Hoſtia quæ pura eſt iam facienda Deo.
Norma Sacerdotem ſimilis cur dedicat ipſum,
Impoſita cur ſit ſanctus & ipſe manu?
Teſtatur ritus puram eſſe Deoq; dicatam
Ante aras pecudem quæ ferienda cadet.
Sic inculpatum mos hic iubet eſſe miniſtrum,
Qui iam doctoris munus obire uolet.
Non aliquo ſit mens polluta errore profano
Vitaq; ad exemplum crimine tota uacet.
Addictusq; Deo diuina oracula tradat
Officij metas norit & ille ſui.

Lege

Lege datos fasces alijs permittat habendos,
Nec rector trepidi gestiat esse fori.
Non uulgi frenos populari deditus auræ,
Nec morum laxet uincula grata Deo.
Nolit ad affectus Regum cœcosq; furores
Flectere ceu turpis iuraq; fasq; Gnato.
Quiq; manum imponit rectoris nomine summi,
Semper ut huic curet subditus esse iubet.
Doctrinam moresq; regant cœlestia dicta,
Et noua non ausit condere iura sibi.
Heu quantum rerum molem, quæ pondera doctor
Infirmis humeris ille gerenda subit?
Seu cupidas regum mentes frenare studebit,
Seu populum ad mores uult reuocare bonos:
Numina seu conficta dolo detrudet ab aris,
Impia Pontificum diminuitq; lucra:
Seu fictam Monachis personam detrahet, atq;
Adseret æterni dogmata uera Dei:
Quas feret ærumnas furijs agitantibus hostes
Tollere qui è medio tale Catharma uolent?
Sic etiam doctor sincerus uictima fiet,
Assidueq; litat sanguine & ipse suo.
Ecce tenes causas, cur ritus dedicat idem
Et pecudem, & mysten qui pia sacra facit.
Ista Sacerdotis Christi uerissima imago est,
Muneris huic detur gloria prima sacri.
Hic sine labe fuit, claraq; in luce parentem
Et uidet, & uero semper honore colit.

Huic Deus ipſe manum impoſuit, iußitq; docere
Arcana æterno dogmata prompta ſinu.
Hunc preſſere manus & iuſſa ſeuera parentis,
Supplicio ut lueret crimina noſtra ſuo.
Hunc licet inferior comitatur cætera turba,
Officij titulam cui dedit ipſe ſui.
Vult Euangelij cuſtodes ſemper haberi,
Militiæ ſocios ſemper & eſſe ſuæ.
Cùm mater uocat hos Eccleſia nomine Chriſti,
Mandat & impoſita munera ſacra manu.
Admoniti diſcant iſtius imagine ritus,
Hic ordo quantum polliceatur opus.
Vt pecus ante aras quondam ſacrata cadebat,
Toſta Deo ut fierent uiſcera ſuauis odor:
Victima ſic etiam Chriſto fit quiſq; ſacerdos,
Laudibus ut fragrent terra poluſq; Dei.
Talis Abel tenerum purè mactauerat agnum,
Agnus at exitio mox datus ipſe fuit.
Conſilio patrias Eſaias rexit habenas,
Et trepidis portus ciuibus ille fuit.
Depulit Aſſyrium Solymis à mœnibus hoſtem,
Victori ponens clara trophæa Deo.
Iamq; ſenex centum uitæ confecerat annos,
Cum ſerra ſciſſus uictima & ipſe fuit.
Nemo poteſt memorare omnes, ſpectabimus omnes,
Cùm Deus induerit corpore quenq; nouo.
Talia ſed quædam prodeſt exempla tenere,
Non Baptiſta igitur prætereundus erit.

Hic Euangelium monſtrato tradidit agno,
Placatum nobis qui facit eſſe Deum.
Et Phariſæorum taxans deliria, ritus
Fucoſos uetuit pro pietate ſequi.
Iuſtificamq; fidem docuit Iordanis ad undam,
Et rupes gnatum iam ſonuere Dei.
Sordibus humanis lex obſcurata iacebat,
Huic etiam lucem reddidit ille ſuam.
Congrua deſcripſit ciuilis munera uitæ,
Iuraq; militibus, iudicibuq; dedit.
Atq; fidem iußit lucere in rebus agendis,
Notior ut fieret gloria uera Dei.
Coniugij ſancit legem, damnatq; Thyeſten
Vxorem fratris qui rapere auſus erat.
Quare Baptiſtam crudelis adultera perdit,
Qui moriens ueluti uictima cæſa iacet.
Noticia Chriſti Stephanus, non ſanguine Tauri
Reſtitui uitæ dona perennis, ait.
Concio Pontifices ingrata accendit auaros,
In caput ut iacerent aſpera ſaxa uiri.
Vtq; alios multos ſileam, fit uictima Paulus
Eoo Chriſti nomen ab orbe gerens.
Et dum ſex luſtris terraq; mariq; uagatur,
Ac Euangelium ſpargit ubiq; Dei.
Et negat extingui mentem diuinitus ortam
Corporis è uinclis quando ſoluta fugit.
Proponensq; malis pœnas, & præmia iuſtis,
Arbitrio uero diſtribuenda Dei.

Iusticiam monstrat quam Christi propter honorem,
Aeternus, nobis dat, pater, atq; probat.
Interea pugnæ pugnisq; pericula iuncta
Tàm longo exercent tempore mille uirûm.
Dum tandem feriendа dedit sua colla Neroni
Et iacuit tanquàm uile cadauer humi.
Nostra etiam uidit quanquàm infœliciter ætas
Qui uitæ Christum præposuere suæ,
Hic ubi diuiso Batauorum est insula Rheno
Suduaniam in ripa dure Sicamber habes.
Hæc tulit Henricum ciuem, quem uidimus ipsi
Florentem studijs, ingenijq; bonis.
Hic toto Christi spirabat pectore amorem
Cui studuit uera reddere uota fide.
Eximiaq; suos mores pietate regebat,
Virtutum exemplum posset ut inde capi.
Quidquid id est, quod de natura Græcia scripsit
Artibus excultus norat & ille bonis:
Quas teneat metas dum totum perficit annum
Aureus obliquo Phœbus in orbe means.
Longius à terra cum summo tardus in axe
Voluitur, arentes cur premit æstus agros.
Cur quoties imo uelocior ibit in axe,
Et propior terræ frigida bruma uenit.
Hæc ita contemplans autorem agnoscere iussit,
Et pura grates dicere mente Deo.
Hæc, ait, ostendunt nobis illustria signa
Aeterna mundum non sine mente regi.

Alters

Altera ſed potior fuit illi cura, tenere
Extant quæ nobis tradita uoce Dei.
Hoc doctore iterum Bremenſi inclaruit urbi
Vnius Chriſti munere parta ſalus.
At quia diuinos ſtatuis detraxit honores,
Exitium Monachi qualibet arte ſtruunt.
His furijs mitra ornatus dedit arma Tyrannus
Qui tandem oppreſſum nõ procul urbe necat.
Hei cur tàm ſubito orbata eſt Eccleſia tali
Lumine, quo poſthac debuit illa frui.
O dilecte mihi ante alios Henrice, laboris
Nunc partem noſtri te tolerare uelim.
Talia præconum quamuis ſunt fata piorum
Membra iacent ſæuis & lacerata modis.
Non periere tamen, ſed habent commercia læti
Cum Chriſto, uiuis agminibuſq; Patrum.
Huius, cum ſtanti tibi frons tangetur ad aram,
Te fieri ſocium noueris ipſe Chori.
Pontificemq; ſcias tibi Chriſtum imponere dextrã,
Poſcenti uires & dare uelle nouas.
Prôh quanto à falſis Myſtæ diſcrimine ueri
Diſtant, hoc etiam nos meminiſſe decet.
Nemo poteſt unquàm cenſeri iure Sacerdos
Contra Euangelium qui fera bella gerit.
Quiq; furens audet noua fingere numina, quiq;
Sacra facit nulla tradita uoce Dei.
Tales ſacrifici celebrabant Orgia Baccho
Errans cum Thyrſis ebria turba ſuis.

Et Salij Martis tales ignota ſonabant
Carmina, cum gererent ſcuta uetuſta manu.
Sacrificos ſimiles creat & nunc Roma prophanã,
Qui propter uentrem numina falſa colunt.
Hos fuge & à ueris Chriſti diſcerne miniſtris
Purè Euangelij qui pia iuſſa docent.
Deniq; uota pij faciant, ſummumq; parentem
Aſſiduis precibus quod iubet ipſe, rogent.
Vt populum per quem uero celebretur honore
Augeat, & ſemper protegat atq; regat.
Fœlicesq; duces addat, doctosq; miniſtros,
Larga Euangelij meſſis ut eſſe queat.
Arceat & Chriſti graſſantem dextra Draconem,
Ne ferus humanum deuoret omne genus.
Seruet opus pater æternus, quod condidit, atq;
Noticiam extingui non ſinat ipſe ſui.

IN PSALMOS.

MEmbra rudi è terra primorum quando parentum
Arcana finxit maximus arte pater,
Adflauitq; hauſtas proprio de pectore mentes
Nos ad mirandum condidit autor opus,
Noticiam ipſius latè ut ſpargamus in orbem,
Vt laudent nomen terra poluſq; Dei,
Alter bonos tamen ad doctrinam accedere debet,
Adſidua ut quæras uoce parentis opem.
Vtq; Deo ſemper tales reddamus honores,
Æternam uitam filius ipſe dedit.

Hæc

Hæc tibi Dauidis proponunt carmina uatis,
Vt laudes tribuas & pia uota Deo.

ALIVD DE PSALMIS.

ESſe Deum æternam mentem, quæ cuncta creauit,
Mundi totius machina pulchra docet.
Plus tamen eſt ſic noſſe Deum, quod uota piorum
Placatus gemitus audiat atq; preces.
Id tibi promittunt hæc cœlo oracula miſſa,
Ieſſei uatis quæ ſonuêre fides.
Hinc igitur mœſtis ſolatia firma petantur,
Hunc quærat portum mens tremefacta ſibi.
Amphion cantu ſcopulos traxiſſe putatur,
Et potuiſſe Orpheus flectere uoce feras:
Attamen hos longè Dauidis carmina uincunt,
Quæ mentem è media ducere morte ſolent.

IN ETHICA.

NOn caſu uolucres atomi ſine mente ruentes
Hanc mundi formam progenuere nouam.
Formatrix ſed mens ſapiens, bona, libera, caſta,
Omnia miranda condidit arte, Deus.
Vtq; homines eſſent diuinæ mentis imago,
Attribuit radios lucis habere ſuæ.
Noticias, quales diuino in pectore lucent
Addidit, & legi congrua corda ſuæ.

Eheu diſsidium ſed noſtro crimine uenit,
Vtuntur flammis iam mala corda uagis.
Noticiæ manſere tamen legesq; ſeueræ,
Rectè factorum regula ut eſſe queant.
Et ne ceu pecudum ſit uita ſine ordine noſtra
His externa Deus uult modo membra regi.
Vt quanquàm iratus gladium ſtringebat Achilles,
Ipſe tamen reprimit cum ratione manus.
Ex his noticijs diuinis hæc quoq; fluxit
Doctrina, eſt iſto quæ recitata libro,
In quo uirtutum prodeſt ſimulacra uidere,
Qualia mens hominis pingere docta poteſt.
Sed Sol iuſticiæ radios in pectora ſpargens
Chriſtus & adſimilans nos ſibi luce ſua,
Virtutem accendit meliorem, neſcia mortis
Quæ uiuit flatu non moriente Dei.
His igitur ſcriptis doctrinam adiungito Chriſti,
Vt uiuens in te ſit λόγος ipſe Dei.

APVD ATHENEVM γλαυξ ἐν τάφῳ, DE SOPHOCLE ſene habentem uetulam.

NOctua ut in gelido cùm nidum forte ſepulcro
Conſtruit, & cœcum fœda cubile tenet:
Talis erit thalamus uetulæ mulieris, egenti
Et deliranti quæ male nupta ſeni eſt.

Prodi-

PRODIGIVM.

CVm Sibaris peritura fuit, ſunt omnia uiſa:
Præcedunt pœnas nuncia ſigna graues:
In medio conſpecta foro bilem atq; cruorem
Terribili ſpecie lurida luno uomit.

IN V. AETHICORVM ARISTOTELIS, AD DOCTOrem Chilianum Goldſtein.

QValis erat, terras cùm nondum Aſtræa reliquit
Virgo, tibi ſi quid forte uidere libet.
Spectandum in parua dabimus Chiliane tabella,
Nicomachus pinxit Nicomachiue pater.
Natiuo poteris ubi nudam cernere cultu,
Odit mercatum ſcilicet illa decus.
Et uultus ſpernit medicatos, gratus ut ille eſt
Qualis Apellæis eſt color in tabulis.
Hei facies quantum Chiliane hæc diſtat ab illa,
Pingere quam ueſter Bartolus ille ſolet.

PETENDVM VT SIMVS unum in Chriſto.

IN triſti ſudans quòd poſcit agone cruorem
Aeterno Chriſtus de genitore ſatus,
Semper concordes unumq; ut ſimus in ipſo:
Cum Chriſto noſtra hoc uota animiq; petant.

EPISTOLA DE CONVENTV RATISPONENSI ad Iohannem Cæsarium, Anno 1541.

Philip. Melanth.

IOHANNI CÆSARIO Philip. Melanthon S. D.

Hinc ubi collectis Ducibus iam Cæsar ad Istrum
Et iustas leges & pacis fœdera sancit,
Et studet arbitrijs æquis sedare tumultus,
Opto senex tibi perpetuam uenerande salutem,
Cui pater adsurgit medio de flumine Rhenus,
In ripa quoties cœlestia iussa sonantem,
Tradentemq; audit præcepta salubria uitæ,
Errantesué polo stellæ qua lege uagentur,
Quasq; uices regnis portendant fata, docentem,
Ac hominum cœtus ad munera iusta uocantem.

Aut si quando mones, qua rerum conditor arte
Indiderit certas uires & semina plantis,
Ne cœco casu moles hæc orta putetur,
Facta sed æterni mira ratione parentis,
Vtq; hominum genus autori curæ esse sciamus,
Hac ope qui iußit sæuos depellere morbos
Et celeres uitæ fugientis prorogat annos,
Si modo donanti fuerit mens grata, fruiq;

Arte

Arte ſciet tantis donis, luxuq; fugato
Lege uoluptates regere & frenare ſtudebit.
Aut quando recitas exempla uetuſta iuuentæ
Quas dederint pœnas polluti cæde Tyranni,
Quas urbes, & quos reges inceſta libido,
Vindicis ira Dei quam non placabilis urget,
Perdiderit, Sybaris ueluti, Thebæq; nocentes
Deletæ ſubitis perierunt cladibus olim.
Siue ut colliſæ ruerint ciuilibus armis,
Artibus & uirtute potens urbs Attica, & huius
Æmula bellatrix Sparte, dum gloria utranq;
Acribus exacuit ſtimulis, regniq; cupido.
Siue ut Cliniades inconſtans fœdera ſæpè
Turbauit, patrias & tandem euerterit arces.
Quas iterum tamen erexit uirtute receptas
Iuſtior & ueros meritus Thraſybulus honores.
Siue duces inter quoties certamina Romæ
Mouerit ambitio, & totum concuſſerit orbem.
Talia proponens uitæ ſimulacra regendæ
Eſſe Deum memoras, qui reddit præmia iuſtis,
Et ſcelerum pœnas atroces exigit ultor,
Hortariſq; ſequi bona non peritura iuuentam.
Fœlix qui ſtudijs traducis talibus æuum
Multorumq; iuuas uitam, moresq; gubernas:
Ac ueluti Neſtor populumq; ducesq; regebat,
Atridæ fuerant qui claſſem & ſigna ſecuti:
Sic tua doctorum miratur uerba ſenatus,
Sic & ab ore tuo pendet ſtudioſo iuuentus.

O utinam doctas audire & reddere uoces
Hos inter cœtus iſtic mihi Iane liceret,
Id longe mallem, quàm quo rapit impetus aulæ
Conuentus Regum ſectari, & quærere fruſtra
Centauros inter, qui legum uincula ſpernunt,
Inter & Autolyci callentes furta Sophiſtas,
Vt lacerum Chriſti corpus, diſcerptaq; membra
Sanari, & melius poßint coaleſcere rurſus.
Hei quàm ſæua cient nobis hic prælia utriq;,
Centauri exitium diuis cœloq; minantur,
Sed tentant fraudes & pugnant arte Sophiſtæ
Præſtigiasq; oculis animisq; offundere certant,
Inq; nouos uertunt cœleſtia dicta cothurnos.
Horum iam uideas odijs, rabidoq; furore
Miſceri patriam, ſceleataq; bella moueri,
Cæde ſacerdotum pollutaq; templa piorum
Vaſtari, & tales euerti à ſedibus urbes,
Ni Deus, ut ſeruet doctrinæ ſemina ueræ
Præcones fidos tegeret, mentemq; potentis
Flecteret Auguſti placidam, ad moderamina tanti
Lenia diſſidij, ac ad iuſtæ pacis amorem.
Hic uetat in patriæ graſſari uiſcera ciues,
Hic aris parci mandat, legeſq; uereri,
Hic prohibet ſuperûm Myſtas attingere ferro.
Semper ut hæc Cæſar faciat mitißimus, ipſi
Nate Deo, populisq; tuis concedito Chriſte.
Nec de conuentu plura adijcienda putaui,
In quo Magnanimo melius nil Cæſare uidi,

Tu uero uenerande ſenex ſalueq́; ualeq́;,
Quem colo Telemachus coluit ceu Neſtora Regem,
Iuſticiam ſenis admirans, & pectora plena
Conſilij, & linguæ facundæ dulcia plectra.

SOMNIVM NON CONFICTVM, SED VERE ITA cuidam dormienti oblatum hac ipſa ſpecie, ut ille poſtea his uerſibus breuiter deſcripſit. Anno 1541. Ratiſbonæ.

ME iuſſere Duces fallacem pingere Hyenam,
Et monſtri ſpeciem propoſuere mihi.
Tetra erat ex uariis moles confuſa figuris,
Tectaq́; liuenti ſanguimulenta cute:
Virginei uultus, ſed torua micantia flammis
Lumina ſæuiciæ triſtia ſigna dabant:
A collo gemini pendebant membra Draconis:
Scyllæi tandem pars erat ima pedes.
Horrebam aſpiciens, & toto corpore ſanguis,
Ac pene extincto ſanguine uita fugit.
Vt pingam tamen illi urgent, non obſequor, aio
Iratus, pingi non bene poſſe pedes.
Quo ruitis proceres? quis mentes occupat error?
Cur templo infertis talia monſtra Dei?
Excutior ſomno, gelidus cum pectore manat
Sudor, & è ſubito membra pauore ſtupent.

Nonnihil

Nonnihil hac moneor fortaſsis imagine, ſed te
Chriſte rogo, ut placidus pectora noſtra regas.

RESPONSIO IOACHIMI CAMERARII AD SOMnium de Hyæna.

QVæ mihi de monſtro narrabas uiſa Philippe,
Triſtia terribilis uiſa ſoporis opus,
Cùm fratrem à uobis uiſurus nuper abiui
Sollicitos tota nos habuere uia:
Nempe tibi, aiebas, carpenti nocte quietem,
Tempore quo ſomnus membra profundus ha-
Germani quoſdam ꝓceres capita ardua regni (bet,
Ante ſuos uultus exhibuiſſe tuum,
Pingere te ſpeciem orantes fœdam horribilemq;
Illius à ſcropha quæ fera nomen habet.
Quamq; ſuo perhibet ſermone Pelaſgus Hyenam,
Cuius uirginei frons oculiq; forent.
Per tergum diri coëunte uoluminis angue
In caput alterius ter duplicante caput,
At nullis effanda pedum immaniſsima uerbis
Effingenda fuit tradita forma tibi.
Quales Scyllæo quondam memorantur ab antro
Frigida per Siculi ſtagna nataſſe freti.
Tunc illi hoc à te petierunt inſuper, ante
Sacra Dei, ut uelles conſtituiſſe feram.

Hoc

Hoc tibi cùm nulla fieri ratione uideri
Posse, Dei ut proprium polluat illa locum,
Tum uerò illa pedum species turpissima prorsus,
Inq; ædis nulla parte ferenda sacræ.
Talia quid dicam portendere uisa quietis?
Nam non portendunt talia uisa nihil.
An nunc in manibus quas res atq; acta tenetis
Credendum est aliquo significare modo?
Nam qualis capitis facies? quæ blanda Philippe
Forma huius cœtus consiliiq; fuit?
At mox cum quanta mediam formidine causam
Vidimus horribiles implicuisse strophas?
Finis & hic illis pedibus respondit, & omnis
Exitus acta diu dissimulata probat:
Et nulla ueteres dixêre imitando referre
Posse hominis solos arte Satana pedes.
Atq; utinam fallat me coniectura, tuiq;
Miserit hæc nitidum uisa soporis ebur:
Formido tamen, & curis ingentibus angor,
Optime sed proprium Christe tuere gregem,
Et populum defende tuum, tantiq; redempti
Corporis auxilio protege membra tuo,
Ne lacerum fœdumq; iacens irrideat hostis,
Et dicat, tuus est nunc ubi quisué Deus?
Tu Deus in cœlis noster Deus, omnia cernis,
Vita salusq; pijs, interitusq; malis:
Gens seruata tibi celebri tua carmine laudes
Sanctificaq; fide debita sacra feret.

IN

IN VVINTONIENSEM DEFENSOREM COELIBATVS.

QVi castitatem magnis laudibus uebis,
Contraq; sanctum disputas connubium,
Tu, quisquis ille celibum admirator es,
Omitte iam tua cogitata callida
De coniugum ac de celibum discrimine,
Et te tuosq; contuere celibes,
Quæ uestra uitæ puritas sit istius:
Quod si impudicitiæ omnibus plenam notis
Libidinumq; spurcitate uideris,
Fucis nefandas turpitudines nouis
Ornare cesses. Falsa enim præconia
Mores refutant & tui & gregalium.
Nam quid, Deus bone, tu, tuumq; istud genus
Effœminatum, molle, quale erat Phrygum
Idea currum qui sequentis per iuga
Matris Deorum pulsitabant tympana,
De continentia atq; castis moribus
Speciosa uerba sanctimoniæ datis,
Non castitatem uos profecto quæritis,
Sed huius ut sub dignitate & nomine
Impunè libereq; turpitudini
Et seruiatis moribus nequissimis,
Ἀχημονοῦντες ἐν πρόσωπῳ πονηρία
Πάσῃ τ' ἀσελγείᾳ θεοσυγοῦ εἰσ.

ALPHA.

ALPHABETVM AVLI-CVM προοίμιον.

Omnia nec paucis præconia uersibus Aulæ
Comprehendi charta nec potuere breui.
Qui tamen ista leges quibus insigniuimus Aulam,
præcipua è multis nomina uera leges.
πάντα γὰρ οὐκ ἄν πως καταλέξης, ἢ ἄν ἐπι-κύρου
στοιχείων ἀψὰς ἀκροθελήεις ἄτομων.

Aula profanatæ sedes aptißima menti
Bullatis gaudens titulis, spe diues inani,
Consilijs inimica bonis, contraria uero,
Delitijs prægnans, hamata fertilis esca,
Errorum speciosa domus fraudisq; malignæ,
Fortunatorum speciem mentita locorum,
Gloria uentosis quam tollit in æthera pennis,
Humanos simulans confecto lumine uultus,
Inuidiæ atq; odij diro suffusa ueneno,
Κενταυρῶν δ' εἰνῶπις ὁμήγυρις αὐλοδέσμων,
Ludorum quærens uarias ignaua latebras,
Muneribus dextras obuersans semper apertas,
Nomina falsa gerens, fucosæ subdola laudis,
Omnia lætificæ referens ad gaudia uitæ,
Principijs ut blanda suis, ita fine molesta,
Quarta tribus furijs soror addita Thelxiepia
Regnorum ostentans elata insignia dextra,
Sorte potens, uera nulli ratione benigna,

Temporibus confusa, sine ordine, mobilis, exlex,
Virtutem simulans uiciorum immersa profundo,
Ξυσέβιος τε καὶ οἰνόφλυξ, πθαλῆα τ' ἄλοιφῆ
Γλομανὴς καὶ θηρομανὴς τε καὶ ἱπποδάμεια
Ζωῆς τ' ἀγαλεῆς μέθος Θ', καὶ ταυτάλου
ἄλσΘ'.

CARMEN DE AVLA DOcti cuiusdam.

QVisquis ad alterius nutum componere uultum
Nescit, & inustis auribus apta loqui,
Nunc uerum nunc falsa loqui pro tempore, & isti
Qui rerum potitur complacuisse uidet:
Omnibus hunc moneo longè discedat ab aulis,
Candor & integritas exulat inde procul.
Exulat & dulcis libertas, omnia fastus
Plena, nec est ullus dicere falsa pudor.
Dicere falsa pudor non est, sed durius illud
Quod non est ullus uera negare pudor.
Exilio grauior locus est & tristior, in quo
Nec sancto cuiquam, nec licet esse pio.

DE LECTIONE HISTORIarum Noribergæ Anno 1555.

IPse Deus metas annorum condidit arte,
Quas oculis simul & mente notare iubet.
Vt generi humano sint nota exordia mundi,
Ex atomis casu nec coijsse putes,

Vtq;

Vtq; Deus quo se patefecerit ordine constet,
Quæq; sit è cœlo uox data prima Dei,
Et quando fuerit uenturus, uictima ut esset,
Æterno natus de genitore λόγος:
Quòdq; habeant finem mortalia cuncta sciendũ est,
Iudicijq; instet quando tremenda dies.
Annorum rerumq; igitur sit notus ut ordo,
Regnorum historia est tota legenda tibi:
Hæc etiam ostendit diuinum numen adesse,
Quod nos iusticiam nosse & amare docet.
Punit & iniustos magnis cruciatibus omnes:
Ne dubita, iniustis lex rata semper erit.

ALIVD.

OCeani rapidis ut uentis unda cietur,
Semper habent uarias sic quoq; regna uices.
Vltima sed motus grauiores sentiet ætas,
Impia Turcorum quæ modo regna uidet.
Christe tua hos inter fluctus quassabitur Argo,
Attamen hanc rabies mergere nulla potest.
Nos prolata tuo qui dogmata discimus ore,
In cymba serues optime Christe tua.

DE INITIIS DOCTRInæ Physicæ.

FElix qui potuit rerum cognoscere causas,
Naturæ uarias & didicisse uices,

Si tamen autorem primum mens quærere curet,
Omnia nec casu corpora nata putet.
Esse Deum mentem æternam, quæ condidit arte
Præsentiq; suum numine seruat opus.
Agnoscas, quoties in cœlum lumina tollis,
Et stellas certis motibus ire uides:
Seu quoties hominis naturam introspicit, atq;
Effigiem nobis cernis inesse Dei.
Hunc rerum fontem si contemplabere, fructus
Magnos de physicis hæc tibi scripta ferent.

VVORMACIÆ ANNO 1540.
Simoni Grynæo.

Quòd Tullij tribuis laudes mihi docte Grynæe,
Hei nimium dici forte Poëta studes.
Effinxit Siculus cœli terræq; figuras,
Et quas efficiunt sidera pulchra uices,
Non tamen ille Deo potuit se æquare magistro,
Qui uitam & motum rebus inesse dedit:
Eloquium Tullij sic nemo expresserit unquàm,
Quod fudit motu mens agitata Dei.
Nemo, Pericleo quamuis sit præditus ore,
Assequitur laudes Marce diserte tuas.
Interea, tenui uena præconia Christi
Dicere si potero, sat mihi laudis erit:
Et Deus infantum celebrari gaudet ab ore,
Huic ergò officium spero placere meum.

DE PARELIIS CONSPE-
ctis Anno 1551. Die 21.
Martij.

SPargit ut in toto lucem Sol unicus orbe,
Viuificoq; unus cuncta calore fouet:
Vnicus æterni sic natus mente parentis
Accendit radijs pectora nostra suis.
Hei cur plura tamen Solis simulacra uidentur?
Et uacuo mendax ludit imago polo?
Doctrinæ fingent aliqui ludibria forsan,
Adijcient alias dißidijsq; faces.
Sed tu gnate Dei longè mendacia pelle,
Concordes animos lux tua sola regat.

IN INTERPRETATIONE
Orationis Æschinicæ κατὰ
κτησιφωντ.

VObis rursum hodie in Scholam feremus
Iustam Rhetoris Attici querelam,
Hostis qua iugulum sui caputq;
Iratus petit, atq; pestilentes
Obiurgat rabulas, furentem ad arma
Qui ciuilia, mutuasq; cædes
Accendunt populum, sibiq; regna
Pergunt impia fraude machinari,
Et leges temerarij refigunt,
Vallum scilicet unicumq; murum

-'acis, qua meliúſue gratiúſue
Dij mortalibus haud dedere quicquam.
Hæc audire iuuabit uniuerſos,
Qui uirtutis amant decus coluntq;.

AD AMICVM.

PErge mihi Latio ſermone exponere Iona
Cecropidum in medio crimina dicta foro,
Et, quibus inſontem Demoſthena proſcidit hoſtis,
Auſonia nobis iurgia uoce refer.
Non ignaua decent generoſas ocia mentes,
Virtutemq; acer durat alitq; labor.
Ergò operas ſtudijs ſocias adiungito noſtris,
Atq; aliquam partem uiribus adde meis.

DE LECTIONE HOMERI.

VEra eſt fama bonos agitari numine uates,
Nam Deus illorum pectora caſta mouet:
Virtutis præcepta canunt, At uatibus autor
Tradidit in terris illa docenda Deus:
Largaq; cum cœlo ueniat facundia, rurſus
Eloquij uires altera dona dedit.
Eſt igitur pietas quædam cognoſcere Homerum,
Cùm bona de Superûm munera ſede ferat.

Ad

AD CLARISSIMVM VI-
RVM D. DOCTOREM SEL-
dium Carmen consolatorium de obitu fratris
scriptum VVormaciæ Anno
1557.

ET dulce & firmum est fraterni fœdus amoris,
Cordibus hanc σοφίαν indidit ipse Deus.
Iure doles igitur tibi quòd sit frater ademptus,
Dimidium fuerat pectoris ille tui.
Et tibi consilij specimen fideiq; probatum
Curarum, dederat, te modo parte leuans.
Adprobat hunc etiam pietas diuina dolorem,
Sed tamen in mœstis iußit adesse modum.
Non hominum casu uoluuntur tempora uitæ,
Arbiter est certò qui regit ista Deus.
Nec mentes hominum deleri morte putandum est,
Quas adflat membris cœlitus ipse Deus.
Ergò Deo uitam repetenti cedere iustum est,
Spesq; nouæ uitæ nunc tua damna leuet.
O quàm læta dies hoc quæ me carcere soluet,
Vt poßim in clara luce uidere Deum.
Esse tui ut socios luctus nos Selde uideres,
Hæc non fucato pectore scribo tibi.
Ac opto ut uitæ tibi dux solatia præstet,
Aeterno natus de genitore λόγος:
Voce sua cœtus hominum qui colligit, ipsis
Vt uitæ reddat gaudia perpetuæ.

REVERENDO VIRO IOHANni Pistorio Pastori Nidano Philippus Melant. die Elisabethæ, VVormatiæ Anno 1557.

GRati munera summa conditoris
Narrremus, sibi colligit quòd agmen,
In quo fulgeat ipse, sempiternum,
Plenum iusticiáq; gaudioq;.
Huius agminis est Elisabetha
Consors, quæ tenuit uetusta sceptra
Oræ Tyrigetum, fuitq; mater
Stirpis inclyta Principum tuorum,
Qui Fuldæ dominantur & Visurgis.
Semen seruat enim Deus piorum.
Hanc cùm nunc celebres Elisabetham,
Ad nos aduenias Nidane pastor,
Matronæ ut pia facta proferamus,
Vt tali pietate nos colamus
Aeternumq; Deum, Deiq; gnatum,
Ac motus animi leues domemus.
Multùm exempla pios iuuare possunt.
Quanto robore pertulit dolores,
Extincto pariter uiro atq; gnato,
Ac pulsa ex patria uiri atq; gnati,
Ostendens mala perferenda sanctis
Esse ingentia, ut inuocare discant,
Mirandum auxilium Deum ferentem
Præsentemq; suis adesse cernant.

Sic

Sic cur noſtra onerata mole tanta
Sit natura, ſciamus, atq; iuſto
Sit ſubiecta Deo, ſimulq; propter
Gnati uulnera nos opem petamus.
Hoc exempla monent Eliſabethæ.

AD IACOBVM RVNGIVM Theologiæ Doctorem, VVormaciæ Anno 1557.

NAtalis redit annuus Lutheri
Hoc in Menſe uetus tenente nomen
Orionis, eò quòd hic in undas
Nunc mane inſilit, hoſtis ut uenena
Scorpij fugiat tum trahentis
Aduerſa regione cœli in ortu,
Et nymbos ciet horridosq; uentos.
Vt uerò ſenior docens Orion
De ſtellis populos ſimul monebat,
Quis nam lumina fecerit, uiasq;
Et motus regat arte ſempiterna
Sæpe addens, Deus ille fecit idem
Humanum genus, è ſuaq; luce
Infudit radios, ſuasq; leges,
Quas ſeruare iubet, coliq; ſemper,
Pœnisq; opprimit impios furores.
Sic & de ſapiente conditore
De Chriſtoq; λογῳ Dei parentis

Monſtraret meliora cùm Lutherus,
Hoſtes huic quoq; Scorpij fuerunt.
Sed texit Deus utilem miniſtrum.
Idem nos faciat Deus miniſtros
Gratos, & ſimul ut tegat precemur.
Natali celebrentur iſta luce
Dona ingentia, gratiæq; agantur
Aeternoq; patri, patriſq; gnato.
Et nobis eadem dari petamus.

AD REVERENDVM VIRVM Dominum Petrum Lotichium Abbatem in Eccleſia Monaſterij, cui Imp. CAROLVS Magnus Fundator nomen indidit SOLITARIAE.

CVm Franci tenuere pulchra regna,
Oræ Teutonicæq; Gallicæq;,
Clari Iuſticia Modeſtiaq;:
Templa in Saltibus & Scholas piorum,
Per quos Fulda fluit, petens Viſurgim,
Inſigni pietate collocarunt,
Veri noticiam Dei ſerentes,
Et uitæ documenta ſanctioris.
Huc reges quoq; ſæpe commeabant
Doctorum ſapientia fruentes,
Hymnos inter & hos Choros ſonantes
Cum tyronibus, aureis in armis.

Actum

Aetas aurea Principum bonorum
Hæc exempla dabat ſequenda plebi,
Hi cûm bella mouere erat neceſſe,
Auſi magnanimi ciere pugnas,
Donarunt patriæ ſuæ cruorem,
Inter prælia dexteras regente
Te Chriſto Duce, quem ſimul uocabant,
Vt ſoli tibi figerent trophæa.
Rurſus tempore pacis, ordinabant
Doctrinæ ſtudium, foriq; iura.
Hei quàm diſſimiles habet Monarchas?
Efforti modo ſeculi ſenecta,
Ignauos, ſtolidos, & inquietos,
Titanum ſimiles, Deo minantes
Spreto fulmine, Syderum ruinas.
Multos nanq; Dei necant miniſtros,
Quos ſtellas Daniel uocat Propheta.
Nec morem retinent ſodalitates
Veſtræ, quem ſapiens probat uetuſtas,
Multæ ſed ſimiles uidentur eſſe
Circæis ſtabulis, canum, ſuumq;.
Ac ut Grillus ibi priora membra
Non uult reſtitui ſibi, uidemus
Sic ſpurcos aliquos manere Grillos,
Spernentes ſapientiam Deumq;.
Solus Lotichius Scholis & aris
Doctrinæ ſtudium Deiq; honores
Reddit, fictilibus Dijs remotis,

Depulsisq; sophisticis tenebris.
Hunc tu LOTICHIVM tuere CHRISTE,
Aterno λόγε nate de Parente.

Scriptum in Solitaria, 11. die
Decemb. Anno 1557.

IN PSALMI XL. DICTVM:

Tunc dixi, Ecce uenio. In uolumine libri scriptum est de me, ut facerem uoluntatem tuam, Deus meus. Volui, & Lex tua in medio cordis &c.

CARMEN DE MERITIS ET efficacia filij Dei Domini nostri Iesu Christi.

Christus loquitur.

ISta tui de me sunt scripta uolumine libri,
Sæpius & uiua prodita uoce Deus.
Vt quod ab æterno sanxisti, atq; ordine certo
Exigis, immota legeq; iusticiæ:
Id desperatis mortalis omnibus, unus
Præstarem, ex pura uirgine natus homo.
Quas primi pœnas lapsu meruere parentes,
Quas proprio cumulat crimine quisq; suo:
Iram iudiciumq; suum, sæuosq; furores
Dæmonis, æternæ tristeq; mortis onus:
Hæc ut ab humana translata ego stirpe subirem,
Criminaq; abluerem sanguine cuncta meo.

Et

Et mihi confisos infuso flamine sacro
Vestirem uita iusticiaq́; noua.
Hæc placuere tibi Deus, his me sponte uolensq́;
Despondi, & tua nunc iussa uerenda sequar.
Ergò tuæ mortale genus uelamine carnis
Indutus, similis, sed sine labe tui.
Verus homo, ueruśq́; Deus, cruce fixus ab alta
Persoluam moriens debita λύτρα Deo.
Vtq́; tuam puræ naturam in Virginis aluo
Perpetuis iungam nexibus ipse meæ.
Aeternæ pacis sic inter teq́; Deumq́;,
Certus & æterni fœderis autor ero.
Legeq; completa & deuicta morte resurgens,
Restituam uitæ perdita dona nouæ.
Victus amore tui, cognata & imagine victus,
Diuina præstans luce misertus opus:
Suscepi tantos, quantos non ulla dolores
Mens capit, admissos ferre nec ulla potest.
Tu modo sis nostri memor & complectere gratus
Iustifica cordis munera tanta fide.
In tua diffundam Sacratum pectora flatum,
Vt tua sit legi congrua uita meæ.
Noscere teq́; Deum doceat, moneatq́; regatq́;,
Nostræ opus ut laudi seruiat omne tuæ.
In tua descendam præcordia lætus, & illa
Vt mihi perpetuò templa dicata colam.

Caspar Peucerus.

De

DE DICTO CHRISTI: SIC Deus dilexit mundum &c. Epigramma Viti VVinshemij.

SIc Deus immenſo eſt mundum complexus amore
Gnatum pro nobis ut daret ipſe ſuum,
Viuat nec pereat, quiſquis confidit in illo
Accipit & placidi munera tanta Dei.
Hei mihi ueſano quod mens humana furore
Hæc dedignatur ſummere dona Dei.
Gnate Dei, tu Chriſte ſalus, tu Chriſte redemptor
Flamine ſacrato pectora noſtra rege.

DE RESVRRECTIONE mortuorum ad uitam æternam Epigramma Iohannis Maioris D.

EX cineris maſſa, ſalſæq; anthyllidos herba
Formari flammis lucida uitra ſolent:
Sic cinis ater eram, cineres ſic ſoluor in atros,
Sed nitidum ſummo corpus habebo die.

EPISTOLA PHILIPPI MELANTHONIS SCRIPTA ad Inclytum Regem Angliæ Henricum VIII. Anno 1539. S. D.

INclyte & Sereniſsime Rex. Clementer acceperunt aliquot Romani Imperatores, Adrianus, Pius, & deinde fratres Verus & Marcus, apologias Chriſtianorum, quæ quidem tantum apud illos

illos moderatos Principes ualuerunt, ut eorum iracundiam aduersus Christianos lenirent, & atrocium edictorum mitigationem impetrarent. Ita postquàm edictum istic contra piam doctrinam & Ecclesiæ necessariam, quam profitemur, editum est. Rogo ut R. M. T. benignè hanc nostram querelam & legat & consideret, Præsertim cùm non solum nostra causa, sed multò magis propter publicam Ecclesiæ salutem hoc ad te scriptum instituerim. Cùm enim illi Ethnici Principes defensiones nostrorum & admiserint & approbauerint, quantò magis Regi Christianæ professionis, & uersato in studijs sacrarum historiarum, decorum est audire piorum in Ecclesia & querelas & admonitiones. Scribo autem eò ad te libentius, quòd antea cum singulari beneuolentiæ tuæ significatione meas literas accepisti, Et in hac causa spem aliquam mihi facit, te non grauatim hæc lecturum esse, quòd Phrasis ostendit Episcopos haud dubiè autores esse Articulorum istic editorum, non te. Etsi, ut sæpe accidit laudatissimis Principibus, sophistica sua perfecerunt, tua ut suffragatio accederet, ut Darium Regem sapientem, & iustum, impulerunt tamen Satrapæ, ut Danielem leonibus obijceret. Nunquàm autem indecorum fuit bonis Principibus corrigere iniustam asperitatem, & ut dicitur, habere δευτέρας φρουτίδας, hoc est, secundam deliberationem. Sapientissima ciuitas Attica decretum fecerat

recupe-

recuperata Mitylene, quæ defecerat, ut ciuibus omnibus interfectis funditus urbs deleretur. Nauis missa est, quæ ad exercitum hæc mandata adferebat. Postridie iterum relato negocio ad eosdem iudices, fit contrarium decretum, ne pœna uagaretur per omnes, sed ut pauci autores defectionis plecterentur, ciuitas seruaretur. Missa est igitur altera nauis, quæ properare iussa est, ut priorem anteueteret, sicut accidit. Nec puduit ciuitatem tunc quidem latè regnantem, publicè corrigere prius decretum. Multa huius generis exempla extant, quorum pleraq; tibi nota esse non dubito. Ac de Ecclesia sæpissimè Principes correxerunt edicta, ut Nabogdonosor, Darius. Assueri nomine editum fuerat decretum de interficiendis Iudæis. Id postea retractatum est. Ita sua edicta Adrianus & Antonini correxerunt. Quanquàm igitur extat edictum in Anglia factum, quod supplicia minatur aliena à consuetudine ueræ Ecclesiæ, aliena à canonibus: tamen existimaui adhuc licere nobis deprecari hanc asperitatem.

Eaq; in re non tantùm pericula eorum qui nobiscum sentiunt, moueor: sed te doleo alienæ sæuiciæ atq; impietatis ministrum fieri. Doleo etiam Christi doctrinam arceri, stabiliri uiciosos ritus, confirmari libidines. Audio uiros excellenti doctrina & pietate præditos, Latimerum, Saxtonum, Cromerum & alios teneri in custodijs, quibus opto

animi

animi robur dignum Christianis. Etsi autem ipsis quidem nihil accidere melius, aut gloriosius potest, quàm ut in tàm manifestæ ueritatis confessione mortem oppetant, tamen te nollem sanguine talium uirorum respergi, nollem hæc Ecclesiæ uestræ lumina extingui, nollem impietati & uirulentis, ac Pharisaicis odijs inimicorum Christi morem geri, nollem præberi uoluptatem Romano Antichristo, qui gaudet in sinum te iam aduersus nos pro ipso arma gerere, ac sperat Episcoporum opera facilè se possessionem, ex qua honestis & pijs consilijs tuis deturbatus est, aliquando recuperaturum esse. Videt Episcopos ad tempus morem gerere uoluntati tuæ: Sed animo, & perpetuo fœdere cum Romano Pontifice coniunctos esse. Norunt has artes Romani Pontifices. Ex multis sæuissimis tempestatibus eluctati sunt ante hæc secula contando. Memimerunt uim esse maximam temporum, cogitant illud. Multa dies uariusq; labor mutabilis æui, Rettulit in melius.

Multi boni & docti uiri in Germania spem conceperant forè, ut authoritas tua etiam cæteros Reges imitaret, ut tandem crudelitatem indignam Principibus Christianis deponerent, & de emendandis erroribus deliberarent. Huius sanctissimi & pulcherrimi consilij ducem atq; authorem te fore statuebant: Sed nunc præiudicio tuo nos non leue uulnus accepimus. Confirmatur cæterorum Regum iracundia, augetur pertinacia impiorum, stabiliuntur ueteres errores ingentes.

Sed illud haud dudiè contendunt Episcopi, se non errores, sed ueras sententias & ius diuinum tueri. Et quanq̃ non ignorant se reipsa cum iure diuino, & Apostolica Ecclesia pugnare, tamen homines astuti possunt inuenire bellas interpretationes, & ut uocat Euripides σοφὰ φάσμαϰα, quæ in speciem excusare errores, & abusus uidentur. Hæc sophistica nunc non tantùm in Anglia habet admirationem sapientiæ, Romæ dominatur, ubi Cardinalis Contarenus, Sadoletus, Polus nouis fucis pingunt abusus. In Germania etiam multorum nobilium animos hæc sophistica deprauat. Itaq; nihil miror his præstigijs istic moueri plurimos. Et quanquam tibi nec eruditio nec iudicium deest, tamen etiam sapientes interdum speciosis persuasionibus à ueritate abducuntur. Laudatur illud Simonidis, qui summis uiris suæ ætatis, Themistocli & alijs familiaris fuit. Opinio sæpè uim adfert ueritati, sæpè magis specioſa est falsa opinio, quàm ueritas. Idq; maximè in religionis controuersijs accidit, ubi Diabolus se in Angelum lucis transformat, ornat quibus potest fucis falsas opiniones. Quam concinna est Samosateni cauillatio, de dicto Iohannis. In principio erat uerbum. Et tamen plena est impietatis. Sed omitto aliena exempla, In ipso decreto, quam multa sophisticè, & insidiosè posita sunt. Confessio, inquit Articulus, necessaria est & retinenda. Cur non disertè dicit, necessaria est iure diuino, enumeratio delictorum. Sciebant Episcopi

hanc

hanc ſententiam falſam eſſe. Ideò generaliter uerba poſita ſunt, ut offundatur caligo plebi, cùm audit neceſſariam eſſe confeßionem, intelligit enumerationem iure diuino neceſſariam eſſe.

Similes præſtigiæ ſunt in Articulo de priuatis Miſſis, etſi initium apertè falſum eſt. Neceſſe eſt retinere priuatas Miſſas. Quis ſic ſenſit annis amplius quadringentis poſt Apoſtolos, cùm nullæ eſſent priuatæ Miſſæ. Sed poſtea ſequuntur ſophiſmata, ut populus per eas recipiat diuinas conſolationes, & beneficia, Cur non addunt. Quas conſolationes, quæ beneficia? Non nominant Epiſcopi applicationem & meritum, quia ſciunt defendi non poſſe, ludunt uerbis, ut elabi poßint, ſi applicatio uituperetur. Et tamen à populo intelligi applicationem uolunt, uolunt confirmari perſuaſionem idolatricam, mereri hoc Sacrificium alijs remißionem culpæ, pœnæ, leuationem omnium calamitatum, deniq; lucra in negotijs, & quicquid affinxit hominum ſollicitudo.

Similis eſt ſophiſtica, cùm dicunt coniugium Sacerdotum pugnare cum iure diuino. Non ignorant Pauli locum. Oportet Epiſcopum unius uxoris uirum eſſe. Quare Sacerdotibus ſciunt concedi coniugium iure diuino, ſed quia nunc aiunt acceſſiſſe uotum, ludunt uerbis, non dicunt uoto im-

pediri coniugium, ſed ſimpliciter ponunt Articulum, pugnare coniugium ſacerdotum cum iure diuino. Deinde quantum impudentiæ, & Phariſæi addunt, cùm iubent diſſolui coniugia, cùm iubent interfici eos, qui illa coniugia nolint diſſolui. Cùm tamen uotum Sacerdotum, etiam ſi quod eſſet, aut ſi ualeret, tantùm eatenus eos obligaret, ne in miniſterio manerent, ſi ducerent uxores. Hanc eſſe Synodorum, & Canonum ſententiam manifeſtum eſt. O ſceleratos Epiſcopos: O impudentem Vuintonienſem, qui his fucis arbitratur ſe oculis Chriſti, & omnium piorum iudicia toto orbe terrarum fallere.

Hæc recitaui, ut deprehenſa Sophiſtica iudices de uoluntate, & conſilio Epiſcoporum. Nam ſi candidè, & ex animo ueritatem quererent, non his fucis & impoſturis uterentur. Eſt autem cùm in cæteris negocijs illiberalis, & digna odio ſophiſtica, tùm uerò maximè fugienda in religionibus, in quibus impietas eſt ſumma corrumpere, & contaminare cœleſtia dicta. Itaq; ab hoc artificio Diabolus nomen habet, cauillationibus & præſtigijs excutit hominibus uerbum Dei. Cur Epiſcopi non ingenuè fatentur ſe doctrinæ, & cultuum emendationem nullam permiſſuros eſſe, quia ſit labefactura ipſorum dignitatem, opes, & uoluptates. Cur cæteri quos habent ſuffragantes, non apertè dicunt ſe retinere præſentem formam Eccleſiæ propter utilitatem, tranquillitatem, & ſplendorem. Hæc fate-

ri, eſſet

ri, esset ingenuitas. Nunc dum simulant studium ueritatis & pietatis, affingunt inepta sophismata, & tamen uoluntatem produnt. Nec sophismata illa tegunt errores, sunt enim falsi, & impij Articuli in illo edicto, quantumuis speciosè propositi. Quare optandum erat Episcopos meminisse cœlestem commination em apud Esaiam. Væ uobis, qui leges iniquas conditis. Quid facietis in die uisitationis, & calamitatis uenturæ &c. Væ qui dicitis malum bonum &c.

Accedo igitur ad res ipsas. Negari non potest diuturnas & horribiles tenebras in Ecclesia fuisse. Traditiones humanæ non tantùm fuerunt carnificina piarum mentium, sed quod est indignius, fuerunt cultus multipliciter uitiosi. Erant uota, donaria templorum, uestitus, ciborum delectus, battologiæ precium, indulgentiæ, bonos statuarum, colebantur Sancti manifesta idolatria, ignorabantur ueri cultus Dei, & uera opera, Deniq; magna similitudo erat Ethnicarum religionum. Et Romæ adhuc est. Erat ignota doctrina uera de pœnitentia, de remissione peccatorum, quæ fide in Christum õctingit, de iusticia fidei, de discrimine legis & Euangelij, de usu Sacramentorum. Claues translatæ erant ad tyrannidem Pontificiam constituendam, longè anteferebantur politicis officijs cæremoniæ humanæ. Ad hos errores accedebat uita contaminata libidinibus propter legem de celibatu. Ex his tenebris Deus nonnihil euoluit Ecclesiam repurga-

ta doctrina: fatendum est enim non humana diligentia deprehensos esse tam inueteratos errores, sed Dei donum est hæc Euangelij lux, quæ Ecclesijs rursus ostensa est. Nam Spiritus sanctus uaticinatur postremis temporibus certamina uehementiora pijs fore cum Antichristo. Vaticinatur et Antichristum stipatum satellitio ingenti Episcoporum, hypocritarum, principum, aduersaturum esse ueritati, interfecturum pios.

Hæc fieri nunc res loquitur ipsa, Romani Episcopi tyrannis partim inuexit errores in Ecclesiam, partim confirmauit, et nunc tuetur uiribus, ut prædixit Daniel. Gaudebamus autem te ab eo seiunctum esse, ac sperabamus fore, ut Anglica Ecclesia reflorescceret: Sed Episcopi tui non sunt auulsi à Romano Antichristo, illius idolatriam, errores, uitia, tuentur. Nam Articuli nunc editi astutè delecti sunt, confirmant omnes humanas traditiones cùm stabiliunt præcipuas, uota, celibatum et confessionem. Muniunt non solùm authoritatem, sed omnes erores, cùm retinent priuatam Missam. Ita arte cauerunt, nulla ut emendatio institui possit, dignitas, & opes in tuto sint. Hoc egisse Episcopos res ostendit ipsa. Quis autem non doleat sic opprimi gloriam Christi? Etenim ut dixi, non tantùm de his Articulis, quorum ibi fit mentio agitur, Opprimuntur Articuli cæteri quoq; purioris doctrinæ omnes, si cultus humani necessarij, & retinendi sunt. Cur inquit Christus: Frustrà colunt me mandatis hominum:

Cur

Cur toties detestatur Paulus humanas traditiones.

Non est leue peccatum instituere cultus sine mandato Dei, aut tales cultus defendere. Hanc audaciam Deus horribiliter detestatur, qui uult agnosci in uerbo suo, non uult fingi religiones humano arbitrio, alioqui omnes omnium gentium religiones essent probandæ. Non imitaris inquit prudentiæ tuæ, sed Christum misit, hunc iubet audire, non hominum astutorum inuenta, qui religiones attemperant suis utilitatibus.

Porrò priuatæ Missæ, uota, celibatus, enumeratio delictorum in confessione, ut constat, sunt cultus ab hominibus instituti. Etsi enim cœna Domini à Christo instituta est, tamen priuata Missa est impia prophanatio cœnæ Domini. Nam in Canone quantum est sceleris, qui inquit, hic offerri Christum, & hoc opus sacrificium esse, quod redimat uiuos et mortuos. Hæc non sunt instituta à Christo, imò multipliciter pugant cum Euangelio, Non uult se offerri Christus à sacrificulis, nec opus illud offerentis aut sumentis, Sacrificium pro alijs ullo modo esse potest. Idolatria manifesta est, & opprimit doctrinam de fide, & de uero usu Sacramentorum, fide in Christum iustificamur non opere sacrificuli, & cœna instituta est, ut minister alijs porrigat, qui agentes pœnitentiam admoneantur, ut credant uerè ad se pertinere promissiones Euangelij, cum hic proponatur testimonium, nos fieri membra Christi, & ablutos esse sanguine Christi.

Ab hoc usu, qui institutus est in Euangelio, & obseruatus in ueteri Ecclesia annis amplius trecentis, non licet discedere. Impietas est enim transferre ritum diuinum ad alios usus, iuxta secundum præceptum Decalogi. Quare Missæ priuatæ cum multis modis, oblatione, sacrificio, applicatione, deniq; alijs modis longissimè discesserunt ab institutio Christi, non retinendæ, sed abolendæ sunt. Fugite, inquit Paulus, idolatriam. Est autem multiplex idolatria in priuatis Missis, quam quidem tueri Pontifices, non est mirum, quia postremis temporibus ait Scriptura, insignem idolatriam regnaturam esse in loco Ecclesiæ. Sicut Christus significat inquiens: Cùm uidebitis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Et Daniel cap. 11: Et Deum Maosim in loco suo uenerabitur, & Deum quem nescierunt patres eius colet auro, argento & lapidibus! præciosis Vterq; locus de Missa concionatur. Hunc cultum, hanc tetram prophanationem Sacramenti abominatur Deus.

Quàm multa sunt enim manifesta flagitia in hoc ritu, confertur ad quæstum, coguntur indigni sumere, uel si nolint, applicant pro uiuis & mortuis, promittunt alijs faustam nauigationem, alijs alia. Hæc sunt apertè flagitia, sed alia non minus reprehendenda sunt, quæ imperiti non perinde cernunt. Non sunt humano arbitrio instituendi cultus sine mandato Dei. Quare errant homines, cùm offerunt

sine

sine mandato Dei, cùm ex hoc opere faciunt Sacrificium, imaginantur priuatas Missas faciendas esse, quia hoc ritu Deus coli uelit. Et uidemus auro & argento, apparatu, sumptu ingenti Missas emi, Sacramentum circumferri adorandum in auro & argento, cùm in hunc usum non sit institutum Sacramentum.

Quare cùm mandatum Dei iubeat fugere idolatriam, non erunt retinendæ priuatæ Missæ, ac miror cur dixerint, necessariò esse retinendas, cùm constet olim nullas fuisse. An deerant puriori Ecclesiæ annis trecentis post Apostolos, res necessaria in cultu Dei? Quid potest dici absurdius.

Videmus acerrimis studijs defendi priuatas Missas, quod fit magis ab alijs, quia questui metuunt, ab alijs, quia inseruiunt uulgi affectibus, quod ægrè sibi eripi hoc præsidium, ut existimat patitur, quàm uera aliqua ratione, sed tamen firma & perspicua causa est, cur abrogari debeant. Primum enim applicatio haud dubiè est impia, non meretur alteri gratiam opus sacrificuli, sed sua quisq; fide iustus est. Nec uult Deus confidere quemquam cæremonia ulla, sed tantùm Christi beneficio. Et certè applicatio pro mortuis plena est erroris. Ac frustra hîc finguntur sophismata ad excusandam applicationem. Nemo ex uniuerso populo aliter sentit, quàm hoc opus prodesse uniuersæ Ecclesiæ. Ipse etiam Canon Missæ hoc profitetur. Quid ludunt uerbis quidam astuti, qui negant se applicare Missas,

cùm sciant suo facto confirmari populi errorem, etiamsi ipsi aliter sentiant. Quanquam quotus quisq; aliter sentit?

Absit simulatio à diuinis ritibus, utamur eis, ut docent sacræ literæ, & ut mos fuit primæ Ecclesiæ aliquot seculis. Cur hominum audacia discessit à ueteri more, cur nunc defenditur alienum erratum, qui mutauerunt Christi institutum.

Iam etiamsi fingat aliquis, se non applicare, tamen ita cæremoniam seorsum facit, ut existimet hanc oblationem esse cultum, quem Deus requirat, id quoq; improbandum est. Quia non sunt instituendi cultus humano arbitrio sine mandato Dei.

Quare obsecro per gloriam Christi, ut de missa non defendas Articulum decreti illius, sed sinas rem diligentius à pijs & doctis deliberari. Nostra habent euidens & firmum testimonium primæ Ecclesiæ, quod non dubito omnium posteriorum iudicijs opponere, qui ueterem doctrinam, ueteres ritus multis erroribus contaminarunt.

Reliqui Articuli non habent opus longa disputatione Vota impia, ficticia, impossibilia non sunt seruanda.

Non dubium est omnium de uotis hanc esse persuasionem, Hæc opera ab hominibus instituta, esse cultus Dei. Sic sentiunt etiam, qui modestissimè loquuntur, alij plus errorum addunt. Hæc opera esse perfectiones, mereri uitam æternam. Porrò has opiniones omnes, sæpè taxant diuinæ literæ. Christus inquit:

inquit: Frustrà colunt me mandatis hominum. Et Paulus ait: Has ipsas obseruationes esse doctrinam Dæmoniorum, quia tribuunt humanis uitijs falsum honorem, quòd sint cultus, obscurant fidem, & uerum cultum. Item ad Coloss. ait: Nemo nos decipiat simulata humilitate &c. Quare decreta facit ergò hæc uitia humanarum traditionum sunt ipse impij cultus.

Accedunt deinde alia multa uitia. Totum genus monasticæ, quantum habet superstitionum, profanationes Missarum, inuocationes Sanctorum uestitus, ciborum delectus, superstitiosas preces sine modo. Hæ causæ singulæ sufficiunt, quare uota sint irrita. Quid quod maxima pars hominum imitatur ad hoc genus uitæ, propter culinas, postea pretexitur uoti religio.

Præterea uotum celibatus, non omnibus est possibile, ut Christus ipse inquit: Non omnes capiunt hoc. Rescindenda autem sunt uota, quæ sine peccato præstari non possunt, sed hæc satis alibi à nobis explicata sunt.

Valdè autem miratus sum, uotum Sacerdotum in Anglico decreto etiam artius adstringi, quàm uotum Monachorum, cùm Canones ipsæ tantum eam uolunt obligatum esse presbyterum, si sit in ministerio, planeq; coborrui, legens hunc Articulũ, prohibet matrimonia, & contracta dissoluit, & adpœnam capitalem. Etsi autem alicubi interfecti sunt Sacerdotes pij propter coniugium, tamẽ legem

hanc

inquit: Fruſtrà colunt me mandatis hominum. Et Paulus ait: Has ipſas obſeruationes eſſe doctrinam Dæmoniorum, quia tribuunt humanis uiribus falſum honorem, quòd ſint cultus, obſcurant fidem, & ueros cultus. Item ad Coloſſ. ait: Nemo nos deciat ſimulata humilitate &c. Quare decreta facitis. Ergò hæc uitia humanarum traditionum ſunt re ipſa impij cultus.

Accedunt deinde alia multa uitia. Totum genus uitæ monaſticæ, quantam habet ſuperſtitionum, prophanationes Miſſarum, inuocationes Sanctorum, ueſtitus, ciborum delectus, ſuperſtitioſas preces ſine modo. Hæ cauſæ ſingulæ ſufficiunt, quare uota ſint irrita. Quid quod maxima pars hominum inuitatur ad hoc genus uitæ, propter culinas, poſtea prætexitur uoti religio.

Præterea uotum celibatus, non omnibus eſt poßibilè, ut Chriſtus ipſe inquit: Non omnes capiunt hoc. Reſcindenda autem ſunt uota, quæ ſine peccato præſtari non poſſunt, ſed hæc ſatis alibi à nobis explicata ſunt.

Valdè autem miratus ſum, uotum Sacerdotum in Anglico decreto etiam arctius adſtringi, quàm uotum Monachorum, cùm Canones ipſæ tantum eatenus uelint obligatum eſſe preſbyterum, ſi ſit in miniſterio, planeq; cohorrui, legens hunc Articulũ, prohibet matrimonia, & contracta diſſoluit, & addit pœnam capitalem. Etſi autem alicubi interfecti ſunt Sacerdotes pij propter coniugium, tamẽ legem

hanc ſcribere nemo adhuc auſus eſt. Videbant enim pleriq; omnes ſanos & moderatos hanc crudelitatem deteſtaturos eſſe, uerebantur etiam iudicia poſteritatis. Quis credat in Eccleſia, in qua lenitas præcipuè erga pios eſſe debet, tantam exiſtere poſſe ſæuiciam, ut capitales pœnæ conſtituantur in homines pios, propter coniugium.

At uiolant uotum. Id enim opinor allaturos Epiſcopos. Primum id uotum, ut dixi, irritum eſt, cùm ſit falſus cultus, & ſit impoßibile. Deinde etiamſi ualeret, tamen non obligaret diſcedentes à miniſterio. Poſtremo ſi hîc uellent Epiſcopi conſultum conſcientijs, deinde ordinarent preſbyteros ſine uotis, ſicut conſtat ex ueteribus Canonibus, olim multos ſine uoto ordinatos eſſe, & hos cùm poſtea ducerent uxores, manſiſſe in miniſterio, ut teſtatur Cap. Diaconi diſt. XXVIII.

Profectò quid querar dubito. Non in hoc Articulo inſcitiam accuſare poſſum. Nemo ignorat mandatum Dei, ꝓpter fornicationem habeat unuſquiſq; uxorem ſuam. Nemo non uidet, qualis ſit uita celibum, bonorum querelæ notæ ſunt, malorum turpitudo manifeſta eſt. Sed fortaßis Epiſcopi iſtic Epicureas opiniones habent, iudicant Deum non offendi libidimibus, quod ſi ſentiunt, difficilem nos quidem cauſam agimus apud tales iudices.

Scio celibatum aptiorem eſſe ad ſplendorem Epiſcoporum, & Collegiorum conſeruandũ, & ad opes tuendas. Hanc opinor quibuſdam eſſe cauſam, cur

cur tantopere abhorreant à coniugio Sacerdotum. Sed ô miſeram Eccleſiam, ſi ſeruire leges non ueritati, non ſalutati Dei, ſed iniuſtis utilitatibus cogantur. Errant qui putant licere ſibi leges condere, pugnantes cum mandato Dei, cum iure naturæ, modo ſint utiles ad opes tuendas.

Ac profectò ex animo doleo, & tuam uicem Inclyte, & uicem Eccleſiæ Chriſti. Oſtendis te Romani Epiſcopi tyrannidem improbare, & uerè eam uocas Antichriſtum, interea eas leges Romani Antichriſti, quæ ſunt nerui potentiæ ipſius, defendis, miſſas priuatas, celibatum, & ceteras ſuperſtitiones. Minaris atrociſſima ſupplicia uiris bonis & membris Chriſti, opprimis illuſcescentem in Eccleſia tuis ueritatem Euangelij. Hoc non eſt Antichriſtum tollere, ſed confirmare.

Obteſtor igitur te propter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ne conſcientiam tuam horum Articulorum defenſione polluas, quos Epiſcopi de priuatis Miſſis, de confeßione, de uotis, de celibatu Sacerdotum, de prohibitione integri Sacramenti, ediderunt. Non eſt leue peccatum, idolatriam, errores, crudelitatem, libidines Antichriſti ſtabilire. Si nunc haberet Romanus Epiſcopus Synodum, quos alios Articulos præcipuos conderet, & orbi terrarum imponeret, niſi illos ipſos quos recẽſent Epiſcopi tui.

Agnoſce quæſo Diaboli inſidias, qui quidem imprimis gubernatores adoriri, ac tentare ſolet. Et cum ſit hoſtis Chriſti ab initio mundi, præcipuè hoc molitur

cur tantopere abhorreant à coniugio Sacerdotum. Sed ô miseram Ecclesiam, si seruire leges non ueritati, non uoluntati Dei, sed iniustis utilitatibus cogantur. Errant qui putant licere sibi leges condere, pugnantes cum mandato Dei, cum iuræ naturæ, modo sint utiles ad opes tuendas.

Ac profectò ex animo doleo, & tuam uicem Rex Inclyte, & uicem Ecclesiæ Christi. Ostendis te Romani Episcopi tyrannidem improbare, & uerè eum uocas Antichristum, interea eas leges Romani Antichristi, quæ sunt nerui potentiæ ipsius, defendis, Missas priuatas, celibatum, & cæteras superstitiones. Miraris atrocissima supplicia uiris bonis & membris Christi, opprimis illuscescentem in Ecclesijs tuis ueritatem Euangelij. Hoc non est Antichristum tollere, sed confirmare.

Obtestor igitur te propter Dominum nostrum Iesum Christum, ne conscientiam tuam horum Articulorum defensione polluas, quos Episcopi de priuatis Missis, de confessione, de uotis, de celibatu Sacerdotum, de prohibitione integri Sacramenti, ediderunt. Non est leue peccatum, idolatriam, errores, crudelitatem, libidines Antichristi stabilire. Si nunc haberet Romanus Episcopus Synodum, quos alios Articulos præcipuos conderet, & orbi terrarum imponeret, nisi illos ipsos quos recẽsent Episcopi tui.

Agnosce quæso Diaboli insidias, qui quidem imprimis gubernatores adoriri, ac tentare solet. Et cùm sit hostis Christi ab initio mundi, præcipuè hoc

molitur

molitur omni uafricie, ut Christum contumelia affi-
ciat sparsis impijs opinionibus, & excitata idola-
tria. Deinde ut iniustis cædibus & libidinibus pol-
luatur humanum genus. Ad has res abutitur hypo-
critarum ingenijs, & potentum uiribus, ut historiæ
omnium temporum ostendunt. Magna Imperia se-
uijsse in Ecclesiam.

Sed tamen aliquos Principes Deus ab illo Gy-
gantum exercitu, traduxit ad Ecclesiam, & agnos-
cere ueram doctrinam & ueros cultus uoluit, ut
Abraham erudijt Abimelech, Ioseph Aegyptios re-
ges. Postea Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias ex-
celluerunt pietate. Daniel flexit ad agnitionem Dei
reges Chaldæos & Persicos. Dedit & Britannia pi-
um Principem orbi terrarum Constantium. In hoc te
cœtu potius optarim esse, quàm inter hostes Christi
contaminatos idolatria, & respersos sanguine pio-
rum, de quibus Deus pœnas sumet, ut sæpè concio-
natur, & ostendunt multa exempla.

Rursus igitur te propter Dominum nostrum
Iesum Christum obtestor, ut decretum Episcoporum
lenias & emendes. Eaq; in re gloriæ Christi serui-
as, & consulas tuæ, & Ecclesiarum tuarum saluti.
Moueare uotis multorum piorum toto orbe terra-
rum, qui optant, ut aliqui Reges conferant au-
thoritatem suam ad ueram Ecclesiæ emendationem,
& ad tollendos impios cultus, ac propagandum
Euangelium. Respicias & illos pios uiros uinctos
ppter Euangelium, qui sunt uera Christi membra.

Et

Et si non mutabitur decretum, sine fine grassa-
bitur in Ecclesia semitia Episcoporum. Hos n. habet
Diabolus odij sui aduersus Christum, & furoris ad-
ministros, hos impellit ad Christi membra trucidan-
da. Horum impias & crudeles sententias, & sophi-
sticas cauillationes, nostræ uere & iustissimæ de-
fensioni, ut non anteferas, omnes pij te orant &
obsecrantur. Quod si impetrabunt, haud dubiè De-
us ingentia præmia tibi pro pietate reddet, & pio-
rum literis, & uoce, uirtus tua celebrabitur. Chri-
stus enim iudicaturus est benè, & malè meritos de
Ecclesia. Et dum uiuent literæ, extabit ad posteri-
tatis memoria rerum tantarum. Et cùm Christi glo-
riæ seruiamus, & Ecclesiæ nostræ sint Christi Ec-
clesiæ, non deerunt, qui piæ causæ patrocinari, qui
benè meritos debita laude ornare, & crudelitatem
uituperare poterunt. Circumit Christus esuriens,
sitiens, nudus, uinctus, conquerens de Pontificum
rabie, de multorum regum iniustissima sæuitia, pe-
nas ne lacerentur corporis sui membra: sed ut de-
fendantur uere Ecclesiæ, ornetur Euangelium,
Hunc agnoscere, excipere, fouere pij Regis est
officium, & cultus Deo gratis-
simus.

VITEBERGÆ EXCVDEBANT
Heredes Georgij Rhaui.
IMPENSIS CVNRADI
RVHELII.
ANNO M. D. LIX.

Et si non mutabitur decretum, sine fine grassabitur in Ecclesia sæuitia Episcoporum. Hos. n. habet Diabolus odij sui aduersus Christum, & furoris administros, hos impellit ad Christi mẽbra trucidanda. Horum impias & crudeles sententias, & sophisticas cauillationes, nostræ ueræ & iustißumæ deprecationi, ut non anteferas, omnes pij te orant & obtestantur. Quod si impetrabunt, haud dubiè Deus ingentia præmia tibi pro pietate reddet, & piorum literis, & uoce, uirtus tua celebrabitur. Christus enim iudicaturus est benè, & malè meritos de Ecclesia. Et dum uiuent literæ, extabit ad posteritatem memoria rerum tantarum. Et cùm Christi gloriæ seruiamus, & Ecclesiæ nostræ sint Christi Ecclesiæ, non deerunt, qui piæ caüsæ patrocinari, qui benè meritos debita laude ornare, & crudelitatem uituperare poterunt. Circumit Christus esuriens, sitiens, nudus, uinctus, conquerens de Pontificum rabie, de multorum regum iniustißima sæuitia, petens ne lacerentur corporis sui membra: sed ut defendantur ueræ Ecclesiæ, ornetur Euangelium. Hunc agnoscere, excipere, fouere pij Regis est officium, & cultus Deo gratißimus.

VVITEBERGÆ EXCVDEBANT
Hæredes Georgij Rhauu.
IMPENSIS CVNRADI
RVHELII.
ANNO M. D. LIX.